SELECTÆ ORATIONES PANEGYRICÆ PATRVM SOCIETATIS IESV.

TOMVS PRIMVS.

LVGDVNI.

Sumptib. BARTHOLOMÆI RIVIERE, in vico Mercatorio, ſub ſigno Sancti Auguſtini.

M. DC. LXVII.

Cum Approbatione, & Priuilegio Regis.

ILLVSTRISSIMO VIRO

HABERTO MONTMORIO

LIBELLORVM SVPPLICVM MAGISTRO.

ENIVNT in manus tuas, Vir illustrissime, Oratorum ætatis huius aliquot anegyrici, qui cum peritorum atiam ambiant, vix alium ncifcuntur, qui de se melius rmare possit. Ferent à te laum, & plausum, quos Auctores diti lente probauerint & in quidem pleraq; deprehendes, pro suis veteres adoptarent,

quorum imitatione artis pars magna comprehenditur. Quod enim libro cuidam suo Tullius non iniuria tribuit, Isocratis μυροθήκιον atque omnes Discipulorum eius arculas consumpsere, vt ad artis specimen confecti esse videantur. Hic virtutes Plinij referet, ille tibi Pacatum repræsentabit, nec qua non nihil vterque ab antiquis discesserit elocutionem desiderabis. Vbertatem isthic, & copiam; illic iucunditatem florum, & pigmenta suspicies, & relictæ Græcæ imitationi locum intelliges, quem latinæ facundiæ Fabius denegarit. Certe quibus hæc ingenij monumenta venerunt in manus, ar-

tis

tis ſcientes Itali, felicitati Galliæ gratulati ſunt cuius homines antiquorum peritiam adæquarent.

Sed cùm in illuſtri de ſe iudicio laboris ſui pretium ex parte collocent, quidquid hîc artis erit id tu totum repente peruades, & quæ humanitas tua eſt approbabis. Vt enim fœcundum ſit ingeniis ſeculum iſtud quo viuimus, quod cum tuo conferri poſſit haud facile deprehendimus in cuius ornatum, & culturam, ita gratiæ conſpirarunt ſuas vt opes prorſus exhauſerint. Sic grauioribus diſciplinis inſtrutum eſt vt amœnis ornetur; ſic iudicandi ſagacitate præſtat, vt intelligendi

celeritate commendetur; sic laudum omnium consensione efflorescit, vt in singulis consenuisse videatur. Dedit quidem gens tua doctrinis omnibus summa ingenia, sed in tui conformatione, ornamenta tuorum omnia confluxere: Et æquum erat vt te ornarent vniuersæ quas tu nulla neglecta decorasses. Quamobrem non indignum opus quod tuo nomini addicatur, tu dignus quem patronum sibi & laudatorem asciscat. Quæ sunt enim eius officia qui nomen illud in litterarum regno sustineat, magna complecti simul, & ornare ingenia, fortunæ iniquitatem quam ferant, benignitate temperare,

obscu

ſcura per ſeſe in cætuum nobi-
rum lucem ſuffragiis ſuis in-
cere,ad deſignationem operum
iuuare,cœpta eadem promoue-
, perfecta teſtificatione laudis
tollere, an eorum eſt à te ali-
id prætermiſſum. Otio fruitur
e,quod feceris;hic ad ardua ni-
tur,cui nempe animos addidi-
;illi omnium ſuffragatione no-
inantur,at quod placent,totum
tibi acceptum referunt.Neque
utetiæ quãta eſt pomærio defi-
tur,qui tanto à te locorum in-
ruallo diſiunctus ſenſerim, co-
itas tua,humanitaſque quo va-
at. Seruet te diu qui indulſit
nic ſeculo Mæcenatem, vt ho-
eſta tecum intentione hinc be-
neficiis

neficiis, inde obſequiis decertemus. Tu dum alia paro, iſtud quantumque munus admitte, & patere amicitiæ tuæ bono gloriari

ILLVSTRISSIME VIR.

Addictiſſimum tibi
A. V. E. S. I.

INDEX
RATIONVM PANEGYRICARVM
quæ in isto Volumine continentur.

HENRICI QVARTI
CHRISTIANISSIMI REGIS
PANEGYRICVS,

Auctore

DIONISIO PETAVIO
Societatis IESV.

Dictus ab Rhetoricæ auditore in Collegio Remensi Societatis IESV.

VIT hæc quorundam olim Principum in retinenda maiestate religio, (Viri ornatiſſimi) vt exprimendæ imaginis ſuæ poteſtatem promiſcuè omnibus, ſed iis duntaxat facerent, qui in ea propiùs ad veritatem exprimenda cæteris antecellerent. Quæ quidem lex ſi effingenda Magni HENRICI ſpecimini foret propoſita: ſi eam nemo, niſi id perfectiſſimè facere poſſet, attingeret; nullus quidem eſſet, qui illum ornare, ac piæ... auderet, hactenus repertus. Neque enim

cuiuſquam, opinor, tanta eſſe poteſt in exprimendo ſolertia, ac facultas, vt qualem adhuc virtutum illius effigiem animo ac memoria retinemus, talem nobis oratione ſua atque eloquentia repræſentare poſſit. Sed cùm communi omnium bono ſit ille quondam diuinitùs huic imperio datus, & communi omnium iactura ac mœrore præreptus, abſurdum fortaſſis, atque etiam iniquum fuerat, non communem quoque laudandi huius ac conquerendæ tantæ calamitatis licentiam eſſe velle. Quare ſecundum acerbiſſimum illum ac luctuoſiſſimum diem, ſiue recenti adhuc plaga vehemens quidam dolor in gemitus, ac querelas erumperet; ſiue mœrentibus & oppreſſis omnium animis ſolatij aliquid eſſet adferendum, à pleriſque eſt vtriuſque officij munus meritò ac cum laude ſuſceptum. Nunc verò cùm partim diuturnitate ipſa repreſſus, partim nouæ lucis atque Imperij exortu mitigatus dolor ille deferbuerit, quid eſt quòd tanto interuallo delectus hodie ſum, ex omnibus qui anniuerſaria maximo atque inuictiſſimo Principi iuſta totius Scholæ nomine perſoluerem? Non dicam id quod veriſſimè dicere poſſum, miſerrimo hoc & inopinato luctu perculſis abſorptíſque mentibus noſtris omnem tum eſſe non modò vſum eloquentiæ, ſed & ſenſus ipſius ac penè ſermonis extortum. Hoc igitur dicam; conſolandi leuandíque doloris veſtri partes (quæ in eo potiſſimùm genere orationis requiruntur) minimè ætati noſtræ conſentaneas fuiſſe; laudandi verò ac celebrandi Principis, ne nunc quidem tardiores videri. Quis enim ſeriùs

lauda

eum poſt annum exiſtimet, cuius im-
is ſempiternáque nominis fama om-
in ſeculorum memoria monimentíſque
tur? Quare illud mihi, bona veſtra
ınia, faciendum hodierna die decreui,
ıveterata illa, & acerba, quam de eius
ı obitu concepiſtis, ægritudine vos ad
contemplationem virtutum, admiratio-
ıe traducerem; deſcriberémque eum
oratione mea Principem, quem vnum
ıporibus oſtendiſſe mihi diuina Sapien-
letur; in quem cùm genera laudum
m atque ornamentorum congereret,
ınumera maximáque potentiæ ſuæ ac
entiæ miracula conferret. De quibus
m pro conceſſi exiguitate temporis diſ-
apud vos cogito, video quidem quàm
i multa præterire, reliqua verò curſim
i neceſſe ſit; & ad hæc ipſa tamen expli-
quàm parum ab vſu dicendi, & ab inge-
ratus accedam. Sed horum alterum, præ-
uitatem, facilitatémque veſtram eorum
r, qui mihi id pro ſuo iure oneris man-
, voluntas, atque authoritas ſubleuat; al-
vt vel inuitus faciam, partim me tempo-
o, partim dicendarum rerum infinitas
ur. Itaque ea ſola nobis ornamenta do-
da ſunt, quæ illius potiſſimùm animi pro-
ıuæ non oblata fortuitò: nec vſitata deni-
ut vulgaria ſeligantur ex omni ea copia,
mihi in qualibet vitæ parte immenſa re-
ɔ eo geſtarum varietas ſuppeditat. Sed an-
n robuſtiora illa ac firmiora perſequar,
atim prima ætatis tyrocinia, ac rudimen-

ta complectar, vt quibus ex initiis tantæ laudes excitatæ sint, faciliùs intelligatis. De quibus sic, opinor, statuetis; neque eum, qui florentissimo huic Regno præfuturus aliquando esset, aliter instituendum fuisse: nec qui ita institutus esset, non eidem præfici tandem, vt cætera omnia deessent, oportuisse. Scio plerisque citra informationem ac disciplinam vllam, satis eam, quam à natura expresserant, indolis felicitatem atque industriam fuisse: nec paucos commemorari Principes audio, qui serò admodum tractandis Imperij gubernaculis admoti, quod nunquam didicerant, idipsum strenuè ac præcipua cum laude gesserunt. Sed hoc vnà tamen intelligo, nec eam esse omnibus naturæ bonitatem attributam, & quicunque ea freti aliquo in numero atque existimatione esse potuerunt, si ad eam institutionis ac disciplinæ cultus accessisset, multo clariores atque illustriores futuros. Quorum è numero Christianissimus ille sanè Princeps noster extitit, cuius ingenij vim, ac naturæ præstantem solertiam, cùm acutè ab eo dicta, ac prudenter, consideratéque gesta quàmplurima, tum verò omnis illa in adipiscendo constituendóque Imperio diuina planè atque admirabilis ratio declarat. Quòd nisi tanta ingenij celeritas ac sagacitas mentis educatione perfecta ac perpolita foret, non esset tam eximium decus maximis in rebus consecutum. Credo enim ingens adeò subinde molestiarum ac negotiorum pondus sustineret lautè atque indulgentèr habitus adolescens; eam præberet arduis ac desperatissimis in rebus animi tolerantiam, atque constantiam; vigi-
liis

se atque angoribus conficeret ; perferret
iam ; nullis corporis animíque fractus in-
modis perstaret ; tandiu denique summa in
m omnium egestate ac solitudine versare-
nisi ad incredibile quoddam robur animi à
ra fictus , disciplina edoctus , vsu effe t at-
assidua meditatione perductus. Non enim
s infantiam puerilium annorum illecebræ
oluptates exceperunt : non nutricum blan-
s emollitus in otio , ac iocis elanguerat ;
inter conuiuia atque epulas garrire ; non
ıdis ac saltationibus frequens esse consue-
t. Nullæ in ea ætate deliciæ , nihil in victu
cultu corporis profusum ; nihil solutum,
nguidum ; nihil quod luxum atque iner-
redoleret ; summa vbique frugalitas , ac
nonia : cibi potúsque non præcipua , aut
isita præ cæteris , sed vulgaris quotidia-
e ratio ; vestitus obsoletus ; cætera cum
lis communia ; vt ex tanta nobilitate ni-
amen esset , quo eum ab aliis discernere,
erquam animi præstantia , ac regia totius
oris dignitate, posses. Iam laboris, exerci-
ıísque quàm acris , quàm assidua conten-
cùm asperis in locis , atque incultis , inter
uptas montium salebras modò per accliues
xásque rupes cursu ad verticem subiret:
ò in campo planitiéque decurreret : hîc
us gladio cominus certaret , illic eminus
m torqueret ; aliàs ænea fistula glandem
opum dirigeret ; pedes sæpiùs , nonnun-
equo vectus ludicra atque vmbratili me-
one armorum vsum ac militiam prædi-
. Quid in venatu ? quoties per horridos

ac deuios saltus ferarum cubilia persequens, niue ac pruina obriguit? aut immodicis ardoribus tostus camporum patentium puluerem cum sudore commiscuit? Rectè enim illud de vetere Persicorum disciplina Principum vsurpauerat, vti nunquam nisi labore attritum ac defessum corpusculum cibo ac somno recrearet. Eiusmodi illa priscis temporibus fuit vetustissimorum Heroum, ac celeberrimorum Principum educatio. Sic apud Chironem Achilles, flósque Græciæ maximè totius, durissima olim miniméque molli disciplina habiti feruntur. Et, vt à fabulis discedam, ab iis tolerantiæ ac virtutis primordiis ad tãtum splendorem Alexandri fortuna progressa est; Nec dissimilia vtriusque Aphricani fuerunt sub fortissimis Parentibus rudimenta militiæ: Per hæc eadem Annibalis virtus summum in bellicosissimæ gentis, ac potentissimi Imperij terrorem excreuerat: Ab iis notissimi illi toto orbe Duces, atque Imperatores, Græci, Romaníque pariter, ac nostri, ad insignem primùm corporis, animíque vim, tum sæculorum omnium notitiam ac celebritatem effloruerunt. Quorum omnium gesta atque præconia, non, quemadmodum facere Oratores amplificando solent, nostri illius laudibus etiam aliquanto minora constituam. Salua cuique sua sit virtutis ac dignitatis existimatio. Non est huius præsertim ingenij, ac tenuitatis meæ, præstantissimorum ac diuinorum hominum dissimillimis in rebus similem fortassis gloriam atque industriam contendere. Sed hoc tamen non modò omnibus vobis (Auditores) sed vel illis

fauentibus ac consentientibus obtinebo; nem ex iis vnum extitisse,cuius pari in ge- ac familiæ nobilitate, grauioribus incom- is penè vita omnis exercita iactatáque t ; quíque ex tam obscuris desperatísque ipiis subitò ad tantam opum ac potentiæ itudinem aspirarit : qui difficillimis tem- tibus, aut pulsatus crebriùs, aut violen- laceſſitus , vſque eò conſtanter fortitérque iſſis ac ſuperatis omnibus emerſerit. Ne- verò ignota ea cuiquam ſunt , aut incredi- quæ dixi : neque eiuſmodi , vt à me po- expectanda , quàm à veſtra omnium con- ntia experientiáque tantarum rerum fides paranda ſit. Hærent adhuc in animis infi- veſtris , ac penè dicam ſenſibus ; neque vo- nodò , qui iis intereſſe cùm agerentur , aut artem etiam earum aliquam venire ipſi po- is , penitùs exploratæ compertæque ſunt, ad nationum regnorúmque omnium fa- n percrebuerunt. Quo mihi ſanè difficilior d vos reliqua oratio eſt , quòd in comme- andis iis , quæ mihi exornanda potiſſimùm iu vita ſumpſero , non tam quid à me di- n fuerit , quàm quid dici de iis potuerit, omiſſum, propter ignorantiam , vel infini- m cæterarum rerum ſit , exiſtimaturos vos lligo. Sed hoc me tamen ipſum conſola- ac recreat,quòd vobis vtique teſtibus adu- onis nulla mihi deprecanda ſit opinio : ha- ítque hæc mea oratio, ſi minùs in aſſequen- tantarum rerum dignitate gloriam , in præ- anda certè fidem , exiſtimationémque veri- is. Non enim vereor, cùm nondum ab eo

adoleſcente, ſed penè puero, inuſitata quædam, atque anteactis ſeculis inaudita, ſuſcepta eſſe dixero. cùm eum vixdum totos ſedecim annos natum, partim Imperatorem appellatum, commiſſos in eius fidem ingentes exercitus, infinitorum hominum ciuitatúmque ſalutem concreditam, turbulenta atque impedita negotia conſilio eius explicata, incredibili ſolertia adminiſtrata, ſumma cum felicitate tranſacta confectáque protulero; non inquam vereor, ne mihi ex iudicio, atque opinione cuiuſquam, aut vulgari ætati illius ac cæterorum hominum captu fides atque authoritas derogetur. Nihil hìc ego de cauſa mihi diſputandum cenſeo; non quæro quánam occaſione ciuiles ij motus, in quos coniectus ille atque præcipitatus eſt, cuius ſint culpa concitati. Hoc mihi ad purgandum Principem ſatis eſt, quòd inuitus, quòd aliis cogentibus quòd domeſticis calamitatibus, quòd quotidianis vitæ periculis, quòd officij neceſſitate quòd acerbitate inimicorum, atque odio compulſus, in eas ſe temporum procellas ac tempeſtates commiſerit. Itaque quòd in his potiùs tumultibus ac ciuilibus bellis cùm vniuerſa illius propemodum vita tum primum illud adoleſcentiæ curriculum conſumptum eſt, id ego fatali cuidam atrocitati temporum, ac neceſſitati tribuo: hoc egregiæ virtutis ac præſtantis animi proprium puto, quòd tot deinceps certaminibus exercitus, tot iactatus incommodis, tot ærumnis atque anguſtiis circumuentus, præter fidem hominum plerumque victor, ſaluus ſemper atque incolumis euaſerit. Quod enim,

one, tempus illud fuit, cùm intentis in
num potentissimi Regni viribus, ac to-
nperij robore collecto, solus ex aduerso
is ille quidem, ac constans, sed desertus,
ab omnibus copiis, ac præsidiis impara-
iuuenis consisteret? Qua tum magnitu-
nimi ac fortitudine validissimorum ho-
impetus ac ferociam repressit! vt qua-
ix totis annis decem omnino instructis-
fortissimos exercitus sustinuit! Quid
vnquam ostentator ille decoris sui Græ-
opulus, aut domina quondam terrarum
experta est? Quæ tametsi in Pompeio
nperatoriam ante annos virtutem, pluri-
& maxima eius ope confecta bella præ-
nihil tamen habet, quod non, vt splen-
ortasse ac specie maius sit, difficultate ta-
psa ac magnitudine superetur. Quid
um rudibus efferatísque gentibus nego-
rcitatissimis, ac peritissimis Ducibus esse
? quos non arma ipsa, non hostium im-
non scientia militaris ac virtus, sed in-
illis barbaries, pugnandi inscitia, incon-
us ardor, ac temerarius, Romani deni-
ominis terror ac maiestas perculerat.
vt abessent maximè omnia, tamen pro
ustri Reip. atque Imperij fortuna, pro
opibus bellicísque subsidiis, nihil tam
m atque arduum esse poterat, quod non
diocri peritiæ atque industriæ debitum
ur. Hîc siue ad eos spectes, quibus cum
i nostro confligendum in omni vita
âdem ex gente, iisdem ex moribus, at-
stitutis erant, qui esse poterant fortissi-

mi : siue copias vtrinque, & apparatum consideres, ita gesta omnia sunt, vt perpetuò cum numerosis ac confertis exercitibus, militum paucitas, atque inopia, cum profusis sumptibus egestas, cum potentia solitudo; cum securitate ac fiducia metus, cum vsu rerum & experientia, nondum firma corroboratáque ætas in certamen veniret. Quamobrem nihil in ea omni laude, ac gloria, præter vnicam illius vitutem, ac fortitudinem, externarum rerum vlla decerpere sibi ac vindicare meritò possit. Quanquam non perinde sum ac debui locutus (Auditores) Neque enim tam hæc illius adscribenda viribus sunt, quàm summi illius ac præpotentis Dei fauori ac voluntati tribuenda, Qui quidem suæ in tuendis promouendisque Principibus curæ ac sapientiæ clariora in nullo quàm in eo Rege signa atque indicia patefecit. Quod nisi ita prorsus fuisset, quæ vis illum, aut solertia obrutum his vndarum fluctibus,atque oppressum mole rerum ac pondere, non dicam ad Imperium tam admirabili atque insperato cursu prouehere, sed vel ab occasu atque interitu seruare atque eripere potuisset? Hîc ego tametsi nolo in colligendis superiorum temporum calamitatibus renouare sopitum dolorem vestrum, nec obductam vulneri cicatricem tristissima præteritorum recordatione scindere; libet tamen quasi pendente manu titubanter ac strictim tangere; vt cùm recentem hanc paucos ante annos flammam Reip. atque Imperij vastitatem reputaueritis animo, faciliùs & diuini benefici j magnitudinem, & illius quem prædicamus, singulare decus,

egregiáque in nos merita æſtimare poſſi-
Fingite igitur animis cogitationibúſque
:is priſtini atrocitatem temporis, atque in
gro poſitam rem omnem eſſe putatote. Re-
te paululum apud vos quàm funeſta regni
ıs eſſet ac luctuoſa ſpecies; cùm domeſti-
liſcordiis atque inteſtinis ſeditionibus qua-
ntis quibuſdam agitata turbatáque Gallia
n ipſa in perniciem atque exitium conſur-
t; cùm per omnes Ciuitates ac Prouincias,
t ſigno dato, ad arma, cædes, incendia, pro-
ptiones, direptiones, concurſus vndique
t perditorum: cùm nullo propinquitatis,
o neceſſitudinis, nullo humanitatis fœde-
c ſenſu relicto, immanes atque efferati ho-
es imbutos ſemel cruore ciuium gladios,
ntum, filiorum, fratrum, conſanguineorum
ılis ac ceruicibus intenderent: cùm nulla,
nde vt in humano corpore, florentiſſimi
erij pars eſſet, quæ non importuni illius ac
liſſimi morbi contagione tabeſceret; cùm
il mali aut calamitatis foret, quod non boni
im viderent, partim metuerent; improbi
auderent, aut vehementer ſperarent.
Hanc ſi quis miſeri calamitoſique regni de-
natam imaginem ex alto, ac tamquam è ſu-
ni ſpecula, proſpiceret, repræſentari vnquam
ıs incolumitatem; ac componi ſedaríque
; diſſenſionum turbines poſſe crederet: Non
peratas ac depoſitas Galliæ res concidiſſe
itus vel gemeret, ſi quid apud eum amor
tri, ſi quid communis humanitas poſſet;
, ſi hoſtili in nos atque implacabili mente
t, hoc ſe iucundo certiſſimæ noſtræ cladis

atque exitij ſpectaculo paſceret? Non quiduis denique exiſtimaret potiùs, quàm reſtitui in integrum illud poſſe, atque extremam ab eo peſtem ac perniciem depelli? Quòd ſi eadem illa cogitanti futurum hoc tamen certiſſimus quiſpiam author, vel Deus ipſe confirmaret, itaque diceret: Viden' conſumptum ſuis flammis, profligatúmque hoc Imperium? Breui illud tibi ex eo incendio vnius hominis opera ac virtus detrahet: Veniet paulò pòſt qui lucem iis ac ſalutem afferat; cuius beneficio non modò in integrum reſtituantur, ſed & meliorem ac pulchriorem ſtatum vniuerſa recipiant. Hæc cùm ſtupens atque attonitus audiret, quemnam ad id ſibi potiſſimùm idoneum deſcriberet? Opinor, eum qui opibus, authoritate, potentia floreret; cui ad manum omnia abundéque ſuppeterent; qui ornatiſſimos exercitus, paratiſſimas copias, qui ciuitates muni-tiſſimas, ampliſſimas Prouincias poſſideret, abiectum verò illum ac deſertum ſine Imperio regnum, ſine potentia principem, ſine exercitu Imperatorem, extorrem patria, hæreditate pulſum, ſpoliatum ornamentis omnibus, penè ſingulis momentis de vita ac ſalute periclitantem, ne ſuſpicaretur quidem. O altiſſima ſemper, abditáque Dei conſilia! Meminerit quiſque qui per omne illud tempus hominum ſermones opinionéſque fuerint, ac quid ipſe animo conceperit, quid ſtatuerit, quid aut optauerit aut timuerit aliquando: tum quid poſtea factum ſit, animaduertat: neceſſe profectò erit, fateatur, multo meliùs à Deo rebus noſtris, quàm à nobis ipſis eſſe conſultum; nec

dubitabit

tabit quin quem eò peruenturum nequa-
n crediderit, aut fortaſſe noluerit, neſſariò
t eligendus.
tenim putate vos in communi Galliarum
ilio, ac quibuſdam totius regni comitiis
ari; agatur de eo rege conſtituendo, qui tot
l vulneribus mederi, atque inclinantem
ipitantémque Galliam humeris ſuis ſuſti-
poſſit. Ecquem igitur vna voce, omni-
que ſuffragiis vniuerſi principem declara-
:? Nónne eum, qui quidem primùm ad
undam ſuperandámque tantam difficul-
m molem altiſſimâ eſſet animi magnitudi-
c conſtantia præditus? qui armorum ſcien-
vſúque militari plurimùm præſtaret? de-
verò qui tam dubiis, tam formidoloſis
is conſilio tractandis perſpicaci ingenio;
lentíque ſolertia eſſet inſtructus? cùm,
d allici conciliaríque homines ac pleraque
euolentia perfici oporteat, in quo plena
nia eſſent humanitatis, clementiæ, lenitatis?
hæc quoniam ex religionis fideíque diuor-
conflata illa principiò ſunt diſcordiarum
ina, qui veram ac ſinceram in Deum pie-
m non credulitate modò quadam, & vitæ
norum profeſſione comprobaret? qui ad
npenſandam bellorum iniuriam, colligendáſ-
fœdiſſimi naufragij reliquias liberalitatem
magnificentiam afferret? qui in regendis
bus æquitatem, cum finitimis concordiam,
n hoſtibus iuſtitiam, fidem cum omnibus ac
derationem teneret? poſtremò qui omni-
us & animi & corporis ornamentis tueri
pliſſimi Imperij dignitatem, ac maiorum
gloriæ

gloriæ reſpondere poſſet? Talem arbitror, vt id arbitrio veſtro ac poteſtati permiſſum ſit, moderatorem regni vnicum ad deploratiſſimi temporis remedium quærendum exiſtimetis. Ergo is vobis nullo veſtro conſilio, ſed diuinitus oblatus, & ſumma noſtra oportunitate huic regno impoſitus eſt, qui ita in ſeſe, quæ dico, expreſſa haberet omnia, vt non tam propter eum præſcripta, quàm de eius vita deprompta atque informata videantur. Qui ea primùm fortitudine ac magnanimitate fuit; vt cùm nemo poſt conditum hoc regnum grauiora ac moleſtiora perpeſſus ſit, tum nemo ſuſtinuerit ac tolerarit conſtantiùs. Cuius ab ineunte pueritia per aſſiduos labores ac quotidianas ærumnas vita eſt omnis penè ad affectam vſque ætatem perducta. Qui à teneris annis in ludo quodam diſciplináque patientiæ edoctus, nihil vnquam earum deliciarum attigit, quibus oblectari ætas illa ſolet; nihil operæ ac moleſtiæ detrectauit, quod adultis ac grandioribus conueniret. Qui in adoleſcentia nullius fere Imperatoris miles, Imperator ipſe fortiſſimis ſemper atque acerrimis militibus præfuit. Qui non fictis & adumbratis concertationibus; ſed multis ac bellicoſiſſimis hoſtibus; non legendis meditandiſque domi præliis, ſed ſuis ipſe periculis, non alienis denique auſpiciis, ſed ſuo ductu & Imperio bellicam ſcientiam ac militarem artem didicit. Quod enim belli genus eſt, in quo non illum fortuna ſua aut neceſſitas exercuerit? Externum, ciuile, conflatum ex vtroque, cum Regibus, cum Ducibus, cum Principibus, ſubitis atque inopina-

tis

tis prœliis, collatis in acie signis, vrbibus, aut oppugnandis, aut defendendis, variis ac dispersis in locis: quibus ex omnibus exigua admodum offensione, cum victoria ferè semper, nunquam sine eximia laude ac gloria reuersus est. Quod eo admirabiliùs est, quòd non pauca illa aut rara, sed innumerabilia ac propè continua fuerunt. Quorum quidem iniri ratio atque ad nos peruenire memoria potuit; instructis ordinibus, iustóque ac denunciato prælio vicisse ter dicitur: fortuitis autem ac temerariis quadragies: in vrbium aut castellorum obsidione trecenties: quibus verò in conflictibus non consilio modò præfuit, sed & manu ac robore decertauit, centum & quadraginta memorantur. Quanquam quod esse potest illustrius monumentum bellicæ virtutis ac fortitudinis, quàm istud ipsum Imperium ex hostium manibus, atque ex iis, quas paulò antè commemoraui, calamitatibus ac periculis ereptum: nec ereptum solùm, sed ciuitatibus ac prouinciis receptis, amplificatum atque auctum: nec auctum modò, atque ereptum, sed ad terrorem hostium munitum, ad sociorum perfugium patefactum, ad ciuium securitatem firmissimis præsidiis ornatum, ad eorumdem vtilitatem omnibus bonis atque commodis refertum? Atque hæc qua celeritate gesta sint, quanto porrò sudore ac labore constiterint: vt infinitis sese curis, angoribus, vigiliis dies noctésque confecerit: vt vitam sæpè corpúsque suum infestissimis hostium telis exposuerit, sanguinem profuderit, omnes non solùm optimi Imperatoris partes, sed & strenui militis expleuerit:

rit: vt quadraginta circiter totos annos hisce in certaminibus, ac partim suorum salute procuranda, partim maiorum hæreditate vindicanda posuerit; hæc & alia id genus pleraque, quòd neque comprehendi oratione omnia possunt, & sunt vobis quàm mihi notiora, prætermitto.

De prudentia atque consilio breuiter dico: quæ quàm in eo admirabilia fuerint, aut esse debuerint, eædem illæ gestæ ab eo res, administratæque testantur. Si enim plurimarum ex rerum experientia agendi cogitandíque prudentia ac solertia comparatur, quis eo perspicacior, cui tot secundarum aduersarũque rerum vicissitudines, tantæ negotiorum & administrationum varietates, tametsi hebes esset, ac tardior, non mediocrem tamen vsum ac scientiam afferre potuerunt? Idem cùm à naturæ insitum quoddam ac proprium haberet acumen ingenij, vt, vel citrà periclitationem ac doctrinam, per sese suapte indole niti posset, quantam ex amborum concursu vim sagacitatis ac prudentiæ in illius animo collectam fuisse putabimus? Quid? Bellum illud tam longè latéque dissipatum, quo vniuersæ Regni partes ac Prouinciæ præmebantur, potuitne sine incredibili consilio, iis, quas modò dixi, angustiis atque inopia sustineri? Potuit postremò tam opportunè felicitérque pacatis omnibus, atque in potestatem redactis, sedari ac comprimi? Quid ea quæ postmodum consecuta sunt; in ambustis ac fumantibus adhuc Reipublicæ reliquiis instaurandis, in tractandis mitigandisque hominum offensionibus, constituendis legibus, sancienda regni disciplina, externis hostibus pro-

pulsan

pulſandis, veteri Imperij dignitate recuperanda? Nec minora illa adiicio, quæ ab eadem ſunt naturæ bonitate atque indole profecta; quàm acutus in reſpondendo, quàm in capiendis intelligendiſque rebus celer, in diiudicandis acer fuerit, ac perſpicax, non magnis illis dicò ac ſeriis tantùm, ſed & minutis interdum ac leuiſſimis. Teſtis eſt omnis illa ſcitè ab eo arguteque dictorum nonnullorum etiam voluminibus comprehenſa multitudo. Teſtis eſt Italia, quam tumultuantem conſilio ſuo atque authoritate compoſuit. Teſtes Belgarum ac Batauorum Prouinciæ, quæ ad illius ſe conſulta ſæpiùs atque arbitrium accommodarunt. Teſtes exteræ nationes ac Principes, qui illius voluntatem pro legibus, pro mandatis conſilia, decreta pro oraculis amplexi ſunt

Sed ab earum me commemoratione virtutum, rapit ad ſe iamdudum, atque omnem dicendi copiam abſorbet, quæ in eo præ cæteris eluxit, animi facilitas, & clementia. Hoc enim præcipuum vitæ totius ac laudis argumentum, hic campus eſt, in quo iactare ſe quamlibet magnificè ac triumphare poſſit etiam infantis atque indiſerti oratoris facultas. Hæc cætera ornamenta ſic lucis ſuæ ſplendore complet, atque amplectitur, vt contuentium oculos, non quia maior præſtantiórque reliquis, ſed quia iucundior & gratior eſt, in ſeſe vna propemodum conuertat; hæc aliis quidem virtutibus debitum, ſed huius vnius præſertim beneficio promeritum Magni illi cognomen attribuit; vt quod pauci demoliendis atque euertendis oppidis, expugnandis Prouinciis, profligandis

dis exercitibus, cruore hominum ac cæde sibi pepererunt, id ille protegendis suis, conseruandis etiam hostibus, liberandis ciuitatibus, propulsanda ab hoc Imperio vastitate, prohibenda Galliæ totius internecione, quæreret. Quid enim tam cuiquam insitum atque infixum fuit, quàm eius naturæ, mansuetudo atque humanitas? Quis tam cupidè quos maximè odisset, vlcisci ac persequi optauit, quàm ille eos, qui se acerrimè oderant, seruare atque eripere studuit? Quis eius quem in potestate non haberet hostis tantopere sanguinem ac necem expetiit, quantum ille eorum salutem ac dignitatem, quos cum armis rebelles adhuc ac contumaces vicisset? Quis denique optimè de se meritos tam prolixè liberaliterque remuneratus est, quàm is infestissimos quondam atque inimicissimos homines sibi amplissimis beneficiis atque honestissimis conditionibus deuinxit? Scitis eiusmodi in bellis ac ciuilibus dissidiis quantæ simultates atque offensiones suscipi soleant, quàm altè reposita penitúsque defixa in intimis sensibus hæreat præteritarum iniuriarum recordatio; sic vt plerumque armis positis exulcerati animi dolor ac vindictæ cupiditas efferuescat. Quæ in summa præsertim nobilitate ac potentia eo ardentiora sunt, quo plus ij licere sibi propter authoritatem, minúsque contra quæ velint, obsisti putant oportere. Adde his victoriam, quæ ferox vt plurimùm est, & impotens: Adde armati licentiam, quæ regere se ac cohibere minùs potest: Adde iustam in plerosque iracundiam, quæ consilium omne perturbat,

ac

ac diſſipat. Quis noſtrûm, qui eum non noſſet, victoriæ exitum, non pertimuit? Quis ſi plurimorum ſanguine expiari tam inueterata odia, atque aboleri poſſe credidit? Quis, vt reprimi hæc ad tempus diſcordiarum incendia quiuiſſent, non manſuras diu eorum ſcintillas, ac prima quaque occaſione in flammam erupturas putauit? Quæ tamen omnia ita HENRICVS noſter clementiæ ac benignitatis ſuæ fonte reſtinxit, vt ne veſtigium quidem vllum in animis ſuis inimicitiæ & acerbitatis reſederit; ſic vtraſque partes tandiu ſtudio ac voluntate diſtractas in vnum ſocietate ac concordia ligauit, vt multo quàm antè arctiùs firmiúſque coaleſcerent. Itaque non occulto poſtmodum indicio vetus hoſtis eſt ab amico diſcretus: non ex armorum partiúmque coniunctione propenſior in quemquam fuit: eadem in omnes atque æquabilis voluntas, niſi ſi quem officiorum magnitudo, & integritas maior plus cæteris commendaret. Hac ego vna virtute, non armis, non conſilio confectas res tantas, ac bellicoſiſſimos hoſtes arbitror ſuperatos. Non enim proſternere, aut campo deiicere hoſtem, vincere eſt. Vincitur nemo, niſi qui ſe victum eximat, niſi qui animo, qui iudicio, qui voluntate vincitur, qui inferiorem denique ſe ſentit & agnoſcit altero. Hoc autem non iam manu, ac militari robore, ac ne clade quidem eorum qui expugnantur, aut calamitate extorqueas, cùm iidem illi qui ſuccubuerint caſu aliquo, ac fortunæ inclinatione fractos ſe, non viribus oppreſſos fateantur. Tum demum victos ſe intelligunt, cùm cuius ſuſtinere

nere impetum non potuerint, eius clementia ac pietate subleuantur.

Dedimus iam eum hactenus suffragiis vestris Principem, qui fortitudine, prudentia, lenitate turbulentis illis tempestatibus esset aptissimus. Nunc, quod istiusmodi dotes sine pietate ac religione imbecillæ, aliquorum etiam iudicio nullæ atque inanes sunt, pium deinceps ac numinis cultorem dabimus & patriis ritibus ac religioni addictum. In quo etsi pristinæ labis atque erroris recordatio fuscare orationẽ nostrã, ac decerpere de laudis istius magnitudine nonnihil videatur, tamen cùm excusari facillimè qualiscumque hæc culpa potest, tum nescio quo pacto ad insequentis pietatis commendationem pertinet. Cogitate hominem primò ab iis informatoribus imbutum, à quibus penè cum lacte nutricis errorem ac falsitatem suxisset: tum qui alios homines nullos vidisset: qui postea inter tubarum strepitus & clamorem militum adultus seriò ad hæc animum adducere nunquam potuisset. Mitto huiusce fraudis architectorum, qui tum nuperrimè prodierant, artes, atque illecebras, quàm callidè simpliciorũ mentibus obreperent; vt simulatione virtutis ac specie quadam pietatis ementitæ innumeros è plebe, ac nonnullos etiam omnium ordinum Principes in sectã suam ac factionem pertraherent. Ab his si inductus ille, si cum multis in communem hanc calamitatem vitio temporum prolapsus est, non tam ob id culpandus, quàm eo nomine vel maximè celebrandus est, quòd ab eo sese cœno, in quo nullo suo consilio, sed impositus ab his atque implicatus hæserat, vt

primùm commodè potuit, certo animi iudicio ac voluntate ſubduxit. Soleo equidem ſæpè eorum inter ſe conditionem conferre, qui in veritatis luce atque Eccleſiæ ſinu procreati integram ſemper fidem ſuam atque inuiolatam præſtiterint, quíque aliquando contractum errorem ſcientes ac prudentes depoſuerint. De quibus ſic ego exiſtimo; illos in ſuſcipienda fide plus felicitatis; alios, laudis ac virtutis aſſecutos. Illi enim ſine ſenſu atque arbitrio, quod fortuitò oblatum eſt, arripiunt: hi cum delectu ac ratione probatum ſibi ac cognitum ſequuntur. Quo fit vt in religione plerumque retinenda firmiores conſtantioréſque illi ſint, hi languidiores ac minùs ſoliciti: velut qui relictum à maioribus patrimonium acceperunt, non perinde ſunt in eo conſeruando diligentes, atque ij qui rem familiarem opera ſua & induſtria pepererunt. Quamobrem ſit illud primum ætatis crimen, ſit imprudentiæ, ſit erroris: Illud verò iam conſilij, ac grauitatis, quòd ab eo ſe detrahi, atque ad Catholicam religionem applicari ſit paſſus. Quod quidem factum quàm admirabile, quàm illuſtre, quàm contra omnium fidem, quàm optatum magis quàm ſperatum acciderit, ne commonere quidem vos neceſſe habeo. Mihi verò naturæ in eo præſtantiam ac bonitatem reputanti, minùs illud mirum videretur, reuocari ad lucem vnquam illum atque emergere potuiſſe, quàm tandiu hæſiſſe in ea nocte, atque his tenebris, niſi id perditorum quorundam culpa atque improbitas feciſſet. At quàm verè, quàm ſyncerè, quàm ex animo, quanto noſtro cum gaudio, quanta
potius

totius orbis gratulatione, ad Ecclesiæ concordiam ac societatem adiunctus est?

O diem illum (Auditores) iucundissimum bonis omnibus, Galliæ optabilem, exteris gentibus ac nationibus admirabilem, posteris stupendum, Magno illi Henrico ad prædicationem ac gloriam sempiternum, quo die ad ingentes illas æternásque victorias, sui postremò gloriosiorem multo atque illustriorem victoriam adiecit. Cùm frementibus licèt atque indignè ferentibus iis qui iactatione rerum ac publicis quassati Imperij miseriis pascuntur, ad Romani se Pontificis obedientiam traduxit. Quem deinceps studij atque obseruantiæ cursum, quandiu vixit, omnibus sibi officiis retinendum putauit, vt præclarè traditam sibi à maioribus, atque ab ea Sede transfusam prærogatiuam adoptionis, ac possessionem nominis tueretur. Audiant hoc Hæretici greges, qui singulari, stultitia dicam, an arrogantia ac scelere, impositum Christianorum ceruicibus à Deo iugum abiiciunt: qui conflare quoad possunt huic nomini inuidiam, atque ineptè imperitéque eleuare authoritatem Sedis illius ac potestatis student: qui de Regia Maiestate atque amplitudine tantum decedere calumniantur, quantum ritè atque ex instituto Maiorum, Petri successoribus, Vicariis Christi, regni cœlorum ac salutis nostræ arbitris reuerentiæ ac cultus accesserit. Audiant hoc, inquam, ac Magni Principis documento sapiant si possunt; si non possunt, videant quàm honestè Inferorum portis ministros se ac satellites præbeant. Ad Romani Pontificis pedes supplex ecce Henricus, & humilis

milis profternitur, & profternitur Princeps, & rerum geftarum gloria ac tot triumphis & victoriis celeberrimus Princeps. Eant nunc homunciones ifti, & inuictiffimi Regis fui factum atque confilium reprehendant. Audeant contra tantæ Maieftatis præiudicium frontem fuam ac fupercilium opponere.

Sed nefcio quomodo ab optimi & præftantiffimi Regis laudibus ad eum fum locum ac querimoniam impetu quodam Orationis abreptus. Tametfi eò illud omne pertinuit, vt infignior eius cum pietate coniuncta moderatio effet, qui id in tanta potentiæ magnitudine alienum à fe non duxerit, quod priuati atque ofcuri homines facere, per contempum ac fuperbiam non fuftinent. Age verò quæ in reliquo vitæ inftituto religionis integritas? Sinite me (Auditores) minora illa ac quotidiana prætermittere. Illum dico diuinis in rebus fenfum pietatis, illam in auguftiffimis facrorum ceremoniis frequentandis modeftiam, vfurpandis reuerentiam, commendandis ardorem atque induftriam; ac fi qua eius generis alia funt, quæ per fe non maxima, his moribus atque in tanta nobilitate præfertim, in admirationem ac penè miraculum cefferunt. Sunt his maiora multò certioráque indicia pietatis: quæ etfi breuiter perftringenda hoc loco pro temporis breuitate funt, fileri tamen penitus fine aliquo flagitio non poffunt. Neque enim credo ferendum exiftimetis, fi de incenfo adeò inflammatóque propagandæ Ecclefiæ atque amplificandæ religionis ardore nihil dixero: fi inftauratas templorum ruinas; fi redditum ciuitatibus

uitatibus priſtini cultus decorem; ſi repreſſam, debilitatámque hæreticorum audaciam, ac Catholicorum fiduciam erectam; ſi conſtitutam vbique veri dogmatis libertatem prætericero. In quibus, ſimul atque reſpirare paululùm ab armis licuit, vniuerſa ſunt illius dicta, facta, cogitata, conſilia defixa. Quoties ad frangendos hæreticorum impetus ac latratus, idoneos homines opportunis in locis diſpoſuit? Quoties cum iiſdem illis priuatis in colloquiis ac ſermonibus mira facilitate ac lenitate congreſſus eſt? Quoties aut ad mentis ſanitatem reducere contendit, aut reductos omni beneuolentiæ ac voluntatis ſignificatione peramanter atque humaniter complexus eſt? Quinetiam vt quàm plurimos ea vtilitate ac tam præclaro beneficio comprehenderet, non dubitauit, eos, quos ad eam rem opportunos atque aptiſſimos iudicaret, à proſcriptione atque exilio retractos, publicam in lucem ac libertatem aſſerere. Fuit hoc profectò, non religioſi tantùm animi, ſed & inauditæ humanitatis, ac clementiæ; calamitoſis atque afflictis hominibus (mitto quo ſuo merito: euellatur enim ex animis præteritæ acerbitatis atque offenſionis recordatio, quando eſt omnis iampridem teterrimæ famæ ac ſuſpicionis depoſita) perculſis, inquam, ac naufragis tam ſubitò receptum ad gratiæ ſuæ atque amicitiæ portum concedere: horum ſe patronum ac defenſorem profiteri, imponere omnibus in regni ſui Prouinciis, commendare exteris nationibus, conciliare Barbaris, per eos in Oriente ac Græcia renouandæ Eccleſiæ ſpem, atque inſtauran-

dæ

æ religionis patefacere: vt quò nondum armis atque imperio peruenerat, ibi virtutis suæ c pietatis vestigia collocaret.

Nolite hæc quæso (Auditores) quæ à me ucvsque de Christianissimi Regis laudibus isputata sunt, breuitate potiùs dicendi, quàm agnitudine singulorum expendere. Ignoscetis nim vtique, si pro tam exiguo orationis spao, tātáque tenuitate mea, vberrimis atque amlissimis in præconiis id mihi permittam, vt naquoque molliùs celeriúsque defúgar. Quare ùm Regem vobis, diuinitus huic quondam mperio datum, præcipuis ornamentis descripsrim, in iisque adumbrandis duntaxat plus tiam aliquanto iusto tempore consumpserim, on grauatè, opinor, cætera à me in præsens missa, relicta vobis esse patiemini. Quæ sunt iusmodi (Auditores) vt partim leuiora minoráque, partim his quę dixi, consentanea sint; artim depromi ex vestra memoria faciliùs, uàm à me attingi delibaríque, possint. Eritis gitur de iis omnibus hac vna verissima testifitione cōtenti: Omnes in vno illo regias artes, mnia pacis ac belli ornamenta sic excelluisse, cùm singularum laude nemini cederet, vniersarum gloria facilè omnibus præcelleret; ntum verò dissimillimarum alioqui virtutum ncentum ac consensionem extitisse, vt neque mitate grauitas, nec maiestate simplicitas, nec simonia liberalitas, nec facilitate iustitia læretur. Iam priuatis in rebus frugalitas, in pucis splendor, in factis ac sermonibus veritas, fide constantia, in quotidiano conuictu ac nsuetudine lepor atque vrbanitas, cuius in

moribus Principis maior vnquam atque admirabilior eluxit? Nam illam corporis firmitatem, dignitatem oris, frontis maiestatem, honorem capitis, acrem ac micantem oculorum aciem, illam tot ex curis ac vigiliis potiùs quàm ex ætate acceleratam ac venerandam canitiem idcirco commemorare vereor, ne si illius speciem atque imaginem propiùs expressero, (quod paulatim fieri in vobis sentio) nimis acri vos illius ac viua recordatione acerbissimo mœrore molestiáque conficiam. Quare adhibebo modum orationi meæ; faciámque quod sæpe in propinquorum luctu fieri vidimus, vt ab coniugum aut filiorum aspectibus mortuorum simulacra, aut insigniora quædam monumenta ac vehementiora subtrahantur. Ita ego quam proposui vobis hactenus optimi Regis ac charissimi parentis effigiem, remouebo ab oculis vestris ac sensibus, nec de miserabili ac luctuosissimo illius exitu dicam: quod sine ingenti dolore atque animi cruciatu dici à me, audiri à vobis non potest. Sileatur plaga illa miserrima, quæ in eius corpore recepta, imposita Reipublicæ est, penè illa quidem insanabilis ac mortifera, nisi præsenti rebus nostris subsidio rara illico & inusitata Dei bonitas affuisset. Magna eodem tempore (Auditores) diuinæ in nos primùm seueritatis, mox clementiæ ac bonitatis exempla ætas nostra protulit: magna sanè ac nescio an ex quo hoc regnum conditum est, luculentiora & grauiora vnquam contigerint. Credéntne hoc posteri potuisse fieri, vt fortissimus ille atque inuictissimus HENRICVS, decus

tas orbis terrarum, Christiani nominis deliciæ, potentissimi Regni propemodum conditor; ille, inquam, vt subditorum sibi parens, sic finitimorum ac longinquorum hostium terror, tot bellis atque victoriis perfunctus, tot ereptus periculis, Imperio ac pace longè latéque compositis, in medio suorum stipatu ac ciuium veluti complexu, vnius perditissimi atque execrandi hominis nefario scelere, in ipso regni sinu ac gremio concideret? Credéntne secundùm hunc atrocissimum ac funestissimum interitum, in tanta improborum copia, tantóque metu omnium ac trepidatione, nihil neque ab externis, neque ab intestinis hostibus fuisse commotum? Puero Regi potentissimi quondam Regis filio, sub desertæ afflictæque matris tutela derelicto tam pacata repentè omnia, tam ad nutum voluntatémque cessisse? Tantum illi vel Parentis memoriam, vel spem virtutis atque indolis, vel Dei potiùs fauorem, ac præsentiam contulisse, vt inclinantem ruentémque molem Imperij vnus cum Matre, teneris adeò atque imbellibus humeris fulciret: Hæc diuinæ pietatis prodigia, non omnino tamen destitutos nos esse; respicere illum adhuc res nostras; adhuc spei aliquid restare nobis ac præsidij confirmant. Si concidendum nobis penitus fuisset; si scelerum nostrorum ac criminum pœnas exitio nostro repetere diuina iustitia vellet, illo profectò tempore fecisset. Occidere hoc vno calamitatis ictu profligari regnum istud potuit, si perire debuisset. Quod quia factum non est, bono animo esse nos conuenit (Auditores) & hanc infelicissimæ

cladis molestiam innocentis huius, Deóque acceptissimi Imperij iucundissima spe ac certissima lenire.

Tu summe Regum ac Pricipum moderator, cuius in manu ac ditione vertuntur omnia: qui perditissimis nostris temporibus, singulari Parentis virtute, nutu tuo ac potentia subuenisti: qui illius opera extremam ab hoc regno pestem ac perniciem depulisti: qui eundem ad malorum nostrorum remedium ac solatium commẽdatum, postremò mœrentibus licèt nobis occulto consilio sustulisti: Patere hunc nobis hæredem regni ac gloriæ, virtute non minùs quàm genere filium, LVDOVICI illius tibi quondam carissimi nepotem, nominísque participem, vtriusque religione, pietate, clementiâ, virtute, successione dignum, quàm diutissimè huic Imperio florentem atque incolumem præesse. Fuerit vnius occasu miserrimo tuæ in nos iræ ac iustissimo furori satisfactum. Adiice deinceps æquissimos illos atque humanitatis clementiæque plenissimos oculos; tenerámque ac saluti Galliæ fatalem HENRICI sobolem, non modò solitâ illâ, & vsitatâ, quâ cæteros Principes foues, curâ ac prouidentiâ prosequere: sed eo benigniùs ac diligentiùs tuere; quo in tanta solitudine atque inopia, tantáque ætatis imbecillitate penè in vnius tui tutela ac patrocinio conquiescit.

LVDOVICI XIII.
HRISTIANISSIMI REGIS
PANEGYRICVS.

Auctore

YONISIO PETAVIO
Societatis IESV.

PVblicæ apud Athenienſes pecuniæ debitoribus (Viri Ornatiſſimi) nullum tandiu Magiſtratum capere ac ne Reipublicæ quidem partem vllam licebat attingere, dum eo nomine diſſo- debitores eſſe deſiiſſent. Quod ſapientiſ- ciuitatis inſtitutum non ad pecuniæ ma- quàm ad cæterarum rerum atque officij ertim debitionem par eſt referri. Quum- m cùm ob publicum in nos Chriſtinianiſſi- egis Ludouici beneficium, & honorificum ocietate noſtra teſtimonium, publica à no- ratia laudatióque debeatur, nullum antè icè docendi munus vſurpare licet, quàm à nobis nomen fuerit officiumque perſolu- Quod enim tanto hoc interuallo ſuſcipi- nec eo præcipuè tempore eſt factum, quo

vniuersæ simul ludi huius scholæ reflorescere atque excitari cœperunt, id non vllo nostro vitio commissum, sed repentino casu impulsum esse meministis. Nam me, cuius eæ dicendi partes erant, grauissima tum ægrotatione scitis prohibitum fuisse, cuius ægrè sum ad hanc diem ex vi ac longinquitate recreatus. Nunc illud percommodè factum arbitror, minùs vt quod constitueram, perficere tempore illo potuerim: quòd neque inclinantis anni reliquiis tanti argumenti committenda dignitas, & ad illustriora ineuntis auspicia reseruanda videretur.

Ac profectò si attendere diligenter ac de omni instituto nostro existimare volueritis, ita statuetis (Auditores) genus esse orationis nullum, quod vel ad tractandum ex hoc loco amplius, vel hoc clarissimorum hominum consessu dignius, vel iis Scholarum initiis aptius excogitari potuerit. Etenim duo ferè sunt, quæ harum velut partim actori debent esse proposita: vt eam scilicet orationem instituat, quæ & ludi huius alumnis excitandis cohortandísque seruiat, & eorundem fructum cum scholarum splendore ac nonnulla cæterorum voluptate coniungat. Quæ quidem cum suscepta Christianissimi prædicatione Principis ambo esse video coniuncta. Quid enim primùm ad Scholarum nostrarum decus afferri magnificentius potest, quàm vt ab eo Rege instauratas illas ac propemodum conditas appareat, qui sit omni virtutum laude cōspicuus? Quid ad commouendos nostrorum animos, & ad præstantissimarum artium studia inflammandos efficacius,

,quàm vt intelligant tali se in tutela patro-
óque versari : & ad eius se informari &
lescere Principis obsequium, cuius non tam
honorem ac venerationem exposita maie-
, quàm admirationi & imitationi proposita
ularis esse virtus debeat ? Neque verò am-
onis est mihi adulationísque pertimescen-
uspicio , quòd vel collaudare omnino Prin-
em decreuerim ; vel eum ornare præsertim,
us tenera adhuc ætas , & in pacis quiete o-
que nutrita , vti magnarum rerum gerenda-
n opportunitate caruit , sic gestarum exem-
desiderat. Est enim illa primùm perpetua
ue constans officij lex , vti bene de se me-
s grata vicissim animi significatio tribua-
, etiam priuatis. Quod ipsum multo erga
ges adhibendum magis est, quo & illustrio-
horum beneficia sunt , & , vt pote ab omni
mutui quæstus aliena , præstantiore ex stu-
o ac voluntate deriuantur. Deinde illud pro-
tò ridiculum ; nullam in Principe satis ex-
lentem esse virtutem , quæ non oculos ex-
na quadam pompa ac splendore perstringat:
illo dignum aliud genus esse laudis arbi-
rari , quàm quod armorum strepitu , vocife-
ione militum , buccinarum cantu ac bellico
o tumultu & fragore circunsonet. Sic ista
litum exercituúmque præcipua laus,ac ne Re-
quidem, si id imperij ratio tulerit, repudian-
: magis tamen vt oblata necessitate tempo-
m , quàm studio quæsita & arcessita videa-
r Alia sunt Regiæ amplitudinis ornamenta,
æ non extrinsecus petita , sed inclusa in eo-
m animis ac domestica sunt : neque ex euen-

tu ac fortunæ temeritate pendent, ſed conſilio cuiuſque & voluntate continentur: non eorum denique cum aliis communicanda gloria eſt, ſed illorum tota eſt, & ſine vllo competitore propria.

Sed vt de cæteris hoc loco taceatur; quis eum Regem, qui Chriſtianiſſimus appellatur, quíque id vnum propemodum gloriandum ac præ ſe ferendum exiſtimet, aut aliter audeat, aut non eo præſertim laudis genere prædicare, quod ſit cum præclari nominis poteſtate coniunctùm? Quid autem aliud Chriſtianiſſimi vox illa declarat? aut quæ eſt tam excellenti vocabulo ſubiecta notio? Opinor eum ſignificat, qui & Chriſtianas omnes in ſe virtutes expreſſas habeat, & earum poſſeſſionem ſingulari erga ſe Chriſti beneuolentia ſit adeptus. Quæ duo cùm in Ludouico XIII. incredibiliter hactenus eluxerit, non vt in illo excitari laudum argumenta poſſint, ſed vt excitata corroborentur, ætas eſt optanda maturior. Ac mihi quidem (auditores) hic introitus orationis ſuſceptæ prædicationi conuenire maximè videtur, vt quanta in Principem noſtrum diuini amoris magnitudo ſit, priore loco conſtituatur. Ab hoc enim veluti fonte tot illa maximarum virtutum decora atque inſignia profluxerunt. Simul inſtituta à nobis laudatio eo minùs eſt inuidiæ & obtrectationis habitura, quo quicquid ad honeſtandum Regem noſtrum contulero, id ad illius, vnde iſta deriuata ſunt, honorem gloriámque pertinebit. Sed vt eò quò intendimus viâ ac ratione perueniamus, certa diſputationis totius fundamenta iacienda ſunt,

quibus

quibus positis reliqua nobis erit explicata ac perfacilis oratio.

Sic igitur ea de re cogitanti mihi veniebat in mentem: Omnium rerum, quas quidem infinita diuinæ sapientiæ prouidentiæque vis continet, nullam esse publicarum rerum moderatoribus ac Principibus, quam exquisitori illa studio diligentiáque tueatur. Non enim subitò ac fortuitò Principes existunt: neque temerè tantum in honorem ac celsissimam sedem dignitatis ascendunt: ac ne id quidem sola populorum consensione arbitrióque consequuntur. Sed vt magnarum rerum prudentis est diu antè constituere ac fundare primordia: sic quos moderandis hominibus diuina sapientia præficit, arcanis ac sempiternis antè suffragiis eligere solet, electósque omnibus ad id munus præsidiis & ornamentis instruere. Hoc si dubium esse cuiquam arbitrarer, vehementiúsque probandum, sacrorum ad id Librorum auctoritatibus & exemplis vterer. In quibus quàm id verum sit, certissimis est experimentis indiciísque compertum. Sed nec illud quod per sese expositum est, oratione persequor mea: & aliud tamen, quod eadem illa nos docent, præterire nefas esse iudico. Non enim populorum præsides modò Deus ac gubernatores instituit: verùm etiam quo in ipsum maiori illi pietate & obsequio feruntur, aut in eos vtcunque est ille propensior, eo rectores illis ac principes diligentiùs à se excultos ac perpolitos attribuit. Circumspicite modò animis (Audit.) orbis terrarum imperia, & quoad longissimè potestis, præteritam illorum memo-

riam præsentémque recordamini. Dicam paulò fortassis audaciùs, sed verè tamen dicam ex tot & tantis, quæ ad hanc diem extitisse scimus, Regnum omnino fuisse nullum, cui quidem vehementiùs quàm Christianissimo huic diuina lenitas indulserit; nullum quod propensiore cura beneuolentiáque complexa sit, quod arctioribus sibi vinculis adstrinxerit, obligarítque, nullum. Nolo vos illius contemplari modò situm ac domicilium. Nec illud existimari iubeo, quàm egregia ibi vbi est opportunitate positum fuerit. Mitto etiam illud quanti sit dicere, quòd in Europæ, Christianíque adeo orbis gremio ac sinu collocatũ: quòd immanissimarum crudelissimarúmque gentium partim incursioni ac feritati sit, partim commercio subductum. Sed nec illud commemorari admodum volo, quanta non ad vitæ solùm necessitatem, sed ad luxum ac delicias vbertate copiisque circunfluat. Illius denique opes, amplitudo, potentia, rerum gestarum magnitudo, ac cùm vetus omnis tum recentior gloria dignitásque taceatur. Duo sunt quæ à me proponenda breuiter, nam ad alia festinat animus; à vobis porrò diligentiùs animaduertenda censeo, ex quibus de singulari in hoc regnum Dei fauore coniecturam capere possitis. Quænam illa verò sunt? Diuturnitas primum imperij tanta, quantam nulli hactenus contigisse meminimus. Neque enim è Christianis quidem regnis proferri vllum potest, quod longiùs perpetuitate quadam successionis propagatum fuerit. Potest verò sine incredibili in nos Dei benignitate esse factum, vt ad mille ac ducentos

ampliùs annos, ex quo iaci illius fundamenta cœperunt, integrum atque incolume permanserit? Quorum enim ad diuturnitatem maximè insignis est memoria, paucis duntaxat sæculis præstante illo statu ac potentia floruerunt. Deinde siue domestico aliquo vulnere afflicta, siue hostium incursione lacerata, siue magnitudine sua collapsa, languentia paulatim ac distracta ceciderunt, veterísque fortunæ, sic tanquam naufragij, reliquias ad insequentis longinquitatem temporis traxerunt. Nostrum verò illud per tot annos non attenuatum opibus, non viribus infractum, non amplitùdine diminutum: sed perpetuis progressibus auctum, collatatum spatiis, robore est ac potentia prouectum: vt quantum velut cuidam illius iuuentuti longinquitas detraxit, tantum addiderit splendori. Alterum diuini illius amoris indicium est, quòd cùm iactatum sæpius, & atrocissimis tempestatibus penè obrutum fuerit; cúmque illud partim externi hostes assiduè vexarint, partim domestici tumultus exercuerit, victis ac superatis omnibus non solùm emerserit atque erexerit sese, sed pristinum decus noua semper accessione cumularit. Non est meum (Auditores) occultorum Dei consiliorum curiosiùs inuestigare rationem. Verumtamen si quâ vti coniecturâ licet, vna mihi præ cæteris eximium illum Dei fauorem prouocasse causa videtur, Christianæ pietatis vehemens & incensus ardor, &, quod ei proximum est, summus in Ecclesiam, Ecclesiæque Principem, hoc est, communem omnium Parentem, honor & ob-

ſeruantia. Veni enim mihi in mentem, quod in veteri lege præmium nominatim iis oſtenditur, qui parentibus ſuis honorem ac reuerentiam adhibuerint, patêre vulgi iudicio & opinione latiùs: Non enim vnum illud parentum genus intelligi, à quo corporum vitam atque originem traximus;ſed vel eos maximè, à quibus denuo ſati recreatíque fuimus, quorúmque cœleſtem ad vitam documentis inſtitutíſque formamur. His igitur qui officium ac cultum diligenter ſanctéque tribuerint, eodem illos præmio legis ac mercede par eſt affici, vt in terris longiore æuo perfruantur.

Nimis multa verba feciſſe videor (Auditores)nec dum tamen ea quæ Chriſtianiſſimi Regis ac ſuſceptæ orationis propria ſunt attigiſſe. Quanquam eſt id quod dixi cum ſumma illius laude implicatum & connexum. Nam ſi verè iſtud antè collectum eſt; quo ſunt diuinæ maieſtati Imperia quæque cariora, eo acriùs illam in ornandos eorum Rectores, ac velut fingendos incumbere: cùm ex omnibus primas huic regno gratiæ apud Deum deferendas eſſe ſtatuerimus, neceſſe eſt id in Principis ornamentum ac dignitatem redundet. Quare omnibus illum affluere animi bonis ac virtutibus conſequens eſt, ſine quibus tanti muneris ſuſtineri moles, & adminiſtrari nequeat. Sentio equidem quid tacitis veſtris cogitationibus poſſit occurrere. Nimis enim infinitum eſſe, quod à me dicitur, ex eóque id, quod falſiſſimum eſt, conſequi, parem atque eandem eſſe Principum omnium conditionem oportere, vt eorum animus præſtantiſſimis imperij artibus

artibus ac virtutum laude decoretur. Atqui pleroſque conſtat non optimos,quoſdam etiam flagitioſiſſimos ac corruptiſſimos fuiſſe. Verùm illud prudentiam veſtram latere non arbitror:ſic à Deo gratis quodammodò perpoliri Principem, vt qualem initio animi ſtatum adeptus fuerit, non ſine priuato labore, induſtria vigilantiáque retineat. Si honeſtè, ſi grauiter, ſi in omni vita officióque conſtanter ſe geſſerit, hæc quæ in illo inſita eſt animi virtus hærebit, imò etiam hominum ad fructum efflorefcet, commendationémque, latiùs. Sin aliter ac debet vitam ſuam & mores inſtituerit, tum ille regiarum virtutum decor & fulgor vitiorum ſordibus ac maculis obſoleſcet. Hoc igitur præclarum, & ad Regis noſtri prædicationem longè vberrimum eſt, quòd cùm in eâdem vitæ hactenus integritate innocentiáque perſtiterit, nec vllum cœleſtibus donis vllius ex contagione labis dedecus allini ſit paſſus, luculentiſſimum illud virtutum florentiſſimúmque patrimonium nulla ne leuiſſima quidem ex parte minuerit.

Quarum omnium expreſſas in Ludouico Rege notas, & quaſi veſtigia perſequi, etſi eſt nobis pro veſtro erga illum amore non moleſtum, longius tamen eſt, quàm vt tam anguſtis orationis hodiernæ ſpatiis poſſit includi. Itaque paucas ex omnibus libari neceſſe eſt, quæ ſint Regiæ amplitudinis ac Maieſtatis propriæ, quarúmque velut extet in turba nitor & emineat, vt ex iis cæterarum conjecturam & exiſtimationem informare poſſitis. Harum porrò prima hæc ordine ac commemoratione

debet

debet esse, quæ est dignitate princeps; pietas aduersus Deum ac Religio: per quam factum esse paulò antè monuimus, vt hoc imperium incredibili apud Deum gratia, diuturnitate, constantia, amplitudine, gloria, reliquis omnibus antecelleret. Hæc itaque quàm ardens in Ludouico Rege, quàm supra ætatis propemodum captum vehemens ad hunc diem ac fortis extiterit, ex hoc vno argumento cognoscite. Soleo equidem sæpe mirari, idque summa cum voluptate meminisse, quod ab idoneis authoribus compertum ac crebris vsurpatum sermonibus accepimus: nihil tam penitus cuiusquam animo insitum & infixum esse, quàm Christianissimo Regi Ludouico lethiferæ culpæ, & vehementioris apud Deum offensionis odium quæ mutuam inter nos & illum amicitiam non paulatim dissuit, sed repentè præcîdit. Hanc illum capitalem animi pestem ac perniciem arbitrari, hanc in omni vita ac consuetudine vereri, huius adeo contagionem pertimescere, vt non conscientiam modò, ac leuissimã suspicionem, sed mentionem insuper ac memoriam exhorrescat. Hinc solemnis illa Regi prudentiæque plena cautio, quam de beneficio aliquo gratiáque largienda interpellatus adhibere solet. Tum enim ne qua sit delicti latebra, aut erroris recessus, de conscientia diligenter excipere solet: eáque se quod rogatur lege tribuere profitetur, ne quid in eo sit, quod à recta conscientia & officij religione dissentiat. Egregia Christianissimóque Principe, ac sanctissimi filius Ludouici successore digna vox.

Quam quidem non in auribus modò, sed & inti

ıtimis ſenſibus ;ac pectoribus veſtris hærere
effigiéque cupio. Veſtris autem ? Vtinam (Au-
ditores)quæ hîc apud vos, diſputo in commu-
ni Chriſtianorum omnium conuentu conci-
óque proponerem. Non enim vereor ne quid
vel humani generis conſeſſu quodam dignius,
vel ad omnium imitationem fructúmque præ-
ſtantius, vel ad Principis noſtri præconium il-
luſtrius poſſit afferri. Da mihi priuatum ho-
minem, non è vulgari bonorum, vt ita dicam,
plebe, qui communi quadam ac mediocri ſunt
probitate contenti; ſed vel eorum quempiam
producito, qui acrioribus ad virtutem ſtimu-
lis excitati, religionis ſtudium, quod nomine
ipſo profitentur, vitæ quoque integritate ſuſti-
neant. Quid eſt quod iſtorum aliquis tot illis
in virtutem inſumendis laboribus nauare atque
efficere ſtuduerit? Quæ eſt, inquam, ſpecies
honeſtatis eximia,quam intuens, & in eam in-
tentus ad illius in ſe ſimilitudinem exprimen-
dam animum operámque direxerit? Perfectum
denique illud & excellens requiro, quod vbi
adeptus fuerit, iam ſe ad ſummum perueniſſe
confidat. Niſi fallor,iſtud eſt, vt ita ſe affectum
animatúmque ſentiat, Deo vt in omnibus pla-
cere ſtudeat, ac cùm nihil illius gratiæ amici-
tiæque præferendum exiſtimet: tum quicquid
cum eius offenſione coniunctum eſt ab eo ſine
vlla cuiuſquam rei exceptione refugiat. Quam
quidem alti & exaggerati animi conſtantiam
vnico timoris Dei nomine Scriptura comple-
ctitur, nec vllum ſingulis propemodum pagi-
nis commendandi ac collaudandi finem facit.
Iure id quidem ac meritò. Hæc enim cœleſtiũ
dono

donorum conciliatrix, hæc cæterarum virtutū procreatrix eſt, expultríxque vitiorum. Hæc diuinæ illius ſtructuræ, quam in pectoribus noſtris excitare ſanctiſſimus ille Spiritus ſolet, velut ſedes ac fundamentum ſubſternitur. Quanquam eo non ſum vſus verbo quo decebat (Auditores.) Non enim inchoati iam fundamentum operis eſt, ſed abſoluti conſummatíque perfectio: nec vna ædificij regione circumſcripta, ſed per omnes porrecta diffuſáque partes, arctiſſimo eas nexu deuinctas ac colligatas continent Nam quòd *initium ſapientiæ*, hoc eſt, Chriſtianæ vitæ, non vno in loco timor ille Dei dicitur, ex eo eſt apud Hebræos vocabulo *initij* vox expreſſa, quod non inchoatum aliquid & adumbratum, ſed in omni genere primarium & antecellens ſignificat, atque eiuſmodi, vt ad reliquorum ſpecimen præbendum meritò poſſit offerri. Quod igitur probitatis & honeſtatis caput eſt; quod omnes Chriſtiani officij pietatíſque partes in ſe continet; ad quod magni ac præſtantes homines tanquam ad vltimum laborum ſuorum ac quotidianæ præmium exercitationis, aſpirant, hoc ipſum Principi LVDOVICO non tam humano labore atque induſtria partum, quàm diuinitus oblatum & inſitum ab ipſa propè pueritia cernimus Vt quod in veteranis abſolutum ac perfectum habetur, in eo Regij tyrocinij velut incunabula ac rudimenta ponantur. Fuit illa tua quondam LVDOVICE, fuit (nonum illum ac ſanctiſſimum appello) iiſdémque primordiis excitata pietas. Quem & Religioſiſſimorum hominum diſciplina, & lectiſſimæ parentis inſti-

atione ſic imbutum accepimus, vt mortiferi riminis vel tenuiſſimum afflatum omnibus itæ huius acerbitatibus intolerabiliorem creleres. Tu id quod à Matre ſæpiùs audieras, in mni vſurpare colloquio ſolebas : quouis e genere mortis extingui malle, quàm integriati tuæ grauioris delicti maculas aſpergere. apientiſſimum proaui conſilium ac dictum obolis virtus longo interuallo renouauit.

Sed nihil agimus, Auditores, niſi id vnà pateacimus, quibus, artibus excultus, & quaſi nutrimentis corroboratus Regis animus tantam pietatis maturitatem celeriter ſit adeptus. Hæc adem nimirum illa præſidia ſunt, quorum vſu c conſuetudine ille ipſe nixus eſſe traditur, uo cum non propinquitate magis generis, ac ominis communione noſter, quàm virtutis illius ac propoſiti æmulatione coniunctus eſt. Primùm orandi numinis, ac cœleſtium rerum ractandarum conſuetudo certis repetita temporibus : vt non antè matutinis ſalutatoribus opiam ſui faciat, quàm legitimam Deo precaionum velut penſionem exſoluerit. Tum eaem nocturnam ante quietem colligendi ſui bſecrandíque ſedulitas. Quo etiam tempore mirum id fortaſſis erit, & incredibile quod dicam) hoc, inquam, tempore occultas pectoris atebras excutiens, diligenter in vitam ſuam ac iurnos actus inquirit; quid egerit, ac quemadmodum ſeſe geſſerit: ecqua in re diuinam maieſtatem imprudens læſerit : num verbo factóve illo, ac vel leuiſſima cogitatione titubarit. Quod per ſeſe rarum & exquiſitum, tum hac etate ac moribus, qui ad nimiam licentiam incubuerunt,

cubuerunt, penè inusitatum, quanti in Principe eodémque sit occupatissimo faciendum, vestræ (viri ornatissimi) prudentiæ ac iudicio relinquo. Verùm nihil ad augendam ac firmandam virtutis indolẽ sacrorum mysteriorum est crebritate frequentius: quibus partim vsurpandis, partim venerandis, ac præsentia sua celebrandis, Regis nostri pietas elucescit. Dabo vtriusque argumenta non vulgaria. Diem esse scitote nullum, quo die augustissimum illud, & immortale sacrificium offerri præsente se non iubeat, quod cùm ad humani salutem generis, tum cruenti alterius repræsentandam memoriam diuinitus est institutum. Recens est, & ad dictorum fidem non minùs efficax, quàm auditu iucundum quod referam. Cùm in amœnissimum sancti Germani secessum rusticandi gratia se contulisset, fortè accidit vt bene manè venatum profectus de multa die domum reuerteretur. Ibi paratis iam omnibus, instratisque mensis, & illatis ferculis vocatus ad prandium, recordatus est eo die sacrificanti se Sacerdoti operam non dedisse. Accersiri itaque sine mora quempiam iubet. Neque enim adduci posse, antè vt gustaret aliquid, quàm susceptæ religioni consuetudiníque seruisset. Erat difficile reperire aliquem, qui ieiunus ad eam horam perstitisset. Deinde quòd & fatigatus ex venatione redierat, & iniectâ morâ corruptum iri prandium videbatur, cùm profestus alioqui dies esset, posse sine scelere prætermitti plerique omnes admonebant. Vicit tamen Principis perseuerantia: ac non sine diuino nutu ægrè tandem

oblatus

oblatus est Sacerdos aliquis, qui cibum fortè illo die nullum attigerat.

Parum est sacrosanctis mysteriis adeundis quotidianam nauare operam, nisi par ei diligentiæ cùm interior animi tum exterior corporis cultus accedat. Doleo equidem (Auditores) vehementérque commoueor (quod idem & vobis euenire suspicor) quoties Christianorum in obeundis illis inertissimum fastidium ac segnitiem cogito. Inueterauit enim iam pessimus ille deprauatissimúsque mos, vt quo quisque nobilitate generis, aut opibus ac dignitate præstat, eo negligentiùs ac fastidiosiùs intersit. O miserum & acerbum spectaculum, ac non modò hominibus, sed & templorum tectis ipsis ac parietibus luctuosum! Non illud iam conqueror, etsi est magnopere dolendum, plerósque sanctissimis illis ædibus, ac sacrorum ceremoniis minùs se frequentes & assiduos præbere, eóque tempore libentiùs in lustris, ac popinarum nidore, & fumo delitescere, aut turpissimorum ludorum spectacula celebrare. Ferendum illud est, Auditores: imò verò (temporum iniuriam atque Ecclesiæ vulnus aspicite) optandum etiam videtur, nunquam ab illis religiosissimarũ ædiũ limina contingi, potiùs quàm tanta illorum impudentia, dedecore ac turpitudine pollui. Quis enim tolerandum istud existimet, quod pessimo passim exemplo fieri cernimus, vt in templis sic tanquam in foro ac plateis ambulare homines audeant, ac de negotiis suis domesticísque rebus conferre sermones? ridere? iocari? inconditos clamores & cachinnos attollere; Illud verò quo mœrore animi? qua vi vocis & contentio-

ne?

ne? quo gemitu lacrymísque deplorandum? Intra Ecclesiæ septa, quo tempore gratissima illa Patri victima, Dæmonibus terribilis, humano generi salutaris, viuis mortuísque cum Deo conciliandis offertur, lasciuire impudentissimos homunciones, ac velut in diuersorio aliquo libidinum fœdissimis de rebus inter se colloqui; ad mulierum formas curiosos ac petulantes oculos adiicere, conditiones legere, ad flagitiosissimarum voluptatum nundinationes & mercatus locum illum tempúsque condicere? Nam leuiora illa, & quotidiana prætereo, quæ ne in delictis quidem numerantur: dum ad aram Sacerdos assistit, cincinnatos & barbatulos sedentes & oscitantes scabere caput, perfricare frontem, comam barbámque mulcere, contorquere huc & illuc oculos, agitare ceruicem, garrire in alterius aurem, & insusurrare nugarum aliquid: Tum vbi victima cœlestis attollitur, vno in terram genu posito, altero collineantis ad scopum instar extento, vitæ ac mortis arbitro oris sui ac frontis duritiem obiicere.

Procul est à LVDOVICO Rege, procul illud inertiæ ac penè sacrilegij dedecus. Nihil ipso quandiu sacris operatus est, compositius ac modestius. Quorum omne tempus vtroque in terram genu defixo, & intentis ad aram oculis, statis ac descriptis precationum vicibus transmitti. Par est exemplo Principis comitatus pudor ac modestia. Circunstant silentio omnes, neque cuiquam tumultuari illic, & sermonibus obstrepere licet. Quòd si quis procacior paulò vel dissolutior negligentiorve fuerit, is subitò

Princi.

ncipis aſpectu, vel voce etiam & imperio
ërcetur. Atque hæc eſt in adeundis præſen-
que celebrandis myſteriis LVDOVICI aſſidui-
ac reuerentia. Iiſdem porro in vſurpandis,
anto minor eſt neceſſariò quàm in obeundis
quentia, tanto eſt veneratio & cultus inſi-
ior. Ac cùm duo præcipuè Sacramenta ſint,
ibus Chriſtianæ vitæ ſubſidia continentur;
orum alterum, ad eluendas vitiorum ſordes,
reconciliandos cum Deo homines, valet: in
ero Angelorum cibo alimentóque reficimur:
imum illud tam ſæpe Ludouicus adhibet,
àm eiuſdem ordinis ac dignitatis fortaſſe
mo. Nam tertia quaque, vt minimum, hebdo-
ade delictorum ſe confeſſione apud Sacerdo-
m expiat. Poſteriore toties vtitur, quoties eo-
m, quorum ſe arbitrio permiſit, voluntas at-
ıe auctoritas decreuerit. Tum verò effert illa
ſe caſtiſſimæ diciplina pietatis, ac religionis
dor efferueſcit, cùm, vt ille quondam generis
ıthor ſanctiſſimus, non tam fidei perſuaſione
æſentem, & ad ſeſe venientem Dominum in-
iligere, quàm oculis ipſis intueri, ac contre-
are ſenſibus videtur. Vidi ego, vidi nuper,
uditores, expreſſa factis ſanctimoniæ huius,
inflammatæ in Deum charitatis, indicia: cùm
die D. Ludouico ſacra, eiuſdémque in tem-
lo, ſempiterni Regis ad conuiuium ac ſuauiſ-
mas illas epulas accederet. Qui tum illius ani-
ıi ſenſus extiterunt! quàm ardentes diuini
moris impetus! vt colliquefacti pectoris impe-
ıs in vultum oculóſque redundabat!

Sed perbellè ſanè cecidit, Auditores, vt in
ariſſimum illud pietatis regiæ monimentum,

quod

quod eodem illo die ſempiternam ad memoriã defixum eſt, ſponte ſermo noſter incurreret. Tametſi doleo nimis anguſtum mihi tempus ad eam rem prædicandam eſſe datum. quæ non partem aliquam orationis auferre, ſed vniuerſam ac præcipuam occupare debuerat. Etenim quæ dicendi vis & vbertas par illi Chriſtianiſſimi Principis eſſe poteſt, quid dicam Auditores? Religioni erga Deum? an in genus ſuum pietati? an authoritati apud ſummos Pontifices & gratiæ? an in ſubditos ſibi prouidentiæ? an magnificentiæ apud exteros; an ad infinitam poſteritatem gloriæ atque claritati? Quæ quidem hoc in vno facto ſimul vniuerſa cernuntur. Nam Sanctis ac Dei amicis honorem impertiri, religionis eſt. Maiorum ſuorum ſplendori gloriæque ſtudere, pietatis. Chriſtianos omnes vnius rogatu nouis eſſe à Pontifice cerimoniis obſtrictos, authoritatis. Regis ſanctiſſimi patrocinium recentibus officiis huic imperio arctiùs adſtringere, prouidentiæ, Magnificentiæ verò poſtremo eſt ac gloriæ, ſuum peræquè ac Franciſci nominis decus omnium in eo facinore virtutum laude cumulare. Credo equidem, Auditores, idem veſtrum fuiſſe, quod & ſuperioribus annis facere conſueuerã, de illius diei celebritate iudicium. Neque enim mediocriter angebar animo, cùm id cernerem. Sancti LVDOVICI nomen ac memoriam, non dicam præſtantiſſimi viri, ac poſt conditum hoc imperium longè præclariſſimi Principis: non dicam optimè de Eccleſia Chriſtianiſque omnibus meriti. Cuius viri ac Regis omittam Illud dicam, nunquam mihi tolerabile

le esse visum, Sanctissimi Francorum Regis
on apud exteras nationes, non apud imperij
tius æmulos, sed apud suæ, apud Francos in-
uam, Francorum Regis memoriam in tanta
bscuritate versari. Sed superiorum temporum
unctationem an incuriam tua LVDOVICE
Rex, diligentia sustulisti. Tu conditori generis
ui quod ad splendorem & amplitudinē deerat,
ongo interuallo reddidisti. Tu ei, à quo conti-
nuatione stirpis ac serie vitam & honorem ac-
ceperas, quandam apud homines vitam cum
honore tribuisti. In quo vnà & illius gloriam
auxisti, & amplificasti tuam. Audiet hoc nimirū
terrarum orbis, & ad quas nationes ac prouin-
cias augustissimi illius diei religio, ac diui LV-
DOVICI cultus peruaserit, easdem LVDOVICI
XIII. commendatio ac fama peragrabit.

Iam verò quantum dedicandæ natalis illius
celebritati operæ ac magnificentiæ contulerit,
dicerem si esset obscurum Illud vero sanè ma-
gnopere collaudandum est, quòd solemnem
eius festi sanctimoniam non hilaritate solùm
publica, nec spectaculorum apparatu atque
pompa, sed inusitata religione, ac flagrantissimæ
pietatis officiis consecrauit. Totum enim illum
in templo ferè diem decantandis Dei laudibus,
ac sacrorum celebrandis cerimoniis transegit.
Et, quod nunquam ad eum diem contigisse di-
citur, sacrosanctum Christi corpus Regina cum
coniuge de eadem manu Sacerdotis accepit.
Postremò vt ad Dei charitatem, beneficentiam
erga homines præsertímque calamitosos adiun-
geret, centum eadem die lectos Diui Ludoui-
ci nosocomio fouendis ægris ac recreandis at-
tribuit. Nimiùm

Nimiùm iamdiu nos vnius in Rege pietatis admiratio detinet (Auditores) & infinita eius generis necessariò prætermittenda sunt, vt ad cæterarum commemorationem spatij aliquid supersit. Ac fateor me initiò, cùm tam vberem hac in vna virtute segetem orationis meæ prospicerem, dubitasse admodum, num in ea sola persequenda totum dicendi tempus collocarem. Quod certis de causis faciendum omnino non putaui, vt ad hoc vnum laudationis genus adhærescerem; id hactenus sequar, vt harum nonnullas breuiter summatímque perstringam. Nam & patientiæ in me audiendo vestræ habenda mihi ratio est, (Auditores) & in vna pietatis laude cæteras comprehensas aut ab ea profectas virtutes intelligimus. Sed vnà præ cæteris Religionis socia est & affectatrix Iustitia; cuius tam latè vis appellatióque pertinet, vt eius ambitu illa etiam ipsa, cuius est comes, pietas septa teneatur. Est enim quædam homines inter ac Deum societas & conuentio. Nec homini quisquam quod suum est constanter tribuere potest, qui non ante tribuerit Deo. Ita fit, vt quo quisque in Dei venerationem est amorémque propensior, eo sit iustitiæ amore desiderióque flagrantior. Quo minùs dubitandum nobis est, cur vnam præ cæteris LVDOVICVS amplexus sit adamarítque iustitiam, cur eam adoptarit præcipuè, ab eáque titulum sibi ac cognomentum asciuerit. Ita enim percrebuit: cùm alij alia Imperatores ac Principes appellatione gaudeant ac Magni, Pij, Fœlices, Parentum aut Fratrum amatores nominari cupiant, LVDOVICVM, quod ante ipsum

obtinuerit

obtinuerit nemo, concupierint verò fortasse pauci, Iustum se & haberi & appellari vehementer optare. Est hæc nimirum prima pietatis in LVDOVICO soboles, eáque non in spe solùm & expectatione posita, sed insita in illius animo radices egit altiores. Etenim hoc disciplinas inter artésque ac virtutes interest; quòd illarum si quis amorem ac desiderium conceperit, non idcirco compos est factus. Virtutes ex animo ac constanter appetere nemo potest, quin earum iam in possessionem pedem posuerit. Felicem te mea Gallia! felicem! nostráque hæc (Viri Clarissimi) fortunata tépora, non præsentium modò fructu, sed ostensione futurorum! Non omnino tamen nos solita Dei cura benignitásque destituit, cùm talem Principi nostro mentem ac voluntatem immisit, vt in colenda seruandáque iustitia cæteris omnibus optaret excellere: séque Iustum & esse & nominari cupere, in omni colloquio ac sermone præferret. Magnum hoc ab Rege Francorum sanctissimæ gubernationis omnibúsque numeris absolutæ pignus oblatum. Nec dubitari debet quin qui iustum se in omni vita præbere constituerit, eámque laudem affectarit, idem & temperanter & moderatè ac benignè, & prudenter fortitérque sese gerat, omniáque omnium officia virtutum explicare conetur.

Porum illum Indiæ Regem captum ab Alexandro, interrogatúmque memorant, quemadmodum accipi se, haberique vellet: tum illum, nihil nisi, Regaliter, respondisse. Instante Rege, ecqua se alia ratione tractari cuperet,

iterum, Regaliter, dixisse. Idem tertiò cùm esset rogatus hoc vnum respondisse, Regaliter: hac enim vna omnia voce comprehendi Ergo idem illud in administrandis imperiis sentire de iustitia nos oportet: vt si quis quemadmodum gerenda illa sint exquirat, nihil huic aliud nisi, Iustè, respondeatur. Fundamentum porrò iustitię illud ac caput est, vt in tuendis legibus grauitas ac constantia; in coërcendis etiam improbis seueritas adhibeatur: sic vt nullus contra ius & æquitatem ambitioni sit ac potentiæ locus, pecuniæque nullus; & atrocitatis interim absit ac crudelitatis opinio. Quid horum non in Rege summum est & excellens? in quo cùm mirifica sit ad clementiam ac lenitatem indoles; vt vel ex aspectu ipso & oculorum coniectu suauissimus quidam odor humanitatis affletur; est idem tamen in sancienda legum auctoritate ac retinendo iure certus ac constans: contra quod nihil aut obtineri per gratiam, aut per metum expurgari, aut impetrari precibus, aut vtilitatis aliqua spe remitti ac condonari patiatur. Quo in genere magna nobis exemplorum copia suppetit (Auditores) quæ nec esse vobis arbitror ignota. Sunt enim illustria, atque ad omnium famam approbationémque manarunt. Quare ita ferè communi hominum iudicio conuenit, id quod Principem aliquando virum intellexisse didicimus: fuisse ex omni Regum memoria neminem, qui tantopere Magistratuũ ac Iudicum potestati & auctoritati deferret, quique minus ab eorum decretis ac sententiis discederet.

Hic quem modò dixi testatum id esse atque intellexisse Principem, cuidam ex amicorum cohorte,

cohorte, qui aduersus Regis edicta ad certamen singulare condixerat . & impunitati suæ cauere antè cupiebat, præsidium suum tentanti implorantíque respondit: Videret quid ageret: sibi enim certum esse, ne si frater quidem suus esset, verbum ea de re vllum apud Regem facere, à quo sciret nihil in huiusmodi flagitiis impetrari posse. Et quoniam de certaminum nefario illo & execrando genere meminimus, hic me locus admonet, vt ad illud veniam iustitiæ singularis exemplum, quod in illa restinguenda Imperij peste Regis nostri diligentia constituit. De qua quidem tam importuna, tam inueterata ac domestica labe quid dicam (Auditores) aut quemadmodum appellem nescio. Furorem & insaniam nominem? leue illud est. An belluæ in hominis figura immanitatem & rabiem? ne istud quidem sufficit. An florentissimi huius Regni, adeóque Christiani nominis fœdissimam maculam; imò exitium, flammam atque perniciem? Quàm vultis atrocia ac detestanda nomina concipite: vincit omnia sceleris horrendi grauitas, ac ne cogitatione quidem capi, ne dum oratione satis exprimi explicaríque potest. Sæpe illud mihi cogitandum occurrit, [Auditores] regnorum occasus atque interitus inuisitatas quasdam calamitates præcurrere ac denunciare solere. Quare cùm nullam capitaliorem huic Regno pestem accidisse omnium teste memoriâ constet, ideo inflictam illam interpretabar ac præmissam, vt extremam Francorum Imperio vastitatem exitiúmque portenderet. Hoc igitur tam infinitum malum cùm serperet in dies, ac manaret

latiùs : cùm turpiſſimi gladiatores, imò graſſatores ac ſicarij mutuis ſe cædibus ac parricidiis conficerent : cùm teterrimæ carnificinæ vbique veſtigia ac monimenta fixiſſent: cùm Principis aula ipſa præſertim ac comitatus quolibet latronum receſſu ac latebris eſſet infeſtior: cùm nemo vitã ac dignitatem tueri niſi per ſcelus flagitiúmque poſſet, duorum eſt Principum patris ac filij virtus excitata diuinitus, quę tot incommoda ſaluberrimis edictis ac legum diſciplina compeſceret. Quorum alter dum ad clementię laudem totus incumbit, ſeueritatem, quam mali vis ac vehementia flagitabat, aliquantum remiſit. Ita mitigatâ illius violentiâ non extinctâ, ſublati morbi gloriam ſucceſſori filio, hoc eſt Iuſto Principi, iuſtitię decus & officium reſeruauit. Qui ſimul atque imperium attigit, non id ſolùm, cuius in Patre exemplum habebat, fœdiſſimum illud latrocinium nouis edictis prohibuit : ſed quod plurimum intererat, latas ab vtroque leges acrioribus ſeueritatis pręſidiis muniendas putauit. Neque verò aut reprehendendus propterea Pater, aut non omni laude digniſſimus eſt filius. Sed dum bonitatis alter, vt dixi, famam perſequitur, alter iuſtitię, ille pœnarum aſperitatem miſericordia leniit ; hic legum poteſtate ſuam ipſius auctoritatem aſtrinxit ; vterque diſſimili in re ſimilem propemodum gloriam eſt conſequutus. Sed prudentius tamen filij, pręſenti certè rerum ſtatui opportunius inſtitutum. Per quòd breui eſſe tempore factum videmus, nullum vt hodie tanti mali veſtigium ſuperſit. Eadem & aliis inſtaurandis legibus

gibus Lvdovici virtus enituit: ac pręsertim cùm ad diuini Numinis, ac sanctorum contumeliam effusam linguę petulantiam acutiore edictorum suorum stilo confixit. Egregia laus, nec iustitię magis, quàm eius quam paulò antè commendauimus pietatis propria. De qua tamen, quod inuitus equidem facio, minimè hoc loco plura dicentur, vt ad eam veniamus aliquando Prudentię dotem, quę abesse à summo absolutóque Principe nihilo magis potest, quàm Solis ab cœlo fulgor; aut ab ea naui, quę feliciter nauigatura sit, periti ac sapientis Gubernatoris industria.

Eam porrò quam in Magno Parente rerum vsus ac diuina vis ingenij & solertia maiorem opinione omnium fecerat, erit fortasse qui in id ętatis filio spectari magis oportere, quàm collaudari posse suspicetur. Non ita est, Auditores: tantúmque abest vt de eiusmodi pręconio quicquam nobis tenera decerpat ętas; nulla] vt sit in Lvdovici vita atque factis prędicandi seges vberior. Ac ne longum sit singulis ex dictis atque factis argumenta repetere; quod est indiciorum certissimum genus, ex euentu ipso rerum exitúque ponderate. Proponite paulisper animis vestris superioris imaginem temporis: nisi id optandum potiùs, ea vt obliteretur penitus, atque ex sempiterna hominum memoria deleatur. Sed occurrat tamen interim vobis luctuosa illa paucissimos ante anos Regni facies, Galliarum illa turbulentissima maximáque tempestas, repentinum illud & improuisum incendium, quo vniuersę penè momento Imperij prouincię conflagra-

runt. Bellum illud ciuile dico;de quo ita ſapientiſſimos quoſque ſentire video:nullũ tam breui temporis ſpatio tam periculoſum,támq.horribile eſſe conflatũ. Quis in perturbatiſſima hac Republica vel non deſperaret omninò,vel ſi de recuperanda huius ſalute non diffideret, non id aliquo ſaltem naufragio crederet iacturáque redimendum? Quis inquam fœdiſſimam hanc flammam reſtingui putaret omninò poſſe : vel ſine plurimorum ſanguine ac cruore reſtingui? Quoties in medio rerum turbine prudentiſſimos illos viros atque intelligentiſſimos audiui dicentes: occidiſſe Gallicanam rem, & ad vltimum diſcrimen eſſe perductam? Quem enim virum inueniri, aut excitari poſſe repente tanta felicitate ac potentia, qui præcipitantem ac ruentem Rempublicam ceruice ſua ſuſtineret? Quem tum omnes reperiri poſſe diffidebant, is eſt repertus denique & immortali nobis Dei beneficio conceſſus. Qui quantum huic regno lucis ac ſalutis attulerit, æſtimare ſi vultis,conferte cum priore illa, præſentem hodiernámque Reipublicę fortunam:cum illis tempeſtatum fluctibus, ſummam hanc tranquillitatem pacis & otij, cum illis ciuilium armorum motibus, communem omnium conſenſionem ac concordiam:cum afflicto perditóque illo rerum ſtatu, integrum hunc, & opibus, commodis, honeſtarum artium ſtudiis, libertate gloriáque florentem. Extinctum illo tempore Francorum Regnum, hoc verò conditum ac conſtitutum dicetis.

Achillem Homerus prodidit; qua die Gręcorum Imperatori reconciliatus eſt, cùm illorum

um acies Troianorum cessisset armis, ac fu-
entibus acriùs Hector instaret, propinquum
collem inermem subisse, indidémque Troia-
s ab suorum castris ac nauibus solo conspe-
u & clamore depulisse. Quis non incredibi-
us Principis nostri factum illud existimet, qui
on exercitum vnum, sed amplissimum ab in-
ernecione Regnum solo contuitu ac minimo
emporis momento cohibuit? Quòd si ex ve-
ere Lacedemoniorum instituto maior his du-
ibus triumphus iure decernitur, qui honestis
conditionibus pacem cum hoste composue-
int, quàm qui eius sanguinem ac cruorem
profuderint; tu in domestico illo tumultu se-
dando, magnorum Imperatorum, Lvdovice,
famam & gloriam obscurasti tuâ. Tu pater-
nam lauream insignem illam quidem, sed plu-
rimorum tamen sanguine cruentatam, lilij tui
candore superasti. At hęc quanta celeritate con-
fecta sunt, Auditores! Tantámne vnius homi-
nis, atque eius quidem adolescentis, esse virtu-
tem, vt exulceratos mutuis iniuriis & offensio-
nibus inter se ciuium animos tam sinceram ad
gratiam vix puncto temporis interiecto reuo-
caret? Quis enim subitò productus in thea-
trum è machina Deus difficiles fabularum exi-
tus tam extricauit facilè, quàm citò Lvdovi-
cvs impedita Regni negotia solertię suę ac
consilij luce patefecit? Quanquam ego cele-
ritatem minùs admiror: illud verò plurimum
obstupesco, tantam voluntatum concordiam
non ad exigui securitatem temporis erectam,
sed ad perpetuitatem otij & quietis esse deuin-
ctam. Neque hoc tamen magnopere demira-

bitur, qui id paululum attenderit, quibus prudentiæ artibus ac prędiis niti maximarum ad rerum administrationem consueuerit. Multa egregia, multa pręclara, multa in illius indole diuina sunt. Tamen hac lege, quam in gubernando imperio sibi ipse pręfixit, haud scio an quicquam possit esse præstantius. Quæ est eiusmodi, nihil vt nisi de consilij sententia & auctoritate statuat, nec in deliberando suam potiùs quàm aliorum opinionem ac iudicium sequatur. Huius enim est eximia illa vox, qua initio capessendi Imperij ad consilij sui participes vsus esse dicitur: Viderent id modò, cuiusmodi sibi consilium darent: nihil se vnquam nisi ex illorum voluntate facturum. Iam itaque non ex vnius hominis ingenio æstimanda LVDOVICI prudentia est: sed quot habet authores ac consiliarios, totidem eorum mentes velut in se complecti videtur, ac sapientiam vnus omnium suam propriámque fecisse. Quàm vultis egregia atque insignia documenta conquirite. Excutite veterum commentarios omnes, qui de ordinandis ac regendis hominum societatibus scripserunt. Omnia vna illa voce decretóque contineri, atque hanc esse ciuilis prudentiæ summam & caput inuenietis, ad quam sola indolis & ingenij bonitate noster, non doctorum institutione ac disciplina perductus est. Quid enim deesse illi ad bene beatéque imperandum potest? quanam porrò vel leuissima in re titubabit, qui nihil absque prudentissimorum hominum arbitrio capessat vnquam, eorúmque diligentissimus sit, quæ ab illis facienda didicerit? Præsertim cùm tales ad consultandum

viros

os adhibeat, quibuſcum nemo ſit vſu rerum
xperientia,integritate,fide,ſapientia compa-
lus. Atque hæc excellentis in LVDOVICO
dentiæ ac reliquæ virtutis admiratio tan-
ei apud exteras nationes ac Principes au-
ritatem peperit,vt ad mutuas contentiones
trouerſiáſque ſedandas vnum illum arbi-
n ac diſceptatorem deligant. Norunt hoc
cellæ nuper ingenti cum orbis Chriſtiani
ulatione illius æquitate receptæ. Vidit hoc
ia , quam domeſtico inteſtinóque bello fla-
item , & ad ſinum ſuum confugientem eâ-
a auctoritate recreauit. Et quidem, Audito-
, cuius illud de LVDOVICO exiſtimationis
, tantum vni Regi peregrinos ac potentiſſi-
s Principes detuliſſe ! Quàm illud à Chri-
nis omnibus optatum magis quàm ſpe-
m ! Vt infinitorum, hominum ſaluti, vr-
m incolumitati , Regnorum tranquillitati,
ius Eccleſiæ ſecuritati, vno illo eſt Regis in-
licto breuiſſimo conſultum ! Quis præpo-
tem terra marique regem, ampliſſimis opi-
, maximis ac fortiſſimis exercitibus prædi-
n,inflammatum iracundia, ardentem cupidi-
belli , in retinendo victoriæ fructu ac præ-
o pertinacem,vel ad eas conditiones deſcen-
am omnino , vel re iudicata tam facilè ac-
eturum putaret ? Vrbémne munitiſſimam &
ortuniſſimam medio in armorum tumultu,
tam ex hoſte luculentiſſimam prædam ,
o, ſine ſumptibus ei cuius erat , vnius voce
ententiâ reſtitutam ? Ita planè , Auditores,
deinceps ac perpetuò contingat. Redeat ve-
illa Francorum Regum dignitas & gloria.

Valeat in dies pacificandis Christianorum odiis ac dissidiis Christianissimi Regis auctoritas. Vt hominis vnius arbitrio dirimere controuersias malint suas, quàm vi, rapinis, cædibus, incendiis, vrbium & imperiorum euersione ac ruina persequi. Vtinam, Auditores, vel ad dicendum plus aliquanto mihi spatij contigisset, vel alterius ac nouæ orationis facultas esset oblata. Nunc me repentè de cæteris præstantissimi Regis laudibus dicere parantem temporis ratio in ipso cursu instituti sermonis repressit: quæ me iamdudum exitum vt aliquem inueniam prædicationis huius hortatur. Quamobrem detractis ex hac oratione reliquis omnibus, vnius postremò mentionem leuiter attingam, amoris erga literas ac beneuolentiæ. Quarum quidem fouendarum & amplificandarum studium amplum Regibus & honorificum est, Reipublicæ verò salutare.

Doctissimis in Græcia hominibus placuisse scimus, tum demum ciuitates & imperia felicia fortunatáque fore, cùm eorum moderatores optimarum artium, præsertímque Philosophiæ studiis essent exculti. Quod Platonis, opinor, decretum hactenus à Discipulo reprehenditur, vt Principes valdè quidem eruditos ipsos esse neget oportere: quòd id & otij nimium exigat, & si vehementer fiat, non satis afferat dignitatis. Optandum illud verò, vt, quod in se minùs habent, id in aliis adamare complectíque velint, & ad eius cupiditatem honorum ac præmiorũ illecebris alliciant. Quod posterius sic Ludouicus arripuit, ita literas ac literatos colere omnes instituit, vt eum amorem ad

ad illam præcipuè iuuandam Reipubl. partem transferret, quæ hoc subsidij genus magnopere flagitabat. Hoc enim studet, ad hoc omni conatu totisque viribus enititur, vt sacrorum Ministri ac religionum Antistites quàm doctissimi sint, ac necessariis artibus expoliti. Nec est quisquam nobilitate tanta ac potentia, neque tam maiorum suorum commendatione vel sua gratiosus, qui, nisi petitioni suæ ætas ac doctrina suffragata fuerit, Sacerdotium ab Rege vllum possit auferre. Atque hoc primùm in dandis beneficiis percontari solet, sítne is morum probitate ac scientia, cuius causa postulatur, idoneus: nihil ne sit denique in collocanda gratia, quod cum rectâ conscientiâ atque officio pugnet. Quàm vellem (Auditores) id ab Regibus omnibus diligenter esset antè prouisum, aut consequentium saltem vsus ac consuetudo retineret. Meliùs vtilitati publicæ foret, meliùs illorum integritati, meliùs Christianæ rei consultum. Haberet Ecclesia celeberrimos præstantissimósque viros, quorum copia & auctoritate floreret. Non esset sectarum illa varietas ac pernicies conflata, vel in ipsa origine repressa atque extincta concidisset. Silerent improbissimi hostes, nec deridendâ Sacerdotum inscitiâ damnis nostris ac calamitatibus illuderent. Minus esset Christiana in Republica malorum ac scelerum. Emersissent ad immortalitatem iámque complures, qui sempiterno interitu, doctorum vel incuria vel exemplo perierunt. Pacis denique, cuius in Ecclesia desiderium vix ferre possumus, fructum modò iucunditatémque caperemus. Hoc quidē imperante Rege, &

eodem in animo institutóque perseuerante, spes est procurari domesticum illud decus posse, veterémque Gallicanæ splendorem Ecclesiæ ornatúmque recuperari. Cuius ad propositi solicitudinisque partem cùm alios præstantissimos adiutores vocandos, tum Societatis nostræ operam non contemnendam putauit. Itaque & in multis Regni ciuitatibus disciplinarum ei ludos instituit, & in has imperij ac doctrinarum arce collocatos iamdudum occlusósque reserauit. Nam quid aliud Parisiensem omnem Academiam, atque istas adeo Societatis Scholas esse dicam, nisi fontem veluti quendam ac seminarium optimorum ciuium, integerrimorum Magistratuum, lectissimorum Sacerdotum, Pontificum sanctissimorum? Magna est in hoc grege nostro ætatum, fortunarum, conditionum, studiorum varietas. Video mirificam in omnibus ferè indolem ingenij, in plerisque verò etiam laborem & industriam. Accedet modò, quæ à nobis exquiritur, quámque ego communi nomine polliceor, Præceptorum assiduitas & diligentia. Nonne euolaturos ex hoc loco propediem excellentes illos, quos attigi modò ordinum omnium, viros existimabimus, ac cùm huic imperio splendori, tum orbi terrarum admirationi futuros? Sed reliqua Scholarum Ornamenta recens ille superat splendor & obscurat, qui ex eiusdem illis voluntate Principis nuper accessit? Quid enim iis magnificentius accidere potest, vel ad literarum testificandum in Rege studium illustrius, quàm quod ex duobus, quos ad discendum idoneos habebat, fratribus, Magni illius Henrici filiis, alterum

Scholis

Scholis nostris disciplinæque tradidit, alterum etiam domi nostræ in ipso penè Societatis gremio ac sinu collocauit? De cuius laudibus déque incredibili celeritate, ingenij, docilitate, memoria, ardore discendi, tum verò pietate, facilitate, humanitate, cæterísque virtutibus, quibus Ludovici fratris geminus est ac simillimus, de iis, inquam, quæ scire ipse admiraríque potui, dicam hoc loco nihil. De tam prolixo Regis in nos animo ac cum superiore illo restitutarum Scholarum, tum posteriore, quod modò dixi, beneficio quid sentiam simul ac proposuero, ego dicendi, vos audiendi finem facietis.

Maximus est à te (Ludovice Rex Christianiss.) Societati nostræ tam illustri testimonio honos habitus. Intellectum est, quanti nos faceres ipse, fierique ab omnibus cuperes, ac quid de integritate nostra contra maleuolorum inuidiam calumniámque sentires. Summam igitur gloriam dignitatémque sumus tua voluntate consequuti: Sed hoc tamen pace velim dictum tua, non minùs hoc tuo beneficio ac de nobis opinione, curæ ac solicitudinis quàm voluptatis aut splendoris attulisti. Fateor enim me, quod & idem nostris omnibus euenire statuo, cùm de hac singulari regij erga nos animi significatione cogito, solicitari nonnunquam angique vehementiùs. Video enim elaborandum id esse nobis, vt hoc tanto Principis iudicio digna Societas habeatur. Intelligo non nostram solummodo nobis existimationem, sed & Regis commendationem esse præstandam. Id enim agi profectò

VE

vt ſi hominum expectationi reſponderimus, ſapiens in nobis ordinandis ac reſtituendis illius conſilium: Sin ſatis admodum non fecerimus, vel errore ſuſceptum, vel gratiæ conceſſum videatur. Verùm perpeti omnia ac tolerare ſatius arbitror, quàm Regis de nobis conſilium, factúmque reprehendi Quod ipſum facilè (vti ſpero) prouidebitur, ſi regiam erga has Scholas voluntatem veſtra quoque, (Pariſienſes Auditoréſque cæteri) quanta hactenus fuit, quantámque veſter hic concurſus, & in audiendo humanitas oſtendit, iiſdem tuendis fouendiſque benignitas conſequatur.

PANEGYRICVS LVDOVICO XIII. DICTVS.

Attigiſti gloriæ verticem, Rex Inuictiſſime, fortunatiſſima Gallia, tenes faſtigium dignitatis, Chriſtiana Religio. Bellum illud aliquando confecimus, ad quod vnum toto ſæculo communia omnium vota, priuata ſingulorum ſtudia, publica comitiorum conſulta, ſacrorum auguſta ſolemnia, Regum expeditiones innumeræ, multorum terra, marique contentio præliorum; belli, paciſque quotidiana

con

consilia, Reipublicæ demum totius rationes, motus, sensus vniuersi referebantur: ne quis possit ambigere, quin hoc vno cardine fortuna ciuium, sors Galliæ, maiestas imperij niteretur. Habet superbia suos gradus, ad extremum deuoluitur, postquam peruenit ad primum; qui non nouit vltrà crescere, ruere cœpit, nihilque tam propinquum est casui, quàm quod est summum: cœlum ipsum, quo nihil altius occurrit aspectui, fatum expectat, & momento sæpissimè perit, quod ægrè sæculum peperit. Sic illa iacent tot annis sudata perduellium propugnacula, dissipatæ sunt ingentes illæ Britannorum classes, vtrorumque iuncta cum extrema rerum desperatione incredibilis audacia corruit, terræ, maria, tempestates succubuerunt fortitudini regiæ: locis demùm vniuersis profligata rebellio, simul omnia sibi sensit præter inferos esse conclusa. Quæ immensitas gloriæ, naturam totam vnius triumphi pompa traducere, vtque pauci homines parere discerent, elementis omnibus imperare! Quòd si adhuc aliquis ex illa furiosorum hominum turba, qui humanæ fidei desertores sensim à diuina deficiu[illegible] e æternitate huius imperij dubitauit; fatea[illegible] errorem suum hodie, postquam illud videt perduellionis ruinis impositum; fœlicique commutatione fatorum, à Rege Lvdovico, immortalitem regni, nominisque Gallici confirmatam, ex quo hæreticus desertor occubuit. Cui enim cœlū aut lubentiùs laboret, aut gloriosiùs, quàm ei principi qui numinis hostes euertit? Quem alium coronet ambitu sæculorum & temporum, quàm eum à quo tot laureis corona

latiùs : cùm turpiſſimi gladiatores, imò graſſatores ac ſicarij mutuis ſe cædibus ac parricidiis conficerent : cùm teterrimæ carnificinæ vbique veſtigia ac monimenta fixiſſent: cùm Principis aula ipſa præſertim ac comitatus quolibet latronum receſſu ac latebris eſſet infeſtior: cùm nemo vitã ac dignitatem tueri niſi per ſcelus flagitiúmque poſſet, duorum eſt Principum patris ac filij virtus excitata diuinitus, quę tot incommoda ſaluberrimis edictis ac legum diſciplina compeſceret. Quorum alter dum ad clementię laudem totus incumbit, ſeueritatem, quam mali vis ac vehementia flagitabat, aliquantum remiſit. Ita mitigatâ illius violentiâ non extinctâ, ſublati morbi gloriam ſucceſſori filio, hoc eſt Iuſto Principi, iuſtitię decus & officium reſeruauit. Qui ſimul atque imperium attigit, non id ſolùm, cuius in Patre exemplum habebat, fœdiſſimum illud latrocinium nouis edictis prohibuit : ſed quod plurimum intererat, latas ab vtroque leges acrioribus ſeueritatis prę ſidiis muniendas putauit. Neque verò aut reprehendendus propterea Pater, aut non omni laude digniſſimus eſt filius. Sed dum bonitatis alter, vt dixi, famam perſequitur, alter iuſtitię, ille pœnarum aſperitatem miſericordia leniit; hic legum poteſtate ſuam ipſius auctoritatem aſtrinxit; vterque diſſimili in re ſimilem propemodum gloriam eſt conſequutus. Sed prudentius tamen filij, prę ſenti certè rerum ſtatui opportunius inſtitutum. Per quòd breui eſſe tempore factum videmus, nullum vt hodie tanti mali veſtigium ſuperſit. Eadem & aliis inſtaurandis legibus

gibus LVDOVICI virtus enituit: ac præsertim cùm ad diuini Numinis, ac sanctorum contumeliam effusam linguę petulantiam acutiore edictorum suorum stilo confixit. Egregia laus, nec iustitię magis, quàm eius quam paulò antè commendauimus pietatis propria. De qua tamen, quod inuitus equidem facio, minimè hoc loco plura dicentur, vt ad eam veniamus aliquando Prudentię dotem, quę abesse à summo absolutóque Principe nihilo magis potest, quàm Solis ab cœlo fulgor; aut ab ea naui, quę feliciter nauigatura sit, periti ac sapientis Gubernatoris industria.

Eam porrò quam in Magno Parente rerum vsus ac diuina vis ingenij & solertia maiorem opinione omnium fecerat, erit fortasse qui in id ętatis filio spectari magis oportere, quàm collaudari posse suspicetur. Non ita est, Auditores: tantúmque abest vt de eiusmodi pręconio quicquam nobis tenera decerpat ętas; nulla vt sit in LVDOVICI vita atque factis prędicandi seges vberior. Ac ne longum sit singulis ex dictis atque factis argumenta repetere; quod est indiciorum certissimum genus, ex euentu ipso rerum exitúque ponderate. Proponite paulisper animis vestris superioris imaginem temporis: nisi id optandum potiùs, ea vt obliteretur penitus, atque ex sempiterna hominum memoria deleatur. Sed occurrat tamen interim vobis luctuosa illa paucissimos ante anos Regni facies, Galliarum illa turbulentissima maximáque tempestas, repentinum illud & improuisum incendium, quo vniuersę penè momento Imperij prouincię conflagra-

lorum acies Troianorum cessisset armis, ac fugientibus acriùs Hector instaret, propinquum in collem inermem subiisse, indidémque Troianos ab suorum castris ac nauibus solo conspectu & clamore depulisse. Quis non incredibilius Principis nostri factum illud existimet, qui non exercitum vnum, sed amplissimum ab internecione Regnum solo contuitu ac minimo temporis momento cohibuit? Quòd si ex vetere Lacedęmoniorum instituto maior his ducibus triumphus iure decernitur, qui honestis conditionibus pacem cum hoste composuerint, quàm qui eius sanguinem ac cruorem profuderint; tu in domestico illo tumultu sedando, magnorum Imperatorum, LVDOVICE, famam & gloriam obscurasti tuâ. Tu paternam lauream insignem illam quidem, sed plurimorum tamen sanguine cruentatam, lilij tui candore superasti. At hęc quanta celeritate confecta sunt, Auditores! Tantámne vnius hominis, atque eius quidem adolescentis, esse virtutem, vt exulceratos mutuis iniuriis & offensionibus inter se ciuium animos tam sinceram ad gratiam vix puncto temporis interiecto reuocaret? Quis enim subitò productus in theatrum è machina Deus difficiles fabularum exitus tam extricauit facilè, quàm citò LVDOVICVS impedita Regni negotia solertię suę ac consilij luce patefecit? Quanquam ego celeritatem minùs admiror: illud verò plurimum obstupesco, tantam voluntatum concordiam non ad exigui securitatem temporis erectam, sed ad perpetuitatem otij & quietis esse deuinctam. Neque hoc tamen magnopere demira-

bitur, qui id paululum attenderit, quibus prudentiæ artibus ac præsidiis niti maximarum ad rerum administrationem consueuerit. Multa egregia, multa præclara, multa in illius indole diuina sunt. Tamen hac lege, quam in gubernando imperio sibi ipse præfixit, haud scio an quicquam possit esse præstantius. Quæ est eiusmodi, nihil vt nisi de consilij sententia & auctoritate statuat, nec in deliberando suam potiùs quàm aliorum opinionem ac iudicium sequatur. Huius enim est eximia illa vox, qua initio capessendi Imperij ad consilij sui participes vsus esse dicitur: Viderent id modò, cuiusmodi sibi consilium darent: nihil se vnquam nisi ex illorum voluntate facturum. Iam itaque non ex vnius hominis ingenio æstimanda LVDOVICI prudentia est: sed quot habet authores ac consiliarios, totidem eorum mentes velut in se complecti videtur, ac sapientiam vnus omnium suam propriámque fecisse. Quàm vultis egregia atque insignia documenta conquirite. Excutite veterum commentarios omnes, qui de ordinandis ac regendis hominum societatibus scripserunt. Omnia vna illa voce decretóque contineri, atque hanc esse ciuilis prudentiæ summam & caput inuenietis, ad quam sola indolis & ingenij bonitate noster, non doctorum institutione ac disciplina perductus est. Quid enim deesse illi ad bene beatéque imperandum potest? quanam porrò vel leuissima in re titubabit, qui nihil absque prudentissimorum hominum arbitrio capessat vnquam, eorúmque diligentissimus sit, quæ ab illis facienda didicerit? Præsertim cùm tales ad consultandum viros

viros adhibeat, quibuſcum nemo ſit vſu rerum & experientia, integritate, fide, ſapientia comparandus. Atque hæc excellentis in LVDOVICO prudentiæ ac reliquæ virtutis admiratio tantam ei apud exteras nationes ac Principes authoritatem peperit, vt ad mutuas contentiones controuerſiáſque ſedandas vnum illum arbitrum ac diſceptatorem deligant. Norunt hoc Vercellæ nuper ingenti cum orbis Chriſtiani gratulatione illius æquitate receptæ. Vidit hoc Italia, quam domeſtico inteſtinóque bello flagrantem, & ad ſinum ſuum confugientem eâdem auctoritate recreauit. Et quidem, Auditores, cuius illud de LVDOVICO exiſtimationis fuit, tantum vní Regi peregrinos ac potentiſſimos Principes detuliſſe! Quàm illud à Chriſtianis omnibus optatum magis quàm ſperatum! Vt infinitorum, hominum ſaluti, vrbium incolumitati, Regnorum tranquillitati, totius Eccleſiæ ſecuritati, vno illo eſt Regis interdicto breuiſſimo conſultum! Quis præpotentem terra marique regem, ampliſſimis opibus, maximis ac fortiſſimis exercitibus præditum, inflammatum iracundia, ardentem cupiditate belli, in retinendo victoriæ fructu ac præmio pertinacem, vel ad eas conditiones deſcenſurum omnino, vel re iudicata tam facilè acquieturum putaret? Vrbémne munitiſſimam & opportuniſſimam medio in armorum tumultu, captam ex hoſte luculentiſſimam prædam, bello, ſine ſumptibus ei cuius erat, vnius voce ac ſententiâ reſtitutam? Ita planè, Auditores, ita deinceps ac perpetuò contingat. Redeat vetus illa Francorum Regum dignitas & gloria.

Valeat in dies pacificandis Christianorum odiis ac dissidiis Christianissimi Regis auctoritas. Vt hominis vnius arbitrio dirimere controuersias malint suas, quàm vi, rapinis, cædibus, incendiis, vrbium & imperiorum euersione ac ruina persequi. Vtinam, Auditores, vel ad dicendum plus aliquanto mihi spatij contigisset, vel alterius ac nouæ orationis facultas esset oblata. Nunc me repentè de cæteris præstantissimi Regis laudibus dicere parantem temporis ratio in ipso cursu instituti sermonis repressit: quæ me iamdudum exitum vt aliquem inueniam prædicationis huius hortatur. Quamobrem detractis ex hac oratione reliquis omnibus, vnius postremò mentionem leuiter attingam, amoris erga literas ac beneuolentiæ. Quarum quidem fouendarum & amplificandarum studium amplum Regibus & honorificum est, Reipublicæ verò salutare.

Doctissimis in Græcia hominibus placuisse scimus, tum demum ciuitates & imperia felicia fortunatáque fore, cùm eorum moderatores optimarum artium, præsertímque Philosophiæ studiis essent exculti. Quod Platonis, opinor, decretum hactenus à Discipulo reprehenditur, vt Principes valdè quidem eruditos ipsos esse neget oportere: quòd id & otij nimium exigat, & si vehementer fiat, non satis afferat dignitatis. Optandum illud verò, vt, quod in se minùs habent, id in aliis adamare complectíque velint, & ad eius cupiditatem honorum ac præmiorũ illecebris alliciant. Quod posterius sic Ludouicus arripuit, ita literas ac literatos colere omnes instituit, vt eum amorem

d illam præcipuè iuuandam Reipubl. partem
ansferret, quæ hoc subsidij genus magnopere
agitabat. Hoc enim studet, ad hoc omni cona-
u totisque viribus enititur, vt sacrorum Mini-
ri ac religionum Antistites quàm doctissimi
nt, ac necessariis artibus expoliti. Nec est quis-
uam nobilitate tanta ac potentia, neque tam
aiorum suorum commendatione vel sua gra-
osus, qui, nisi petitioni suæ ætas ac doctrina
ffragata fuerit, Sacerdotium ab Rege vllum
ossit auferre. Atque hoc primùm in dandis
eneficiis percontari solet, sítne is morum pro-
tate ac scientia, cuius causa postulatur, ido-
eus: nihil ne sit denique in collocanda gratia,
uod cum rectà conscientiâ atque officio pu-
net. Quàm vellem (Auditores) id ab Regibus
nnibus diligenter esset antè prouisum, aut
nsequentium saltem vsus ac consuetudo re-
neret. Meliùs vtilitati publicæ foret, meliùs il-
rum integritati, meliùs Christianæ rei con-
ltum. Haberet Ecclesia celeberrimos præstan-
ssimósque viros, quorum copia & auctorita-
florerет. Non esset sectarum illa varietas ac
rnicies conflata, vel in ipsa origine repressa
que extincta concidisset. Silerent improbis-
ni hostes, nec deridendâ Sacerdotum insci-
à damnis nostris ac calamitatibus illuderent.
inus esset Christiana in Republica malorum
scelerum. Emersissent ad immortalitatem
ámque complures, qui sempiterno interitu,
ctorum vel incuria vel exemplo perierunt.
cis denique, cuius in Ecclesia desiderium vix
re possumus, fructum modò iucunditatém-
e caperemus. Hoc quidē imperante Rege, &

eodem in animo institutóque perseuerante, spes est procurari domesticum illud decus posse, veterémque Gallicanæ splendorem Ecclesiæ ornatúmque recuperari. Cuius ad propositi solicitudinisque partem cùm alios præstantissimos adiutores vocandos, tum Societatis nostræ operam non contemnendam putauit. Itaque & in multis Regni ciuitatibus disciplinarum ei ludos instituit, & in hac imperij ac doctrinarum arce collocatos iamdudum occlusósque referauit. Nam quid aliud Parisiensem omnem Academiam, atque istas adeo Societatis Scholas esse dicam, nisi fontem veluti quendam ac seminarium optimorum ciuium, integerrimorum Magistratuum, lectissimorum Sacerdotum, Pontificum sanctissimorum? Magna est in hoc grege nostro ætatum, fortunarum, conditionum, studiorum varietas. Video mirificam in omnibus ferè indolem ingenij, in plerisque verò etiam laborem & industriam. Accedat modò, quæ à nobis exquiritur, quámque ego communi nomine polliceor, Præceptorum assiduitas & diligentia. Nonne euolaturos ex hoc loco propediem excellentes illos, quos attigi modò ordinum omnium, viros existimabimus, ac cùm huic imperio splendori, tum orbi terrarum admirationi futuros? Sed reliqua Scholarum Ornamenta recens ille superat splendor & obscurat, qui ex eiusdem illis voluntate Principis nuper accessit? Quid enim iis magnificentius accidere potest, vel ad literarum testificandum in Rege studium illustrius, quàm quod ex duobus, quos ad discendum idoneos habebat, fratribus, Magni illius Henrici filiis, alterum

Scholis nostris disciplinæque tradidit, alterum etiam domi nostræ in ipso penè Societatis gremio ac sinu collocauit? De cuius laudibus deque incredibili celeritate, ingenij, docilitate, memoria, ardore discendi, tum verò pietate, facilitate, humanitate, cæterísque virtutibus, quibus LVDOVICI fratris geminus est ac simillimus, de iis, inquam, quæ scire ipse admiraríque potui, dicam hoc loco nihil. De tam prolixo Regis in nos animo ac cum superiore illo restitutarum Scholarum, tum posteriore, quod modò dixi, beneficio quid sentiam simul ac proposuero, ego dicendi, vos audiendi finem facietis.

Maximus est à te (LVDOVICE Rex Christianiss.) Societati nostræ tam illustri testimonio honos habitus. Intellectum est, quanti nos faceres ipse, fierique ab omnibus cuperes, ac quid de integritate nostra contra maleuolorum inuidiam calumniámque sentires. Summam igitur gloriam dignitatémque sumus tua voluntate consequuti: Sed hoc tamen pace velim dictum tua, non minùs hoc tuo beneficio ac de nobis opinione, curæ ac solicitudinis quàm voluptatis aut splendoris attulisti. Fateor enim me, quod & idem nostris omnibus euenire statuo, cùm de hac singulari regij erga nos animi significatione cogito, solicitari nonnunquam angique vehementiùs. Video enim elaborandum id esse nobis, vt hoc tanto Principis iudicio digna Societas habeatur. Intelligo non nostram solummodo nobis existimationem, sed & Regis commendationem esse præstandam. Id enim agi profectò

vt si hominum expectationi respondetimus, sapiens in nobis ordinandis ac restituendis illius consilium : Sin satis admodum non fecerimus, vel errore susceptum, vel gratiæ concessum videatur. Verùm perpeti omnia ac tolerare satius arbitror, quàm Regis de nobis consilium, factúmque reprehendi Quod ipsum facilè (vti spero) prouidebitur, si regiam erga has Scholas voluntatem vestra quoque, (Parisienses Auditorésque cæteri) quanta hactenus fuit, quantámque vester hic concursus, & in audiendo humanitas ostendit, iisdem tuendis fouendísque benignitas consequatur.

PANEGYRICVS LVDOVICO XIII.

DICTVS.

ATtigisti gloriæ verticem, Rex Inuictissime, fortunatissima Gallia, tenes fastigium dignitatis, Christiana Religio. Bellum illud aliquando confecimus, ad quod vnum toto sæculo communia omnium vota, priuata singulorum studia, publica comitiorum consulta, sacrorum augusta solemnia, Regum expeditiones innumeræ, multorum terra, marique contentio præliorum ; belli, pacísque quotidiana con

consilia, Reipublicæ demum totius rationes, motus, sensus vniuersi referebantur: ne quis possit ambigere, quin hoc vno cardine fortuna ciuium, sors Galliæ, maiestas imperij niteretur. Habet superbia suos gradus, ad extremum deuoluitur, postquam peruenit ad primum; qui non nouit vltrà crescere, ruere cœpit, nihilque tam propinquum est casui, quàm quod est summum: cœlum ipsum, quo nihil altius occurrit aspectui, fatum expectat, & momento sæpissimè perit, quod ægrè sæculum peperit. Sic illa iacent tot annis sudata perduellium propugnacula, dissipatæ sunt ingentes illæ Britannorum classes, vtrorumque iuncta cum extrema rerum desperatione incredibilis audacia corruit, terræ, maria, tempestates succubuerunt fortitudini regiæ: locis demùm vniuersis profligata rebellio simul omnia sibi sensit præter inferos esse conclusa. Quæ immensitas gloriæ, naturam totam vnius triumphi pompa traducere, vtque pauci homines parere discerent, elementis omnibus imperare! Quòd si adhuc aliquis ex illa furiosorum hominum turba, qui humanæ fidei desertores sensim à diuina deficiunt, de æternitate huius imperij dubitauit; fateatur errorem suum hodie, postquam illud videt perduellionis ruinis impositum; fœlicique commutatione fatorum, à REGE LVDOVICO, immortalitem regni, nominisque Gallici confirmatam, ex quo hæreticus desertor occubuit. Cui enim cœlũ aut lubentiùs laboret, aut gloriosiùs, quàm ei principi qui numinis hostes euertit? Quem alium coronet ambitu sęculorum & temporũm, quàm eum à quo tot laureis
corona

coronatur? De lubris eos coluit antiquitas, qui istis minora fecissent, & pro Diis habiti sunt apud suos, qui tecum, Rex Fortissime, cōparati, vix homines viderentur. Quot tu ergo fana, si vixisses illis temporibus, neque te ad fœlicitatem nostram fata seruassent, quas ædes, quo numine consecrasses? Quam Religionem populis attulisses? Non ciues, vt aliorum solebant, sic tuum funus expectassent, tempus illud sacrificiis occupassent, ipse viuus habitasses in templis, auxisses orbis cerimonias, & aris impositus, quibus auribus nostris nunc percipis, eisdem omnium vota gentium accepisses. Verùm tu qui solidis abundas laudibus, hac inani superstitione non indiges. Non crescit mendacio veritas; ad superos vita, non fama nos euehit. Tuis maior es incrementis, quàm fictæ Religionis encomiis; mauis sublimi demissione maiestatem tuam extollere, quàm abiecta superbia, & sordido fastu deprimere. Gaudes conscientiæ bonis, nullaque præterea re, quàm virtute, vis cæteris eminere mortalibus; adeoque diuina cum facias, humanam sortem non erubescis. Facessat ergò vana hæc species Religionis, vetat ipsa Religio Regis laudes sacrilegio prosequi: quàm sunt illa deformia, quæ crimine calamistrantur: virtus virtute laudatur, numquam consecratur à vitio. Votis publicis oratores alij suorum principum facta commendent, faciam ego vt intelligant vniuersi, te tuis factis, Rex Augustissime, vota mortalium superasse, & si vota vniuersorum, quantò magis mea vnius præconia superasti? quidquid tamen de te dixerimus, dictū erit magnificè, quia nihil

fecit

cisti humiliter, & demissè; toties amplissimè
idaberis, quo:ies verè, quę gesseris narrabûtur;
rsúsque toties vera de te audies prædicari,
ioties recitabuntur amplissima. Ornasti tu tua
cta, corrumpet qui meliùs ornare voluerit.
itto igitur esse sollicitus de cultu orationis,
stquam tantus est splendor in ipsa materia.
irrabo sine multo apparatu quos hoc bello
ostium populos viceris; quam rupem, quam
ipellam expugnaris; quas procellas, & ma-
fregeris. Sed adhuc necesse est scire, quod
cendi initium, quem modum facere debeam:
n quod laudes tuas, quæ sunt immensæ, cre-
m vllis terminis definiri posse: sed ne infini-
fiat oratio, si in proferendis tuis trophæis, ve-
i ire per singula. Sequar igitur in scribendo,
dinem agendi tuum, & cùm magnitudinem
stis, quem oppressisti demonstrauero; tùm
gnæ genus exponam, seriémque victoriæ.
Hostis erat vincendus ille, qui suopte inge-
o semper elatus, nunc certè longo virium
irum vsu, & fortitudinis experimento, supra
odum tumidus, certior sibi semper de victo-
, quàm de prælio videbatur. Erat communis
inium sensus, Rupellam temeritate, & auda-
tentari posse: nulla arte, aut machinis capi
sse: quæ hinc arduis quidem propugnaculis,
sa præcipiti, pendenti vallo, continuato agge-
, lenta palude; molitione multiplici inclusa
et, illinc verò latissimo, altissimóque freto
inita, cui proiectæ turres incumberent, &
iicerentur portæ, transuersis cratibus, hor-
iti ferrò, armatis nauibus, feralibus tormen-
, ineluctabili catena vallatæ: adeò multipli-
ci

ci carcere debuit, antequam moreretur, includi rebellio! quæ se virtute tueri non potuit, debuit machinis, & quæsita munitione defendere. Quot dementia vallis indiget? seipsam innocentia sine custode tutatur; impietas nullo arcium munimento secura est. Mediis soluta Rupella viuebat in vinculis; semper pauida, quia semper rea; semper de præsidio sollicita, quia conscientia sceleris semper obsessa. Accedebat vis annonæ incredibilis, vini, frumentique numerus ingens, apparatus denique rerum omnium toto sæculo meditatus. Nimirum omnia sibi necessaria timor putat. Præstò erat exercitus in Occitania, reliqui signo dato in castra venturi, palam & publicè dicebantur. Subsidiorum præterea opportunitates innumeræ, robur Angliæ coniuratę pręsidiarius miles erat intra mœnia receptus, vt pugnarent exteri, ciues sine periculo triumpharent. Non obscura erant iurata sociorum auxilia, & exterorum hæreticorum variis locis factiones; petebatur hæreseos caput, quisque manum obiectabat. Procerum etiam quorundam, vt rumor tulit, enormes coniurationes celebrabantur, illius nefariæ societatis tabulæ, perduellium que sicariorum adscripta funesto catalogo nomina circumferebantur, confæderatorum dignitas (si in proditione patriæ aliqua dignitas esse potest (famam, nomenque sceleribus colligebat; quem deterrebat attrocitas facti, facientis authoritas inuitabat. Immensas quasdam habet vires ad persuadendum nobilitas generis. Speciosa sunt crimina, quæ in purpura nutriuntur. Ad hæc infinitis bellorum sumptibus Regis exhaustum erat

ærarium,

ærarium, nobis tum claſſis nulla, quadriremes iampridem dimiſſæ, caritas annonæ hoc tempore ſumma, frugum interitus, vrgens fames, graſſantes morbi, peſtis locis omnibus multa: malos premebamus, malis obruti; obſidebamus paucos,omnes obſeſſi;vix licebat viuere,& vincere volebamus. Augebat infinitè ſuperbiam hoſtium longa belli experientia; quippe qui non ſolùm olim ſæpè,modò cum Anglis,modò cum Batauis,partim cum Hiſpanis,partim cum Luſitanis conflixiſſent: ſed & nuper Regis claſſem tum oceani,tum mediterranei maris copiis inſtructiſſimam duobus præliis fortiter ſuſtinuiſſent. Quis in tanto apparatu Rupellæ ſenſus? Eò deuenerat impudentiſſima ciuitas, vt dudum cæteris gentibus cladis metum inferre, regum purpuram, leges, & oracula conculcare; Reipublicæ ſuccum, & ſanguinem exhaurire; cædes, & incendia circumiectis regionibus, & agris obiicere; antiquas Druſiaci prælij,Dionyſiaci, Iarnacenſis, Moncontorijque tragœdias renouare facilè poſſet. Tantùm erat in impudentia roboris, tantùm virtutis in ſcelere! Rupella reginam agebat,imperare docta,quæ nunquam parere didicerat: adminiſtrabat omnia ſumma auctoritate, cœtus prouinciales indicebat, publica comitia conuocabat, militem tùm domeſticum, tùm externum conſcribebat, prouincias,præfecturaſque diuidebat, ius cudendæ monetæ ſibi arrogabat,inurebat ſigillo, ferebat edicta, imperabat pecunias, portoria exigebat, in omnia demùm tyrannico dominatu inuadebat, vt incertum videri poſſet, pluſne Regi per auctoritatem,an ſubdito per crimen,audaciamque

que liceret. Horrebat immaniter Rupes ista, celsaque fronte crescebat in dies, vt ponderosiùs rueret: periculis superbiam animabat, erigebatur denunciatione bellorum, vel ipsa sanguinis specie pascebatur; decernere videbatur illi triumphum, quicumque prælium indicebat; maiorque persuasione, quàm robore numquam cessabat ab iniuria, ne causæ bellorum interirent; scelus alebat quotidiè, vt vel crimine prælia nascerentur. Quis tandem hanc arrogantiam, hos spiritus frangeret? nescit timere, quæ tanta spectat, nescit cedere tot victoriis instituta. Vbi periculum, inquit, si noluero periclitari? vbi hostis, si ipsa mihi non fuero inimica? didici vincendo quid possim. Sic plena sui Rupella se impudenti ore iactabat.

Mouebat illud nos quidem, cùm nobiscum funus istud domesticum viueret, penè tamen vetabamur fateri dolorem nostrum, miseriæque maioris metu, vix licebat in communi miseria vultum portare fortunæ. Sedebat enim in regni visceribus virus illud, quod sine miserabili pectoris totius laceratione non poterat euomi; quodque nisi euomeretur, Respublica non poterat conseruari. Oppresserunt Pannonas Hunnij, Græcos Turcæ, Italos Ostrogothi, Hispanos Visigothi, Syrios, & Ægyptios Sarraceni, sed illorum immanitas cum rebellium hæreticorum furore comparata, humanitas dici possit. Ferebamus iugum Franci, quæque cæterarum gentium seruis dat Gallia libertatem, ipsa seruitutem à subditis quodammodò tolerabat, adeò probrum illud imperij, nec ferri poterat, nec auferri. Quid? non desperat propterea

pterea Carolus IX. sed anno millesimo quingentesimo septuagesimo secundo colligit totum robur imperij, floremque nobilitatis, conscribit numerosum exercitum, vim tormentorum maximam rotat, immensos sumptus facit, Ducem Andegauensem copiis præficit, qui illo bello Rex Poloniæ electus, felici sceptrorum ordine, venerandum Henricorum nomen, & seriem aucturus erat; & ab Sarmatico illo tyrocinio maior venturus ad Galliæ principatum. Is Rupellam aduolat, castrametatur, copias explicat, vrbem vallat Proh tempora, quam me labem refricare coëgistis! Erat in armis pro rege, regis ipsius frater, Dux præstantissimus; arma Rex Nauarræ coniunxerat, Henricus ille nondum magnus, qui & ipse fœliciter successit in regnum: aderant viri principes Condæus, Contynus, Duces Montispenserij, Guysij, Aumalæ, Niuernenses, Longauilæi, Bullionij, aliique toto regno proceres infiniti, accurrerat ex mandato regio fortissimus ille Biro cum cohortibus octodecim, turmis equitum septem, machinis muralibus vndecim. Quid præterea? quinquaginta millibus armatorum Rupellenses obsidentur, tormentis sexaginta nulla intermissione murum quatientibus vrbs oppugnatur, parte alia suffoditur, alia quassatur: fit labes ingens, & à vetusto vrbis fonte ad Euangelij propugnaculum, quod vocant, mœnia lacerantur: turris Cogniensis à fundamentis euertitur, nouies in vrbem irrumpitur, nouies Rupella collata in vnum omnium signa sustinet. Quid tandem? cecidit in irritum totus ille quam magnus fuerat apparatus, stetit Rupella

non

nondum benè deguſtata, fuſæ obſidentium copiæ, mutilati non pauci, trucidati innumeri; obtrita prima acies, lacerata proxima, territa diſſipataque poſtrema, viri principes multi miſerabiliter cæſi, miſſa è tormento pila Dux Aumalæ interfectus, Dux ipſe Andegauenſis penè illa clade implicatus, niſi excuſſum in illum plumbum, fidelis armiger nomine Vinſius, interiecto corpore recepiſſet, ac demum vndecim millia noſtrorum, calamitoſa ſtrage deleta. O rupem hominibus inacceſſam! O formidabilem hoſtem! O inexpugnabilem ciuitatem! qui pugnantium cumuli! ſed qui tumuli ſepultorum! acceſſerunt innumeri, facilè fuit numerare qui receſſerunt. O rupes! O claues! O funera! illa tamen Rupella, rupes illa; ille victor populus, populus ille tot ferè palmarum, quot capitum, tibi LVDOVICE, relinquitur debellandus. Hic habes Cannas Hannibal, hic Actium Auguſte, hic Ciliciam Alexander, hic Cartaginem Scipio, hic Pharſaliam Cæſar. Accedant recentes omnes expugnatores arcium, & ampullati rerum geſtarum amplificatores, ſuas expeditiones conferant cum obſidione Rupellæ. Verrucam iactant, vnum ſcilicet terræ iugerum. *De quo quis viſo dicere poſſit, vbi eſt?* Oſtendam ſuam oſtentant, illudne receptaculum paucorum de naui hominum, & exilium piſcatorum? Rhodum inſulam memorant, ſed interceptam, & Chriſtianorum Principum auxilio deſtitutam: Iuliodunum afferunt, ſed vaſto murorum ambitu difficile ad tuendum: Melitam prædicant, ſed belli caſibus ſuperiorem: Viennam loquũtur, ſed inexpugnabilem Solimanno: Metas

etas celebrant, verè metas, quas antiquo
ere malè munitas, Carolus tamen Quintus,
ntum armatorum millibus fretus, non potuit
anſgredi. Nos Rupellam dicimus expugna-
m à LVDOVICO, cæteris omnibus inſuperabi-
m: Rupellam, inquam, non vaſtam amplitu-
ne, non deſertam infrequentiâ, non preſſam
guſtiis, non rudi defenſam milite, ſed in re-
i finibus ſitam, confœderatis gentibus finiti-
am, omnibus belli præſidiis opportunam,
teri quidem, ſed multò magis recenti mu-
tione formidandã: cuius portus non ſit accer-
us, foſſaque quæſitus vt Antuerpiæ; non in-
modus, & difficilis, vt Iccius; non periculoſus,
oſtendæ; non vaſtus, vt Gratiæ ſinus: ſed tùm
ci natura, tùm arte omni firmatus, vt incertum
ſet plus naturæ deberet, an arti, dum ars na-
ram ſuperaſſe, natura nullum arti locum re-
quiſſe videretur. Tantus nimirùm eſſe debuit,
ui ad arma Regem tantum adigeret; alteri
im ſit inuictus neceſſe eſt, quemcumque LV-
OVICVS oppugnat, qui cæterorum Ducum
ſperationem in victoriam vertit, & per acer-
tos confectorum hoſtium cumulos, ſuorum
rrus agitat triumphorum.

Metuenda quidem erat difficultas cingen-
 ciuitatis, procelloſiſſima præſertim anni
mpeſtate: timendus hoſtilis exercitus, qui
erat è regione Rupellæ, Angelus ille mari
dere neſcius, infinitis naualibus prœliis, vi-
oriiſque ſuperbus: moram feciſſet alteri lo-
s ipſe, qui ſtagnanti palude ſimul inſalubris,
que ſubſidens, ſolus obſeſſuris erat relictus:
currebat ingenium accolarum, quorum ma-
xima

xima pars, vt erat hæresis labe corrupta, ob ipsam quoque viciniam poterat esse suspecta: commouebant omnes, priscæ tùm externorum, tùm ciuium nostrorum historiæ, qui tot, tamque numerosis exercitibus instructi, toties frustrà cum Rupella contenderant: videbat Rex ipse rebellium horrea cumulari expilatorum populorum commeatu, spolia prouinciarum in vrbem quotidiè comportari, quodque grauius erat, non vno prœlio rem posse confici, sed locum, stagna, paludes, æstuaria, turbines, imbres, procellas, terras, maria, desperatosque rebelles; esse ante superandos, quàm Rupella potiretur. O difficultates immensas! ô inextricabiles series præliorum, laboresque perpetuos! quem non ista moles rerum oppressisset, quæ Regis animum omnibus difficultatibus celsiorem erexit. An putatis hoc aspectu negotiorum, bellorumque nexibus esse commotum? audite quæ dixerit, dicturi sæculis quæ audistis. Ibo, inquit, ibo maioribus meis maior, & nobile posteris argumentum, tulit superior ætas, quod sequutura non feret; pareant, aut pereant quos Deus nostro subiecit imperio; ad pedes cadat, qui mecum ad manus venerit, & infœlix congressu, nobilitetur interitu. Hæc oracula lituis, & buccina commutauit, conclamatum est ad arma, contractus exercitus, Rex ipse nondùm è graui morbo receptus, cum lectissima nobilitate fudit se Parisiis, militem rapuit, Rupellam aduolauit, tenuit, cinxit, perdidit. In quo quid primum nos mirari iubes Imperator, exordium belli, an exitum? celeritatem aduentus, an constantiam obsidionis?

lionis? hoſtis audaciam, an fortitudinem
am? vtrumque certè ſtupore digniſſimum,
ſi quò! teneor promiſſi reus, & neceſſe vide-
r ſeriem recitare totius belli, cuius difficul-
tem expoſui: nos ſatis, ſuperque hoſtis au-
uit, te videat aliquando: gaudeat Rupella de
bore, dùm te intueamur hoc altero orationis
to, de illius contumacia triumphantem.
Erat, vt diximus, conciſus æſtuariis locus,
quo vno caſtrametari Rex poterat, paludes
erie&tæ admodum inſalubres, cœlum craſ-
n, ſolum lubricum, ſtagnum mutum. Proh
veri per quot bella, ad vnum bellum eſt ven-
n! Quoties certatum eſt, vt ſemel certare
eret! Stagna oppugnauimus primùm, an-
uam procellas expugnaremus; hæſit in pa-
e noſtræ militiæ rudimentum, vt in Oceano
toria tota conſiſteret. Solum arriſit diſci-
ıæ, cœlum affulſit victoriæ. locus ipſe viſus
dediſſe locum virtuti Caſtra montibus val-
erit Hannibal, Tamerlanes in vrbis modum
ficarit. Attila militaribus pellibus obruerit,
inis Græci, curribus Germani, teſtudine
mani ſe texerint: tu, Rex inclyte, qui nole-
ſuffurari victoriam, in aperto campo ſedi-
In hac, inquam, æquata planitie, noſter ex-
atur exercitus, vt hoſtis implicaretur; In-
ntur ſigna, ne lateret aduentus, vrbs ex iti-
ſalutatur, adeò expetebatur. Dum hæc ge-
tur, miles ſortiri vultu perduellem, terrere
u, ſpe ipſâ diripere. Nutaſti, credo, furioſa
llio, cum te foris Lvdovici Iuſtitia, domi
ſcientia ſceleris obſideret, impalluiſti quæ
orem amiſeras, nunquam alba magis quip-

pete vrbem Albam prædicas) quàm cùm alba Imperij lilia suspexisti.Sed quò à Rege discessimus? imo verò quò Rex discessit à nobis? auolauit celeritate victoriæ, en iam toto Rupellæ ambitu se maiestas illa diffudit. Virtus nullis limitibus continetur,sed impatiens claustri,vltrò se iactat, sui nominis, & numinis explicatrix. Parum fuerat scilicet labore superasse loci naturam, nisi artem victor noster ingenio superaret.Tota igitur continenti prop gnacula iubet excitari, aggeres extrui, vallum duci, triumque leucarum circuitu, Rupellam fossis iuxtà, & interpositis statiunculis, ad communicationem armorum circumscribi.Sequuta est Ducis imperium celeritas operis inusitata, hic vallum ferre, ille cæmenta conuehere, lapidesque portare,palam alius defigere,alius humum egerere,cespite moliri tectum,fingere,inducere, cumulare, exaggerare;sui quisque gradus obliuisci,dignitatem labore metiri,meritum opere, maior ille prædicari qui actuosior, ille præfici qui plus aliquid perfecisset, pro se quisque demùm contendere ne illo laboris certamine vinceretur. Addebas interim fatigatis alacritatem, humaniss. Princeps, omnium onera vultu portabas,laborem nutibus subleuabas, opus laudibus compensabas.Quid extulistis tãtopere prisca monumenta Dionysium, quòd sexaginta millia operarum exerceret,cùm mœnibus areas Syracusanas ambibat? quid Neronem historici, quòd humeris corbem ferret, cum Isthmum Corinthiorum perfodiebat? quid Caracallam annales, quod semper laboris initium faceret,

cùm

im in castris agebat? quid Mannuelem Com-
nnum Græci, quod saxa veheret, cùm Dory-
um renouabat ? quid Constantinum Romani,
uòd terram foderet, cùm magnificentissimi
mpli fundamenta iaciebat ? LVDOVICVM ha-
ent Galli, qui singulis militibus adlaboret,
ntùm ipse conficiens operis, quantùm impe-
t vniuersis: architectus in opere, miles in val-
, dux in agmine, vbique Augustus. Sed, vt vi-
o, dedignaris hanc laudem, sapientissime
ex. Tua tantùm esse putas, quæ tecum nullus
ius fecerit; mauis ferre virtutis, quàm labo-
s encomium; illa in te egregia, hic tibi com-
unis cum milite fuit. Pugnauerat Imperator
geniosâ compositione castrorum, reliquum
at vt disciplina, & ordine militiæ triumpha-
, scripsit ergo militibus suis eas leges, quæ vt
i scriberentur contendere ipsi debuissent; do-
itque priùs vincere morum integritate, quàm
mitate neruorum. Et quidem quisquis in
ereticos pugnaturus est, debet virtute, quàm
anu certare validiùs. O nouam bellorum fa-
m, nouumque genus oppugnationis! ha-
enus creditum erat peruerso, & præpostero
eliorum vsu, bellum sine facinore, sine con-
melia numinis geri vix posse; sed ex quo no-
um militem vidimus à cruore, à libidine, à
nuitio tam alienum, credi cœpit inter ipsa
na, locum esse virtuti, scelusque non stipen-
rium esse belli, sed voluntarium adminiſtrum
itrij. Quid quod totum exercitum conco-
i veste donauit, vt qui corporis cultu similes
ent, solo animorum ornatu distinguerentur,
quantùm alij bombyce, & purpura nitere

amant; tantum ipsi virtute cæteris eminerent:, Ibant olim milites in aurea veste sub Antiocho in picta clamide sub Sertorio, in purpura sub Cleomene, in expolitis armis sub Cæsare, in rubenti sagulo sub Artaxerxe, in candenti tunica sub Byro, in scuto puniceo sub Agesilao, in fibulatis auro caligis sub Aureliano, in amictu argenteâ cruce signato sub Constantino: Ierunt nostri sub LVDOVICO, in veste non ad delicias molli, non ad pompam ambitiosâ, sed ad militare robur, & pugnam accinctâ, ferro, non auro miles indiget, bellum ardore geritur, non nitore.

Intereà dum vestem militum contemplamur, nudata est suis arboribus, vitibus, hortis, segete, sepibus tota quæ ad Rupellam est planities, distributus in classes, & manipulos exercitus, defixa signa, obtentæ pelles, substructa longo ambitu propugnacula duodecim, inter se fossis continuata; dispositæ ex interuallo, vigilibus, & excubitoribus stationes descriptione multiplici, rotundæ, quadratæ, extantes depressæ, proiectæ, subductæ, lunatæ, cyclicæ, hemicyclicæ triquetræ, quadrangulares, variæ: perduellis denique ciuitas omni à terra aditu prohibetur, cauendum est tantùm ne euadat. Oceano. Nondùm, vt fatear, qua parte vastissimo sinu alluitur, conclusa erat, sed adhuc sedebat in portu, quia portum nondùm classe tenebamus; quamuis enim ex vtroque littore fortissima castella obiicerentur, vnde multa vno ordine tormenta in nauigia detonarent, peruium tamen erat marè, & facile vltrò citróque commercium. Quis hanc Rupellensi eripiat facultatem?

Vene

nerant quidem ſuppetias exteri, vt hoſtem
inſulis noſtris expellerent, ſed ſeriùs appu-
ınt,ſiue quòd grauiores naues ducerent,ſiue
òd obſeſſam inſulam (quam Ream eſſe om-
; intelligunt) vnus Lvdovicvs Iuſtus poſſet
oluere. Etſi verò noſtra fœlicitas inuidit illis
toriæ gloriam,hoc tamen fortiſſimi iudican-
unt,quòd ſoli mare tenuerint,quòd eos non
pectauerit Anglus,quòd nullus obſtiterit, &
tardiùs veniſſent, priùs vicerint hoſtem,
m viderint, eſt inexperti temerè in negotia
re:lentè feſtinare, ſapientis. At at, dùm iſta
ſidia moras trahunt, tenet Oceanum Ru-
lenſis,eripienda ſunt illi maris effugia. Hùc
te veſtros myoparones, minutiſſimoſque
tones Armorici,hùc ſcaphulas, & lembulos
aitani;huc aphractula, & actuariola Canta-
; plus Gallus poterit in liburnis, quàm in
ındis, & conſtratis nauibus Anglus. Ita fa-
m eſt, non ſine omnium ſtupore, nauigiolis,
bulis,myoparunculis, vectariolis,celocibus,
ribuſque curſoriis mare tenuit Lvdovicvs
um ipſum pugnare paratus, ſi hoſtem is
nus habuiſſet. Quis credat epibadibus ca-
ractas, lintribus roſtratas Britannorum
ſes ſuſtineri potuiſſe? Fuerit illud ad for-
dinis ſpecimen, erit quod ſequitur ad
orem.

on ſatis erat claſſibus inſultaſſe, niſi inſu-
inſultaſſet Oceano: machinatus eſt igitur
uid,quod homines ſatis mirari non poſſent,
maria pertimeſcerent. Intelligitis quò mea
tat oratio, iámque ſuſpicitis ædificatum in
ore vallum illud,carceribus frænatos impe-

tus indomiti hactenus pelagi, ne rebelles à iugo se liberos fore putarent, vbi mare libertatem amitteret. Quis posterorum cùm legerit, humano consilio factum putet? quis perduellium cùm viderit, neget pelagus iustitiæ stipendiis militasse? quis barbarorum cùm acceperit, testes oculos non adhibere volet ad fidem? Illi ipsi qui quotidie videbant formidabiles illas moles, qui pedibus calcabant, qui militares in illis excubias agebant, suis sensibus non credentes eò laborabant persuasione pertingere, quò Regis fortitudo peruenit. Iacienda moles erat quæ totum sustineret Oceanum, nec ventorum quassata turbinibus, nec fluctuum assultibus verberata, nec æstus inundationibus superfusa, obrutaque titubaret. Pij principis erat hoc patrare miraculum, nemo id si maxime vellet, præstare potuit, præter LVDOVICVM XIII. qui primus voluit, quod potuit solus. Mare impatiens operis videbatur, nisi immensi laboris patientia victum esset; disceretque per gradus subigi, & sæuientis freti inclementia imperioso fræno coërceri. Vnius numinis est mutare sedes elementorum, æternosque rerum cursus obice temporario sistere: paret Deo natura omnium parens, cæteris hominibus imperat. Summa erat altitudo maris, sed altius adhuc Regis ingenium; rapidus vortex, sed stabile consilium Ducis; dubij casus, sed certus, & constans militis animus; varij vndequaque metus, sed vna omnium spes, fac lius esse nostro Principi, quæ vellet efficere, quàm quæ efficeret velle, qui rerum successus suâ voluntate definiens, etsi maiora quàm cæteri omnes fecisset

ı Gallia, fecerat tamen ſemper minora, & mi-
ora viribus ſuis. Quid? iaci cœpit illius pro-
igij rudimentum qua parte fretum erat an-
uſtius, ſatis longo tamen interuallo ab vrbe
iſſitum, ne ſi remotius eſſet, architectorum la-
orem vinceret profunditas aluei; ſi vicinius,
bore hoſtium vinceretur, & noceret propin-
uitas teli. Principiò igitur defixæ ſunt ad con-
nendam futuram ſtruem parte omni trabes in-
entes, aliæ tranſuerſæ, & decuſſatæ, vt demiſ-
os lapides ingenioſis quaſi brachiis amplecte-
ntur; erectæ aliæ, vt primos impetus frange-
ent, vndas ſupercilio deterrerent; quædam in
uadrum ductæ, commiſſæque quadrando,
abiliendoque operi, quædam in propedem,
lumque proiectæ, vt illa machinarum decli-
tate, mollique deiectu clementiùs fluctus
cciperentur, ipſoſque inoffenſos, inoffenſa
olitio refunderet pelago. Ingeſta ſubinde ge-
eris omnis ſaburra, maxima vis lapidum te-
erè iacta in profundum, ſuperaddita cumulo
egrandia pondera, nondùm tamen oppleri po-
it barathrum, ſed dum helluatur accepta, no-
s pabulis inhiat, quin ponderibus attollitur,
funditur, & amplificatur in vinculis; inſatura-
lis, nempè quædam eſt fames, inexplebilis
aeus, & aluus Oceani, parte omni fauces ape-
, quà pabulum obieceris, hac vorabit, & ſa-
ritate voracitatem accendet. Quis illis intem-
rantiæ modus ſit, & finis difficultatum? op-
ſita quidem fluctus eluctabantur repagula,
l adhuc ſoluta machinatio ſine compagibus
t, ſine commiſſura, ſine cæmento, ſuis tan-
n librata, firmataque ponderibus; hiabat

malè materiatus murus, aquas transmittens; conferti sine ordine lapides cum fluctibus voluebantur, & trahebantur in præceps; temeraria demùm, & indigesta illa substructio, nullo nixa fundamento, hosti risus ciebat, metum afferebat militi, animos addebat Regi, qui malit cùm natura luctari, quàm cum fortuna triumphare. Neque verò diu stetit sine nexu fabrica, sed seipsas aquæ prodiderunt, quæ dum se in rimas saxorum insinuant, & crudum parietem interluentes tentant inconditam laxare compagem, secum cœnosam vliginem conuectabant, & luto quouis glutine tenaciori congeriem aridam officiosè adstringebant: peruium murum repererant, sed aquis succedentibus limo incrustatum relinquebant: transibant fluctus nunquam redituri, & rimas implebant, qui labes facturi videbantur immanes. Quid porrò? Hactenus successerat labor, sed (vt fert natura magnorum operum) difficultas crescebat in manibus, & quæ fuerat initiò maxima, maior erat in progressu: Etenim quò magis ab vtroque littore mollitio recedebat, hòc gurges altior erat, & quemlibet aggerem vasta vorago sorbebat auidiùs, æstus ipse turbulentiùs agebatur, insana fluctuum volumina medio alueo atrociùs bacchabantur, nostraque repagula quasi sibilis explodebant, mugitibus indignabantur. Iam deficiebat materia qua tàm ingens charybdis impleretur, & nisi latomiæ fuissent supra quàm credi potest vberes, & fœcundæ, periculum erat ne lapidum penuria fabrica nostra penderet, sed tàm diues vena fuit, vt ipsa saxa sub manum, ferrumque sobolescere viderentur, cæduum esse dixisses

ixiſſes lapidum nemus, quod depaſtum ſylueſ-
eret, grandeſceret imminutum: Hac tam fer-
ili, & copioſa officina fretus maturare cœ-
it Imperator obſidionem aquarum, lapidi-
inas recentes aperiri iubet, nouas rupes exſcin-
i, omni contentione opus vrgeri, conferri fra-
mina montium, ſyluas adhuc ingeri, totas ter-
as vndis inferri, glebas ſaxis, ſaxa aggere, agge-
em nemore, nemus ſcopulis, ſcopulos monti-
us aceruari, obuiam igitur materiam pro ſe
uiſque rapere, molaria pondera in mare vol-
ere, terræ penetralibus pelagi viſcera ſaburra-
e, elementum elemento confundere Stetit
la tandem vaſta, operoſaque ſubſtructio, velu-
porticus toto eminens pelago, continenti or-
ine fabricæ, niſi quod in medio ſalo apertus
rat tolerabilis aditus, ne omninò maria deſpe-
rent. Nolebas enim prohibere, Rex Pruden-
ſſime, ne fluctus laberentur vlteriùs, ſed co-
ibere rebellionem, ne iterum elabi poſſet; du-
iſti quippe ab vtroque littore molitionem di-
ctam, ſed medio alueo pendere iuſſiſti abru-
tum opus, aggeremque continuare noluiſti,
omnes intelligerent, non quantùm poſſes,
d quãtùm velles feciſſe te, qui poteras æſtum
ænare qua iuſſiſſes, cui viam faceres quà vo-
bas: Iter vndis reliquiſti, vt rupto muro con-
macem vrbem cumulati fluctus inuadentes
rgerent ad rebelles tuæ fortitudinis nuncij,
umantique fremitu loquerentur, quàm ægrè,
nuoſéque tranſiſſent: Quanquam enim medio
oles hiaret Oceano, defendebas tamen inter-
llum illud, multiplici lignearum machina-
m ordine, & hinc quidem quà ſe mare latiùs

aperit, longa ſerie candelabrorum, vt vocant, naufragiis prælucebas: Inde verò quà itur, in vrbem, demerſis onerariis, iunctoque nauium inædificatarum rudente, hiatum incluſeras, vt nullus accederet, qui firmitatem operis non probaret, ibique fortior eſſe videreris, vbi vel robur muri defeciſſet. Sic mare nauibus, fræno, machinis, obice, milite, ponderibus tenuiſti. O conuulſos cardines rerum! O domitas naturæ vires! O humana miracula! hæſit in lubrico firmiſſima moles! non fluctuauit impoſita fluctibus! vortices fregit ipſa non fragilis, ruentis pelagi fremitus audiit ſtatio ſurda! quæ dum obluctatur Oceano, argumētum furoris eſt hoſti, & exemplum conſtantiæ militi. O nunquam audita prodigia! ſtant aquæ! fluctus ipſi pendent! credo admiratione librati, contra natant terræ, non nutant tamen, ſed in naufragio portum tenent! Noſtri milites pedibus ire, quà nulla præceſſit exemplo, nulla ſequutura ſit ætas ingenio! tormenta rapere qua vortice rapitur vnda citatior! excitare tempeſtates in ſicco! portum in tempeſtatibus collocare! ignes in aquis accendere! terris maria ſociare! Eſt adhuc in iſta oppugnatione, quòd plura quàm expectaremus regem perfeciſſe miremur, nec illos ſimilem extitiſſe, qui nihil detrectent, dum nihil impleant operis. Satis erat nobis, ſi ſuperioribus annis prætendi freto catena ferrea potuiſſet, quæ maris commercio interdiceret hoſtibus: vt autem Rex tot onerarias in mare demergeret; vt tot muralibus machinis, miſſilibuſque littus vtrumque dēfēderet: vt trabes illas ſolidiſſimas nexis capitibus excita-

ret; vt crudo aggere, glebiſque ſtructilibus am firmum luctamen procellis obiiceret; vt uper his molibus, ſtuctuantique vallo ſuum rmamentarium collocaret; vt ſine claſſe, claſſem Anglorum, claſſem vndarum, claſſem turſinum retardaret, nullus auſus eſſet optare, Rex olus votis omnibus maior, reflantibus licèt Aquilonibus, & contra nitentibus fruſtrà tempeſtatibus perficere potuit. Quoties enim procellas infremuiſſe putandum eſt, & immanes aquarum moles noſtris molibus oppoſuiſſe? vt canes, ſic fluctus obiectis lapidibus adlatrabant; morſu inuadebant, ſed inani? Irruebant odio turbulenti, recedebant metu exalbeſcentes, & ſpumei, viſo hoſte timidi, qui ante pugnam tumidi ferebantur. Alij repulſam iniquè ferentes, immani ſe ſupercilio tollere, vallum ſaltu tranſmiſſuri: alij verſo in ſuccedentes vndas furore, eas vorticibus abſorbere, tardare, & fugare ſe inuicem, vt poſtremum agmen in bello ſiſti, fugarique ſolet, cùm fractum primum occurrit: Illi feruere acriùs, & toties victi, toties rebelles, renouare conflictum; Iſti demum deſpondentes animo, ſe victrici moli ſubmittere, & tumore in reuerentiam mutato libare oſcula, blandiſque illapſibus adulari. Scio multis olim fluminibus impoſitos pontes, & ſæpe calcatam à magnis Imperatoribus aquarum eſſe ſuperbiam, ſed hi omnes aut in opere ſtatim aut breui ab opere corruerunt. Iunxit Helleſponti quondam anguſtias connexa claſſe, celebris ille Perſarum ductor, ſed quid factum illud habet miraculi, cùm hæc ſit natiua claſſium ſedes? ſimili nauium contabulatione Baianum ſinum

ſtrauit tertius ab Auguſto imperator,ſed vtrum maius videtur,puppes intuliſſe,vel terras Oceano? fecit in Munda flumine Iulius Cæſar, ſtrage cadauerum aggerem, ſed ipſi fluctus mutauere colorem ſuum, illum obicem erubeſcentes:Adiit quoque Tyrum Alexander nauigabili ponte iuncturus inſulam continenti,ſed diu fluctuauit illud opus ſine fundamento, idque ſemel hoſtis incendit, non ſemel æſtus abripuit: Legimus etiam ſaxeis pilis caſtigatam à Traiano, & Conſtantino Danubij, Rhenique ferociam, ſed arduum non eſt fluuiis ſilentibus inſultare: aquas Baias ad Auernum lacum deducere tentauit Nero, ſed hoc potius conducti foſſoris inuentum eſt, quam Romani imperatoris, qui tantillo tamen negotio victus, opus abiecit. Vni quippe Lvdovico conceſſum eſt ex omnibus hominibus, non accerſere riuos, non foſſas ducere,non aquas auertere,non pontes iungere, non naues copulare, non paludes exhaurire (in quo quæ poteſt eſſe tanta victoria?) ſed ipſos fluctus quàm ſpurci ſunt, maria quàm procelloſa, tempeſtates quàm turbulentæ, obice facto concludere. Velit fortaſſe in laudis iſtius partem Maximianus imperator accedere,quem Rhetor Belga neſcio quis, Galliarum vrbem portu inſignem oppugnaturum, defixis in ſinus aditu trabibus,ſaxiſque ingeſtis, inuium nauibs locum reddidiſſe commemorat: at illa clauſtra(vt eiuſdem rhetoris verbis vtar) qui primus inſiluit æſtus, irrupit; totáque hæc obiecta fluctibus moles, quaſi ſigno dato, ac peracta ſtatione dilapſa eſt. Nefas eſt autem ſimile quidpiam de noſtri principis opere ſuſpicari,

icari, ibit miraculum iſtud ad poſteros; ſeſe-
ue ferent immortali fronte noſtra repagula,
ortiora procellis omnibus, ipſoque profundo
rofundiora. Optarint maiores noſtri. vt iſtud
liquando fieret, quod ipſi facere nequiuerunt;
cient nepotes fieri poſſe, quod factum: furo-
is ſui terminum inuenerit pelagus, terminus
ic, terminum non habebit: monumenta fient,
oſtquam clauſtra eſſe deſierint: pœnas qui
iuunt rebelles ſentient, qui venturi ſunt ali-
uando, pertimeſcent: docebitur omnis ætas
ponte verti elementa, vt rebellionem euer-
ant; ruere fluctus, vt hæreticos obruant, qui
ati noluerint Regis imperium, quod mare ſu-
tinuit.

Sed parco prædicare victoriam, quandiu cum
oſte pugnatur: Ecce enim Anglus turbat
dhuc, quantùm ſuperiori bello ad Ream in-
ulam imminutus eſt viribus, tantùm creuit
udacia, ſuperbus dum corruit, animoſus dum
ultatur. Nondùm ſe à proxima clade rece-
erat, cùm victoriis noſtris inſtitutus ad præ-
ium, tentauit ſemel atque iterum noſtras vires
rimò facta excurſione, tum ſimulato impetu
onatus perrumpere magis repagula. O Stoli-
um, & Abderitam! quaſi cum firmiſſimo
uro, cum numeroſiſſimo exercitu, cum po-
entiſſimo Rege, illum ſubſtinere non poſſe-
us, cuius claſſem antea ſine nauibus fregera-
us. Quamquam, vt video, furore rebellium
d iſtam impudentiam animatus eſt. Erexe-
unt enim pro muris, proditores patriæ Rupel-
enſes, vexilla Britannica, ô infamiam! victos,
icti ipſi vocarunt in auxilium, ô dementiam!
Luthe

Lutheranos Caluiniſtæ, ciues exteros, Galli Anglos, ô deſperationem vltimam! ea vos ſigna ſuſtuliſſe (nefarij deſertores) quæ recens noſtro militi ludibrio fuerant! ſcilicet illa vos oportuit explicare, tùm vt barbarorum eſſe, non Francorum illud ſcelus oſtenderis, tum vt Rex noſter duos hoſtes vno bello conficeret? ſic enim viſus eſt eodem tempore Gallos in Anglia, Anglos in Gallia vincere. Venit fulminaſter Anglus, ſtetit in conſpectu citra ictum tamen, quia ferire noluit, ſed aſpici: proſpecta noſtra mole hæſit attonitus, illàc ſuos milites aditum inuenturos non credidit, quà vix ipſi fluctus viam haberent, ratus occluſum eſſe nauibus mare, patere naufragiis. Explicate, tandem Britanni conſilium veſtrum, quæ cauſa aduentus fuit? quæ tam diuturnæ moræ? quis arcanum illud apperiat? aduolaſtis celerrimè, duriſſimè ſtetiſtis in anchoris: vela explicuiſtis, animos contraxiſtis: ſigna multa, ſignifer nullus apparuit: Leopardos vidimus in vexillo, lepores experti ſumus in prælio: quàm ſimiles vobis, Angli, quàm veſtris nauibus diſſimiles extitiſtis! vos animo pumiliones, illæ coagmentatione proceræ, hoc ſolum habuiſtis cum illis ſimile quod illæ tardæ ad motum erant, vos ad prælium tardiores! Ænigma fuit aduentus veſter, planè ducendi fuerant diuinatores qui ſoluerent. Alij non naumachiam, ſed Bacchicam expeditionem eſſe dicebant vino Aquitanico metuendam, in qua plus meri fundendum eſſet, quàm ſanguinis: Alij viſendæ obſidionis, alij orandæ veniæ gratia, nemo prælij cauſa veniſſe ſuſpicabatur. Qui
ſemel

mel fractus est hostis, contemnitur, non ti-
etur:ac nisi prædones in nostras insulas emi-
ssetis, dubitare potuimus essetne hominibus
acua classis vestra, quæ in Oceano velut in
nari mortuo iners, & otiosa consisteret. Pu-
uit illos tandem ignaniæ suæ, reuerti in An-
liam sine vulnere noluerunt, facturi plagis fi-
em audaciæ. Quis eos fortes putaret, nisi pro-
ocante hoste pugnassent? quis cum Gallis
rederet contendisse, nisi vulnerati redirent?
imulacrum ergo exibuere prælij, quod vt ma-
num non fuerit, fuit tamen honorificum no-
is, Rupellensibus, Britanniisque fatale; dedu-
ere naues in aciem, explicauere vexilla, machi-
as disposuerunt. Gratulari sibi tam beatam
iem milites nostri, se victores dicere, ex quo
ugnare liceret, increpare tarditatem hostium,
otis occupare conflictum, equites littus tueri,
edites molem: alij Rupellensibus opponi, qui
xciperent erupturos: alij ad Anglos præmit-
i, qui segnes irritarent: quid? lacessitus An-
lus celoces incendiarias, ipse frigidus in nos
nisit: signum dedit buccina, sed receptui: to-
itru tormentorum edidit, quanquam non sur-
i eramus ad prælium: fragore pugnauit, &
ibilo, sed contra ventos: bombus fuit præ-
erea nihil. Tormenta audiuimus, non sensi-
nus: ignes aspeximus, sed fatuos: fumum vi-
imus, sed qui nobis splendorem afferret, ho-
ti eliceret lachrymas: ardebamus animo, dum
ice, sulphureque lucebat: lucebamus in ar-
nis, dum Andabata pugnabat in tenebris. Quid
u intereà, LVDOVICE? qua diligentia simulan-
i pugnam Anglo occurristi? qua prouidentia
tot

tot naufragos ignes auertisti? qua prouidentia terra, marique legiones instruxisti? quàm aptè librari macchinas, quàm opportune displodi imperasti? quàm vnus fuisti, quàm multiplex? quàm diuersus in vno, quàm vnus in omnibus, cùm simul Anglos lacesseres, simul Rupellenses obsideres, simul vtrisque triumphares? Ecquem verò nobis de tua salute metum iniectum putas, cùm tot periculis caput obiiceres, & tuo capite salus totius Galliæ verteretur? Meminimus militi speculam tibi editam molienri, vnde citrà periculum periclitantes videres, iratum imperasse te opus illud continuo destrui, cùmque omnes à te deprecarentur periculum, addidisse. Nolle te æstimari de milite, nec per quæ triumpharent cæteri, vincere: sed per quæ ipse vinceres, cæteros in otio triumphare. O si animus ille pugnasset! quæ hosti vulnera, quæ exempla militi, quæ argumenta dedisset historiæ? Sed qui hunc ardorem aspexit, incendium timuit, imò tuo vnius conspectu subactus hostis recessit in fluctus, ne si appulisset, pateretur in terra naufragium.

Quid ad hæc fœdifragus Rupellensis, toto mari prohibitus, terris omnibus depulsus, orbe conclusus angusto, & orbe exclusus vniuerso? quas restes iugulis attemperat? quas in mari voragines ad præcipitium vestigabat? Imminebant vrbi per gyrum duodecim horrenda propugnacula, quæ terrerent aspectu, fulminibus tererent: cernebantur tumulis impositæ longis suspectibus speculæ: ardui fossarum anfractus descensu ipso difficiles, ascensu insuperabiles occurrebant: videbant inclusi perduelles

ielles enormia sibi quotidie parari ergastula,
itaria castra dies lætos in pellibus ducere, dis-
ositas esse omni parte excubias: obiicieban-
t pro lotica castrorum munitiones lunatæ,
ementitiæ gerræ, crudæ opere cespitio sub-
ructiones, casæ subterraneæ, valla protuberan-
a: patebant liliata Galliæ signa, quæ vel suo
ndore perstringerent rebellium oculos: suc-
debant sibi maiori portento, quàm fide con-
nuata miracula. Prætereà nulli accessus, nisi
l pugnam; nulli exitus, nisi ad exitium; nul-
colloquia, nisi ad deditionem faciendam;
iles vndique, & vndique miles: arcem fos-
, fossam vallum, vallum speculæ, speculas
atio, stationem desperatio, desparationem
rca vno mortis tenore, ordineque fatorum
cipiebat: tenebantur denique fossis, aggere,
illo, ferro, cuneis, agmine, quid facerent? sed
æc tantum mali præludia. Accedebat vltima
imes, telum quo nullum est, in bello crude-
us, quia simul ignauè, & atrociter perimit.
im commeatus omnis erat absumptus; herba-
im fibris solati erant inediam; radices in hor-
s, mures in rutis cæsis domorum, canum,
quorumque morticina defecerant in stabulis;
ixum, elixumque atro iure corium, & ma-
eratas ocreas deuorant: letales venenorum
iccos in cibum verterant; in deliciis erat ci-
uta: auro toxica vendebantur: citrà pretium
rat quod citrà horrorem dici non potest, dif-
cilius erat viuere, quàm perire: & in funesto
lo mortis, vitæque confinio, nec viuere lice-
at, nec mori. Nihil tam præsens quàm fatum,
ihil tam remotum erat: longa tabe longiora
crimina

crimina multabantur : vita trahebatur ambage malorum, & multiplicatis funeribus, multiplicabatur in pœnam : mors denique cum vita consenserat, illa votum, hæc vt supplicium fieret. Tam miserè hæretici viuunt, tam ægrè rebelles intereunt. Reptabant in compitis homines strigosi, macilenti, capulares, sine carne pelles, exanguia silicernia, tenues vmbræ, imitationesque viuorum, pallida mortis exordia, inanes corporum folles, ossium malè congesta compago, continuati ossibus nerui, vacui ventres, & queruli; viri, non iam viri, sed ferales hominum laruæ. Malè ominosus erat occursus ciuium, crescebat mutuo aspectu calamitas, dum quisque legit exaratam in alterius fronte capitis sui sententiam, & tanquam in mortis speculo, imminentis funeris imaginem intuetur: alter alteri mœstum diuinæ vltionis fiebat exemplum. Se morti occurrisse putabat, qui in fratrem inciderat: omnes longa macie torridi videbantur, multati reorum vultus, cadauerosæ frontes, recedentes oculi, consutæ genæ, ieiuna labia, otiosi dentes, & longi, subductum mentum, hiantes fauces, & aridæ. Digni erant tali ieiunio ieiuniorum nostrorum irrisores. Quid plura? vel ipsa mors visa est laborasse fame, ita ventre insaturabili omnes belluabatur in vrbe: funeribus funera cumulabantur: mors desierat esse terrori ciuibus, quam vsu quotidiano, domesticaque consuetudine familiarem habebant: timore sublato desperatio succedebat: calcabantur temerè, & sine horrore mortuorum acerui: non lugebant aliorum mortem, qui suam expectabant: nihil

ius patris obitu mouebatur, quia naturam
rtuna mutauerat. Vnum omnium votum
rire citò; metus longiùs viuere: ſolatium
iamplurimos ſocios mali futuros. Proiecta
cebant intereà, in ſepulchralibus viis ſine ſe-
ılchro cadeuera, & nuda humo, nuda oſſa
olucbantur: cælo tegebantur corpora, quorum
imæ apud inferos flammabantur: domus in
pulchra tranſierant, tamen erant omnes inſe-
ılti: nulli qui efferrent aderant, ſoli occur-
bant qui efferrentur: hæredes morientibus
ılli, nihil ipſis etiam vermibus iure funerum
linquebatur: qui bonis ſuccederet nullus
at, malis vniuerſi ſuccedebant. Prætereà di-
icebatur receptos Anglos eo veniſſe furoris,
t vel cruentis hominum artubus paſcerentur:
rales neſcio quas matres, quo effuderant vte-
o, eodem filios recepiſſe: alios corpus ſuum
uiſſe minuendo: inuentum eſſe puerum qui
amem crudis demortui fratris carnibus ſatia-
et: ſalita eſſe diſtractorum quorundam mili-
um membra, ſimiliaque voracitatis portenta
cculrè memorabantur. Rupella denique in
arnarium verſa erat: veros Tydæos, & Mena-
ppos, renouatas Buſiridis aras, furioſaque
Diomedis præſepia videbamus. Nulla in vrbe
alus, quot ciues, tot Sandapilarij, tot Maſſa-
etum popæ, tot carnifices Cyclopes, tot eſſe
uneſti carnifices credebantur. Hic amiſſum fi-
ium in mortuorum aceruo quaſi publico ſpo-
iario quærere: hic enectum fame abiicere: hic
liſcerptum, & laniatum ſuſpicari. Omnes de-
ique plus caninam libidinem dentium, quàm
nortem ipſam, famemque timere. Quid, in-

quam,

quam, facerent? in restim rei summa redierat; sola superera tobsesso, aut clementia principis, sed noluit experiri: aut proprij ferri voluntarius rigor, sed clam perire non meruit. Vbi grandes illi spiritus, quibus nostros exercitus difflare posse credebatis Hæretici? vbi folles illi minarum, magnificæque verborum pompæ? vbi supercilium illud, cui tantæ victoriæ, tantæque tragœdiæ nitebantur? O rerum conuersiones! ô improuisam calamitatem, tantis tamen criminibus debitam! ô famem! ô furorem! ô lanienam! Fidem iam habeo annalibus, cùm Cambysis exercitum referunt eò fame fuisse compulsum, vt decimus quisque miles sortitò mactaretur, ferculum inhumanum futurus: non inficior eò venisse calamitatis Romanos, cùm obsiderentur ab Alarico, vt in Circensibus ab Honorio Imperatore flagitarent, humanæ carni pretium poneret: non nego Cassilinos eò angustiarum redigi potuisse, vt apud illos mus ducentis nummis vnus vænierit, cùm Hannibal immineret: non reuoco in dubium Calageritanorum inediam, qui ne in Pompeij manus venirent, vxores suas, liberosque sale condierunt ad pabulum: non duarum mulierum illarum furorem, quę Romæ, opugnante vrbem Vitige, septem supra decem milites iugulatos deuorarunt: non Iudæorum decantatam illam cladem, qui absumptis denique omnibus, ad sterquilinia, cœnumque conuersi sunt. Fidem horum omnium facit Rupellensis calamitas. Saguntinam, Perusinam, Meliæam, Constantinopolitanam, Lydiam, Hierosolimitanam, Potidæam famem datur aliis legere, nobis

ois datur intueri, dum Rupellenſem vide-
s. Negotioſus interim in otio miles noſter
oitâbat in tecto, ſine armis præliabatur, vrbem
ſidebat oculis, ludens vallabat. pacem alebat
c bello, bellum hac pace conficiebat, relin-
ebat hoſti moriendi ſpatium: Quamquam
perire noluiſti, Clementiſſime Princeps,
i ſponte perierunt, ne tuo beneficio viue-
ıt, perditos ita perdidiſti, vt vltra ſæuire non
ſſent; neque tamen ita ſæuiſti, vt omninò
derentur: Iratus es illis, ne diutiùs fure-
ıt: latiſſimo ambitu concluſiſti, ne preme-
ıtur: vallaſti, vt cuſtodires: cuſtodiſti ſine
de, vt ipſi ſua ſponte cederent: feciſti deni-
e ſine inuidia ſanguinis, quod à me dictum
e inuidia mendacij nulla poſtea natio credet.
edicabitis poſteri bellicoſam illam quietem,
pacem expugnatricem, dum agros ſanguine
ıfragos, terras cædibus erubeſcentes, exhau-
s habitatore prouincias, fluuios mactato ca-
ıere retardatos, famoſaſque laniena victo-
s duces barbari prædicabunt. Sunt illa gla-
lucra, non ſceptri: furoris irritamenta, non
li præſidia: virtute non crimine bella gerun-
: cruore victor impotens, clementia mo-
ratus vincit. Ergo noſter Imperator pace ma-
t incruenta, quàm funeſta palma potiri, ma-
t vincere, quàm necare.

Non te mouet hæc pietas, deſperata Rebel-
? reſiſtis adhuc tot fracta virtutibus? Cede,
ıpella, cede clementiæ; niſi parueris ceſſura
ltiæ: Viue Regi, vel morere tandiu rea,
am diu clauſa; tam improba, quàm hæreti-
; diſce occumbere cum pudore, quæ ſine

fronte

fronte vixisti; disce cadere, quæ toties cecidisti. Ang'us desperat, Soubisius exulat, Rohannus tenetur, mare concluditur: omnia te ad exitium rapiunt, fames enecat, Rex obsidet, conscientia exanimat, quid dubitas? pone superbiæ metas, pone modum audaciæ. Restitisti rebellis, cedendum est principi. Cessit, portas aperuit, Regem accepit. Triumphate Galli, LVDOVICVS superauit: fortitudini regiæ ignaua superbia, pietati perfidia, pertinacia necessitati succubuit. Imminebat hyems; absumptus erat omnis commeatus; reditum parabat in Angliam tam sæpe fractus Britannus; Accedebat in dies ad regia castra volntarius miles; exaggerabatur magis magisque moles in Oceano; audiebantur in vrbe miserabiles morientium voces, muliebres eiulatus, clamores inconditi, tristesque vagitus proiectorum infantium; populabatur vrbem totam cumulatis funeribus fames; ciues ad viginti millia extrema inedia interierāt; nihil intererat hostē acciperet Rupella, an retineret: grassabatur peior omni malo desperantis militis immanitas: omnia sibi licita putabat furor publicus; vbique dabantur funestæ tragœdiæ: citiùs sepulchra quàm domos: mors locis omnibus occurrebat. Proh funestum, tragicumque spectaculum! Tandem Rupella tot oppugnata calamitatibus, expugnata est: submisit se principi, triumphatorem admisit. O nobilem, ac fortunatam victoriam! ô triumphum nulla ætate silendum! quo Aquitania pondere, quo opprobrio Gallia, qua peste Religio liberaris! annum obsidio tenuit, victoria sæculis omnibus permanebit: Viuet typis Rupella quæ crimini

nibus occidit : sibi perierit, posteris non
ibit : corruit nostro tempore, æternitati
bit. Huc stylum, huc nobiles curas histo-
i. Narrate populis rebellium funus daturum
mortalitatem historiæ : fatum nescient scri-
quæ fatum hoc ferent. Quantus accedet
endor annalibus, cùm reuerendis ducum no-
orum nominibus augebuntur, & populorum
empla fient memorabilia facta Gallorum?
tollet se in mediis historiæ monumentis se-
o vultu, ætate vegetâ, egregiâ dignitate
OMINVS, Regis frater, qui multò plus quàm
teri omnes lætatus est ob bellum illud con-
tum, cui felix ipse initium dederat : ardebat
quidem conficere opus tam arduum, sed
d intellexit vnius Regis fœlicitati, ac forti-
lini reseruatum. Et quidem argumentari pos-
nus ex tam beatis exordiis, quid facturus
sset in progressu : & vel ex hac vna expedi-
ne coniicere, quæ Regis fuerit de optimo
tre opinio : summæ quippe difficultatis est,
gnis rebus dare principia, & peritissimi
hitecti iacere ingentis fabricæ fundamen-
Eminebit præterea immortali charactere
nrici Borbonij, Condæi principis inclytum
men, qui cùm Regis, curas externis simul,
ciuilibus bellis diuisas esse videret, eius-
m auspiis profectus est in Galliam Nar-
nensem, & belli, gloriæque socio celeber-
no illo Duce Mommorancino, cuius quot
stes, tot victoriæ memorantur, repressit for.
er coniuratos hæreticos, signiferum factio-
obsedit, Montem Regium, Fanum Seue-
Castrorouum, Calnam, Brassacum, Cresse-
lium

lium, Castrum vrbem, & Mazametæ vallis pentapolim occupauit: cepit ad triginta quà vrbes, quà castella rebellium, quodque superat admirationem triduo Apamiam illam amplissimam, munissimamque ciuitatem expugnauit: quantum denique Rex imperauit, tantum impleuit, vt hostes intelligerent, nihil principum viribus, nihil Regum imperiis esse difficile. Tum sublimi se vultu efferet posteritati venerandus Cardinalis Richellæus, qui virtute quàm nomine ditior, cùm cæteri manu, ferroque rem gererent, exemplo, consilioque pugnabat: incomparabili vir ingenio, singulari prudentia, pietate spectabili. Habuerint sanè conspicuos Pontifices maiores nostri, non inuideo dum vnus sit instar omnium Richelæus. Opposuit olim Italia suum tyrannis Ægidium prudentissimum antistitem, Gallia Turpinum Sarracenis, Hispania Ximenem Mauris, Aquitania Geraldum, Lemouicensem Anglis, Bohemia Ioannem, Pragensem Hussitis, Hungaria Gregorium, Martinusium Ferdinando, Dania Absalonem, Londesium Slauis, Germania Huldricum Hungaris: vnum deinceps nostra tempora, omnibus opponent hæreticis Richellæum. Neque verò hic stabit cursus annalium, quia non stetit hic animus, & fortitudo Gallorum. Legentur quoque cum admiratione Caroli Valesij Ducis Engolimensis præclarè facta, qui cùm Rupellæ admouisset exercitum, ante Regis aduentum vrbem cinxit, & iamdiu emeritus, de Gallia tamen benè mereri non desiit, laborem labore continuans, belli principio iunxit exitum, perpetuum hostis, vel otio cer-

tamen

men indixit, etiam cùm cessaret occupatus. uporem præsertim legentibus afferes Schomerge præstantissime, cuius incredibilis ad belm animus, mihi quoque addit animum ad cendum. Sed ferro styllum, manu ingenium ncis, siue enim te procellosissimo mari cres, cymba vectus exigua, & turbines, tempetes, naufragia, classes hostiles, mortem eluatus ad obsessas insulas penetras: Siue cum rua militum manu confertas Britannorum pias, & præsidia fundis, maiora quædam hoine facere videris, & nos quasi miraculis quisdam opprimere. Venies etiam in partem dis Marilliace, qui venisti in partem laboris, ent ventura tempora quos hostes ad Ream geris, quæ pericula adieris, quæ Galliæ troæa erexeris. Tuque Thorasi inuictissime, em dudum gestio nominare, tu quamdiu nebunt literæ (manebunt autem perpetuò) diu vindex patriæ, hæreticæ vltor audaciæ, x citra inuidiam maximus vno omnium ore edicaberis. Esto Reæ insulę propugnacula rtantur, stabunt tuæ gloriæ monumenta: ue verò poterat tanta virtus loco tam anto contineri, cui laudis campus parabatur nensus. Vigebunt denique memoria sæcuum omnium cæteri nobiles Galli, quorum nis etsi defuerint hostes, nullo tamen tem e defuturæ sunt laudes. Obiecit illis Rex ia, sine nauibus transmiserunt: Anglos opuit, continuo profligarunt: molem in æore fieri imperauit, oceani altitudinem cularunt. Quis hostes constantiùs expectauit? ; fortiùs excepit? quis celeriùs occupauit?

quis inuasit audaciùs ? quis animosiùs fudit? Mirabuntur exteræ nationes, stupebunt posteri, Religio triumphabit. Discent hæc miracula pueri, iuuenes recitabunt, viri conabuntur imitari, senes narrare gaudebunt, ætas nulla commendare desinet, Pictor vel ipsa tantarum rerum vmbra suas tabulas illustrabit: Sculptor victorias illas durabit in marmore: mirabitur eloquentiam Orator huius vnius argumenti magnitudine superari: Poëta cui hæc solida suppetent, cessabit inania prodigia fingere: Dabitur demum omnibus prædicare quæ pauci fecerint, paucis facere, quæ prædicent vniuersi. O te ergo non tuorum minus, quàm tua ipsius virtute fœlicem! TER MAXIME LVDOVICE. Tuis enim triumphis quanta sunt ista, quàmque præclara ducum facinora militant, qui vt maiora fecerint quàm ausi essemus optare, quoties tamen in te vnum intuentur, fatentur vltrò se infinitis gradibus minora fecisse, quàm ipse exemplo fieri posse docueris Vniuersi demum rapiuntur in tuas vnius laudes, & cùm à nobis alium audiunt commendari, percontari solent, Regemne viderimus? tum in manus sumpto radio hàc Rupellam describunt, & ducto orbe concludunt, illàc maria deriuant, isthàc obiectam molem ædificant, ordine castra componunt, aciem terra marique instruunt, Anglos procul ostendunt, ac demùm te singulis locis miracula diuidentem exprimunt. LVDOVICVS, inquiunt, idem in vallo, idem in agmine, idem in classe, idem in aggere, idem locis omnibus adest, pugnat, triumphat quæ cum recitant attonito auditore vallantur, quisque

que gaudet vel ipsa videre tuæ simulachra victoriæ.

Quid superest, nisi vt te superesse velimus imperio Ludouice? addant vitæ tuæ superi annos, quos patriæ reddidisti: dent Lvdovico sempiternum imperium, reddant sempiternum imperio Lvdovicvm. Viuat nobis, viuat posteris, viuat omnibus: ferat vitam, quam rebelles amiserunt: aut si nobis debetur hæres aliquis tantæ virtutis, det Rex optimus sobolem se optimo meliorem, ne quis vnquam succedat in regnum, qui non eius virtuti successerit. Quicunque deinceps venturi sunt ad imperium Galliæ (venturi sunt autem, quos ex te Rex dederis) meminerint qualis in Imperio fueris: nec aliud quàm Ludouici nomen ferant; dum virtutibus impleant nomen illud Augustum, quod virtuti consecrauit antiquitas, posteritas consecrabit æternitati. Toties placebit, quoties recitabitur nomen illud cum liliis, & palmis natum: nomen venerandum, semper antiquum, semper nouum. Nullus sit finis Lvdovicorvm. Iam quid à nobis exigis Invictissime Princeps, qui tibi totum deberi intelligis, quod possumus? gratias referam? sed laudatoris munus suscepi: laudem? sed agendæ sunt gratiæ; & quamuis feceris, quę ab omnibus prædicari debeant, effecisti tamen, ne quis ea prædicare posset, quia minori virtute nostra præconia superasti, quàm claustra rebellium. Vtinam toties victor, saltem semel triumphares. O si mos ille vigeret adhuc, quo solemni pompa victores portabantur in vrbem, quantus* foret Imperatoris nostri

triumphus? quæ gentium acclamationes? quę monumenta victoriarum? Iter ante currum depresso collo, subiectis ceruicibus, subacto vultu condemnata rebellio: currum traherent simul vincti, simul victi cum Rupellensibus Angli, frontibus famulari iugo coniunctis: succederent agmina vitiorum vno simul omnia loro deuincta, cæsaque flagello virtutum. Hîc tractus sonanti compede liuor ringeret: fremeret audacia sine telo: iaceret arrogantia sine supercilio: morderet inuidia sine dente: debaccharetur impietas sine voce: mœsta hæresis sine viribus agmen clauderet. Qui plausus intereà, quæ in te laudes à circumfusis militibus conferrentur? Tu Benearnus, tu Cisalpinus, tu Transalpinus, tu Acquitanicus, tu Britannicus, tu Gallia dignior, tu patre fœlicior, tu Henrico Magno, maior LVDOVICVS, festis vocibus diceceris Splendidi præterea tituli, laureati lemnisci, sublimes imagines præferrentur. Ebore redderetur infœlix Rupella pretio maiori, quàm merito: viuerent adhuc in adamante, quos in campo iugulasti, cælatura, quàm vita nobiliores: Topaziis, & amethystis splendorem adderent virtutum tuarum insculpta miracula: emineret in auro sublime propugnaculum Ludouiceum: assurgerent iuxta in argento Aureliacense Miriliacense, cæteraque tam nunc pretioso, quàm anteà pressso molimine firmamenta: præirent de coniuratorum manibus extorta signa superbiæ: toties victi BVKKincamij simulachrum ferream domito collo catenam trahens, pedibus, manibusque reuinctis, splendidum fieret pompæ ludi

dlibrium. Nectare spumaret artefactus O-
anus, vallo non iam cæspitio, sed adamanti-
o circumclusus, lapillorum obicibus ambrosij
ictus allidérentur, imbres geminos frange-
t moles in auro, erudito labore sudata. Alij
nique Lvdovico ponerent obeliscos, vt Ce-
stri: alij columnas erigerent, vt Traiano: ta-
ilas illi figerent, vt Alexandro: arcus isti fle-
erent, vt Constantino: Pyramides quidam
citarent, vt Nino: quidam currus iunge-
nt, vt Cæsaribus: plurimi statuas erigerent,
victoribus innumeris. Sic Lvdovice Ivs-
ssime triumphares. Quamquam, vt fatear,
ec minora sunt meritis, neque vlla reperiri
ssunt emblemata, quibus tanta Maiestas exæ-
etur. Non obelisci in metam efformati, Re-
s gloria metas nescit: non columnæ quæ
orsum basi nituntur, cælo nomen illius in-
itur: non tabulæ quæ pigmentis collucent,
tus ista factis non coloribus illustratur: non
ûs qui curuantur, atque flectuntur, recta hic
ciplina militis, inflexa constantia ducis non
ramides quæ puncto terminantur, Lvdovi-
victoriæ terminos nullos agnoscent: non
rus qui præterlabuntur, non præterebit hoc
tum: non statuæ demum quæ obmutescunt,
ta prodigia non silebunt. Triumphalti de
eniis hominum, qui cùm se impares rebus
omnibus exornandis agnoscant, in earum
gulis singuli patribus occupabuntur. Neque
ò propterea, vlla erit in iisdem factis enar-
dis similitudo dictorum, sed in vna victoria
nes variè triumphabunt. Quia tantùm vnus
cisti, quantùm vniuersi laudare possint.

Dicent alij pietatem illam ſpectabilem qua exercitui prælucebas, alij fœlicitatem ſcribent qua toties vincebas, quoties prodibas in aciem: alij prudentiam in conſiliis celebrabunt: alij fortitudinem in factis extollent: multis concluſus, & ſubiugatus oceanus: multis merſus, & profligatus Anglus: omnibus Rupellæ fames, & funus occurret. Iam quàm copioſa dicendi vis ex foſſis caſtrenſibus eruetur? quàm arduam ſuggerent illa propugnacula? quàm ſublimem religio? quàm longam obſidionis infracta conſtantia? quàm magnificam tuus in vrbem ingreſſus? omnes poſtremò mirari poterunt ſe dixiſſe quod aliorum nullus attulerit, pauciora tamen ab vniuerſis eſſe comprehenſa, quàm vnus fecerit LVDOVICVS. Tuum eſt æſtimare, Rex præſtantiſſime, cum tuis laudibus non ſufficiant vniuerſi, num veniam dignus videar, ſi de te pauciſſima dixerim. Fors erit (ſiquidem opera noſtra placuerit) vt aliquando maiora audeam. Perge modo perduellionis reliquias inſequi, perge buſta illa patriæ, noſtris malis inflammata, noſtris diu conſeruata cineribus, aut diſſipare conſilio, aut cæde, ſanguineque reſtinguere. Compede deſperatio, non gratia cohibetur. Et ſanè ſi multare pergis beneficiis perduelles, periculum eſt ne præmiis inuitati quamplurimi addantur numero deſertorum, pluresque tandem hoſtes, quàm ciues ſis habiturus. Memineris te eſſe IVSTVM. Iuſtitia pœnas, & præmia diuidit: nunc pœnam beneficio ſuſtinet, nunc gratiam pœnis, ſuppliciiſque commutat. Age, age, pauciora reſtant quàm feceris, & tamen nimis multa ſuperſunt: ægrè virtutes, facilè vitia

propagantur. O quando licebit dicere: Omninò vicimus: Nullus rebellis tota Gallia superest: nullum grassatur bellum ciuile: nullus inter nos viuit hæreticus. Licebit certè, licebit aliquando, licebit breui. Hoc omnes optamus: Hoc Christianus orbis expectat. Hoc propitium numen continentibus, testatissimisque miraculis pollicetur.

GENETHLIACVS DELPHINO.

TRiumphate Galli, plaudite confœderati, trepidate hostes, cedite perduelles, fremite barbari. Visitauit Dominus Annam & Concepit & peperit. Liceat enim Oratori Christiano, quibus Hebrææ quondam Annæ post cœleste puerperium acclamatum est vocibus, iisdem in communi omnium lætitia, argumento non admodum dissimili, Annæ quoque Austriacæ felicissimo partui gratulari. Non semper eadem cæli facies, iam serenum nubilo conditur, mox tranquillo fœdum mutatur. Post longa sæpe sitientis terræ ieiunia, erumpit aquarum diluuium; & quæ modò raræ, nunc densæ nubes largissimos imbres effundunt, quibus arua impr'ægnantur arentia. Annus iam tertius supra

vigesimum agebatur, ex quo Christianissimo Regi sobolem coniunctis vocibus precabamur, sed ipsa vox clamando defecerat, iam exhausta erant omnium vota, cùm accisis denique rebus, quasi profuisset ad extremum virium deuenisse, vt ad fastigium gloriæ conscenderemus, nostra tandem desideria cumulatissimè Deus expleuit, fecitque munificentiâ suâ, ne nos qui paulo ante nihil audebamus sperare, modò quidquã vltra optare possimus. Post tot steriles dies, illuxit aliquãdos dies illa fœcunda tantò ante à superis destinata, fortunata regno, grata ciuibus, exteris splendida, optata bonis, inuisa perfidis, nulli certè expectata, quæ regia nos prole donauit; ac proinde nemo non videt quantæ à nobis Deo referendæ sint gratiæ, cùm non minùs turpe sit beneficij auctorem dissimulare, quàm ipsius beneficij penitus obliuisci. Accedit præterea gaudij seges immensa, nam si quando plebeïæ, vilique familiæ noua proles adijcitur, par est vnumquemque lætari; statuite precor vbi non terræ filius aliquis de vulgo, sed augustus infans de regio sanguine; isque non post alterum, sed primus; nec paucis mensibus, sed plurimis post matrimonium annis nascitur, quanta omnium animos lætitia incessere debeat. Cæteri quippe liberi nascendo sortiuntur humilem plerumque fortunam, vel certè mediocrem, in hunc terrarum orbem quasi proiecti, ne vacuus relinquatur; tenui sub lare viuunt, parentibus additi ad laborem, à quibus denique non tam opum, quàm miseriarum relinquantur hæredes: Regum autem filij ipso ortu splendidissimi statim consecrantur imperio, vt postmodum fata hominum tra-

ſtent, inter quos ſedent vt Patres, eminent vt ſoles, coluntur vt numina. Atque illud habet præterea princeps Galliæ ſingulare, quod vbi Delphinum ſuſcipit, ſimul Eccleſiæ deſtinat Primogenitum Filum. Potentiſſimum fidei defenſorem, firmiſſimum Euangelio columen, orbi demum vniuerſo, è Chriſtianiſſimis illis Regibus vnum, quos neſcio plus gentes verè Catholicæ venerari ſoleant, quàm auitæ religionis hoſtes vbique pertimeſcant. Quæ ſi omnia ſcribendo perſequi velim, quemadmodum nullis hoc beneficium terminis clauditur, ita finem nullum hæc oratio ſit habitura: modus tamen adhibendus eſt aliquis, ſi minus gaudio, t certè ſtylo, in quo ſanè non labor exiguus. Quid enim mihi aſſumam ex tam ampla rerum ſilua? quid primum inſtituam? quid poſtremum? Dicam ciuium acclamationes & plauſus? offerunt ſe mihi gemitus hoſtium. Galliam prædicem? Deus gratias repoſcit. Finitimorum principum gratulationes, & officia referam? Delphinus noſter mihi ſalutandus occurrit. Huius ego dignum imperio vultum deſcribam? quæritis audire quæ paſſim e eo feruntur præſagia. Ita non habeo quid dicam, vbi tanta eſt dicendi materies. Quid? uo certè quæ hoc ex Natali præſertim effulſent præterire non debeo, ſcilicet regiæ domus oriam, & Galliæ totius felicitatem, quæ breter hac oratione perſtringam, de multis pau-, ſed pro meis viribus multa. Præſertim cùm us omnia complecti noluerim, ne ſubiem rum inuidiam, quos in partem glorioſi laris venturos eſſe confido: nec non mihi me-

tuendum foret, ne cum cæteræ Galliarum Prouinciæ ad regias Delphini cunas officiosæ & venerabundæ certatim accedunt, si longiùs moraretur, seriùs mea se sisteret Aquitania, & ad obsequium procederet extrema, quæ prima videtur imperio.

Magna fuit semper coniugibus cupiditas prolis, quòd hæc nuptiarum messis est, & quasi flos thalami, socialis amoris fructus, parentum communis animus, pretiosæque reliquiæ. Parentes quippe gaudent in liberis, veluti natiuo quodam in speculo seipsos intueri, & proprio arridere simulacro. Nam cùm sit amans sui natura mortalium, suam vt semper contempletur imaginem, sese effingit in altero. Quid quòd successione sobolis gentilitium nomen propagatur in æuum, continuantur generis stemmata, vnoque sanguine surgunt populi nepotum in quibus quædam immortalitas feritur, vt quod natura non concessit hominibus, diu viuere, id ipsi procreatione liberorum consequi videantur, per quos suum etiam vltra funus diutissimè, si minùs toti, certè parte sui quadam eâque optimâ superstites manent. Viuunt ex parentibus filij, & vicissim filij parentibus vitam restituunt, dum naturam quam ab ijs nascendo traxere, tradunt succedentibus seculis, & incorruptum maiorum nomen ad vltimas ætates longâ prolis serie transferũt. Accedit robur, & firmamentum familię, quę vt arbor luxuriosâ radicum propagine sic numerosę pulchręque sobolis pręsidio nititur. Quantus enim ex nobili filiorum corona paternę glorię splendor additur? quanta etiam reuerentia accersitur?

quia non modo conſpectu ſuaues, colloquio officijs que iucundi ſunt, ſed hoc vel maximè parentibus vtiles filij, quòd eorum amore nihil fortius, nihil fidelitate robuſtius. Timetur quiſquis poſteros relinquit nominis vindices & poteſtatis aſſertores; omnium patet iniurijs qui nullum habet hęredem dignitatis & famę. Quare ſolemne fuit cunctis propemodum gentibus, vbi proles deficeret naturam arte fulcire, & peregrinos ſucceſſores acceſſere, vt ruentis familię caſum ingenioſo ſupplemento vitarent. Propterea Oſirim Dionyſius in Ægypto, Pandides Ægęum, & Theſeum Ægęus in Gręcia, Adamas in Caria Alexandrum, Hildericum in Gallia Sigebertus, Aurelius in Hiſpania Veremundum, Luithprandus in Inſubria Carolum, Theodoricus in Italia Herulorum Regem in filium adoptauit: Neque Romani hoc loco prętereundi quibus plures-ne liberi fuerint aſciti quàm geniti, iure dubitet qui legerit hac arte Tiberium Auguſto, Claudio Neronem, Piſonem Galbę acceſſiſſe; familijs inſertas pleraſque familias, Octauianam Iulię, Æmilianam Africanę; & Neruę Traianum, & Traiano Adrianum, & Antoninum Adriano, & infinitos demum alios ab alijs adoption. quęſitos. Nempe maiores noſtri hoc ſuę orbitati remedium afferendum putarunt, vt ſi liberos natura negaret, ſolertia pareret; ac intelligeret vnuſquiſque quo proprij loco filij debeant haberi, poſtquam tanti fuerunt vel alieni. Sed quid profanis vtimur qui diuinis abundamus? Gentibus olim numini mācipatis ſummi beneficij loco promittebatur *longæuum ſemen*, &

fœcunda progenies : iis veró quę in ſcelera prōruiſſent, Deus ad ſummum dedecus iuxta & acerbiſſimam pœnam, *ſine liberis vuluam*, & *vb ra* interminabatur *arentia*; adeo vt maledicto quodam afflatus, & veluti de cœlo tactus videretur quisquis priſcis illis temporibus careret ornamento, ac ſolatio liberorum & quantò matres, ſuos tunc partus glorioſiùs numerabant, iactantes pręgnantis vteri pompam, tantò ſteriles fœminę ferebant acerbiùs infamiam ſolitudinis, & areſcentium viſcerum probra. Incedebāt mœſtę demiſſo vultu veſte lugubri, ſine nomine, quia, ſine ſobole : orbi pene inuiſę, quòd orbi haberentur ingratę. Alię ſuam ſortem in ſiluis miſerabiliter lamentari; alię cœlum precibus vrgere, & quà votis, quà ſacrificij prolem quęrere; alię fœtus alienos ſibi etiam ſubrogare, & ancillarum puerperio ſuę ſterilitatis labes implere. Tantus omnibus amor, & deſiderium prolis.

Iam intelligis, Rex Auguſtiſſime, iam Regina ſapientiſſima vides, quantum Maieſtati veſtrę decus acceſſerit, ex quo vobis nobilem filium, communem parentem nobis, Gallię Auguſtum olim Regem procreaſtis. Auxit vos tandem hoc Deus munere quo nullum maius, hoc quidem rerum ſtatu, aut ipſe concedere vobis, aut vos ab ipſo contendere poteratis. Fuerit is magnus dolor tandiu caruiſſe fructu connnubij, abunde ſanè diuturnam mœſtitiem Deus hoc pignore compenſauit, quo ſimul veſter nobilitatus eſt thalamus, ſimul expletum deſiderium, ſimul firmatum imperium. O gratiam ſingularem! ô beata tempora! ô non

expe

expectata miracula! Meminimus quæ regium animum tristitia premeret, cùm sibi suscipiendę prolis spes nulla foret post tam longa annorum sterilium spatia. Et verò non poterat Rex optimus, non vehementer dolere cùm recogitaret, Regum totâ Europâ nemini, præterquam sibi deesse filium, & aulam hærede vacuam oculis lustrando, principum identidem cæterorum natales acciperet. Quis tibi tum animus, LVDOVICE? quis tum sensus orbitatis domesticæ? quis præterea næuus fortunæ? Magna feceras huc vsque, Princeps Inuictissime, imò omni prorsus fide maiora; sed quò celsius tua te virtus erexerat, eò naturæ iniuria videbatur atrocior, quæ summo Regi inuidebat quod ipsi passim plebi concedit. Tollebaris, tua vt solitudo altiùs emineret, & qui longè latèque fines amplificabas imperij, mirum erat domum te augere non posse. Iam Maiestatis tuæ numen vbique diffuderas, iam bella ciuilia ineluctabili pace mutaueras, iam erexeras socios, & ruptorum fœderum vulnera ferro sanaueras, iam virulentam hæreseos saniem deterseras, & rebellionis arcem euerteras, iam ad Rupellam hostibus procellisque superior altas maris voragines fatali mole compleueras, iam non minùs foris quàm domi victor continuatis laureis, prærupta Alpium iuga transmiseras. Immortalia sanè facta, nobilesque victoriæ; sed operosius aliquid tibi moliendum restabat, efficere tui similem. Ita in tanto rerum apparatu hoc minùs felix videbaris, quia solus: neque enim satis erat tibi vis opum immensa, non classium robur, & exercituum numerus, non imperij floren-

florentiſſimi gloria, non amor tuorum, non ſocietates exterorum, non cumuli triumphorum, quandiu deſiderabatur filius qui vultus patris referret, hæres qui tantæ pondus gloriæ ſuſtineret. Quidquid magnificè fortuna tribuiſſet putabas exiguum, quòd felicitati tuæ ſuum nondum addidiſſet natura ſuffragium. Audiebas tu quidem paſſim Inuictus exteris, Iuſtus ſubditis, omnibus Triumphator. Alij te rerum Reſtauratorem, alij Domitorem hoſtium, alij immenſi Regnatorem Oceani, alij Galliæ Numen alterum, Propugnatorem Itáliæ, Britanniæ Fulmen, Iberiæ, Germaniæque Terrorem. Europæ totius Arbitrum appellabant; Patrem verò hactenus vocare nemo potuerat, niſi quando Pater patriæ dicebaris: dulce adhuc aberat parentis nomen, quo indigebas vno qui tam multis abundabas.

Parte alia Reginam, quâ non melior altera, videbamus pari mœrore confectam, Diuis hominibuſque ſupplicem, humi proſtratam, nunc Deo dicatas ædes pedibus adeuntem, nunc in vulgi turba demiſsè ſacra myſteria vſurpantem, nunc clam ſubeuntem cœnobia virginum, & religioſa captantem ſilentia. quò cælum ſuis aliquando precibus vinceret. & inde ſtirpi regię ſurculum duceret, vnde ſciret antiquum liliorum candorem Galliæ Regibus defluxiſſe. Nam tametſi infinitis gloriæ titulis coruſcabat, & magni Regis filia, maioris ſoror, maximi coniux, cæterorum denique Regum vel conſanguinea vel affinis, omnia ferè Europę diademata ſuo ſanguini auitâ cognatione ſciret eſſe coniuncta: quoniam tamen nondum

Regis

Regis mater, in tanta vbertate sceptrorum, orbitatem domesticam deplorabat. In mœstam solitudinem frequens aula transierat, declinabat ipsa populi conspectum à quo sibi Regem postulari sentiebat, ingemiscebat se non parere principem tot principibus ortam, & quæ magni nominis famam superauerat maiorum exéplo virtutum, viuum sui exéplum posteris non posse relinquere. Sed hunc denique mœrorem excepit gaudium, postquam Regi filium peperit, O Galliam tibi, Anna, vel hoc nomine immortali nexu deuinctam, quòd eam beatis Delphini natalibus fecisti regnis omnibus clariorem! ô supra modum illustrem Reginam, ex quo nostro dedisti nouum sidus Imperio!

Si quis superioribus annis huius prolis augur, & prænuntius accessisset, quos ille risus excitasset in plebe? quos in sermones incidisset, qui rem omnino desperatam vaticinando promitteret? Res enim erat huiusmodi, vt eam quisquam optare, nedum expectare auderet. Scilicet cùm in id maximè nostræ omnium preces, supplicationesque ad hanc diem incubuissent, ceciderant tamen huc vsque irritę, & incredibile videbatur quod tot annos frustra petieramus, Deum in hæc tempora reseruasse. Votis ardentibus successerat triste silentium, & longis fessi clamoribus, cælum quod ad nostras preces pridem obsurduisse credebatur, erubescebamus adire: quin ipsi quod sperare vetabamur, metuebamus etiam loqui. Memini enim, ante annos septem, cùm Burdigalæ esses, Regina augustissima, & illustris Doctorum

Acade

Academia tui ſalutandi cauſâ, ex officio conueniſſet, vetitum fuiſſe oratori, iam ad dicendum parato, ne quam de Delphino vocem mitteret, cuius tum adeò nulla ſpes erat, tibi vt non tam bene precari, quàm illudere videretur, quiſquis intempeſtiuam illius faceret mentionem. Anno verò proximè elapſo cùm primùm te grauidam rumor vulgaſſet, qui ſermones vltro citroque ſunt habiti? quæ plebis coniecturæ fuerunt? quæ ciuium iudicia? qui ſenſus exterorum? Illi dicere ſparſam de induſtria fabulam ad exploranda vulgi ingenia; illi ſuſpicari hanc inter belli moleſtias nobis fingi materiam gaudij; illi ridere in ſinu, etiam in angulis cauillari; nemo fidem adhibere prodigio, vt enim quod quiſque timet citò credit, ita ægrè ſibi perſuadet accidiſſe, quod vehementiſſimè cupit. Et ecce vicit diffidentiam noſtram, diuina largitio; deſiderium beneficij magnitudo; expectationem omnium, tua noſtraque felicitas. Didicimus fieri potuiſſe, quod factum eſt; & te iam noſtram, Anna, fatemur eſſe poſtquam nobis diceris mater, Mater verè Magna que Reges paris, Galliæ verè Regina quam amplificas. O quanta es modò, quæ paucis ante menſibus de te tam modicè ſentiebas! quantùm emines, quæ latebas! imo qualis quantuſque tuus, idem & noſter, per te LVDOVICVS occurret omnium oculis? quàm charus ſubditis? quàm formidabilis hoſtibus. Quid enim Rex ſuopte ingenio generoſiſſimus non perficiat illo Heroe ſubnixus? quid viciſſim Heros filius hoc patre non audeat? Erit aliquis qui Galliam vel non exoptet amicã, vel non pertimeſcat aduerſam? &

cùm

cùm vni pridem noſtro pareant omnia Principi, quidquam aliquando coniuncto Principum duorum obſiſtat imperio? Ibit venerabilis, & altero tantò maior qui ſemper maximus fuit; tuumque, Regina, fatebitur eſſe quod creuit; nos vtrique veſtrûm quòd adeo ſumus felices referemus acceptum, illamque diem claro notabimus calculo, quâ noſtro in orbe ſurrexit diuinus ille Parelius. O nonas ſeptembres nobis æternâ memoriâ retinendas! Obſeruarunt quidem alij religiosè ſummorum virorum natales; diem illam Perſæ perpetuò ſacram habuerunt quâ Xerxes acceſſit imperio; eam Syracuſani ſemper coluerunt quæ Timoleontem: eam Athenienſes quæ Socratem peperit: Romanis quoque dies illa quotannis fuit, quâ vrbis fundamenta iaci cœperunt; nec non Idus Iuliæ Iulij Cæſaris ortu inſignes, Kalendæ Ianuariæ Titi, Decembres Neruæ, Nouembres Adriani, Apriles Antonini, Februariæ Conſtantini claræ natalibus olim Romæ magna cum pompa celebrari conſueuerunt. Nobis verò ſemper illa dies dicetur ſupra cæteras omnes beata, quæ regio præluxit Delphini partui: illa nobis in anni circumflexu redibit gratiſſima omnium, quam vtinam placeret impoſterum dici Delphiniam, vt in Aſia quondam feſtam quamque diem à Mutio libertatis vindice, Mutiam nuncupatam legimus; illamque Cyrus lucem quâ Sacas memorabili ſtrage deleuit, Sacam de ipſorum nomine voluit appellari. Quamquam hæc adhuc exigua, illi nos diei meliora precemur, quæ nobis affulſit optima. Luceat illa ſole perpetuo, quin etiam nouis fulgoribus augeatur;
inmor

immortalibus faſtis emineat, & orbi Chriſtiano recurrat ſemper auguſta.

Ac certè quemadmodum iucundior nulla nobis illuceſſere potuit, ita nulla quoad recordari poſſumus maiorē Galliæ lætitiam attulit. Quis non riſit cùm auctum filio LVDOVICVM accepit? quis non oculos ſuſtulit, cùm is nuncius ad aures peruenit? ſed quantæ vbique extiterunt ſigna lætitiæ? Exaudiebantur paſſim confuſæ tubarum clangoribus ciuium acclamationes, feſtis vndique pyris lucebant compita, ludis theatra perſonabant ingenioſis, cœlum corruſcabat miſſilibus igniū iocis, tellus mugiebat repetitis fragoribus tormentorum, ſibi quiſque demum gratulabatur illam diem, Deo miraculum referebat. Quid dicam redimitas emblematibus ſtatuas, & pyramides ſulphureis iaculis fulgurantes? Quid ſuſpenſos artificioſis nubibus ſoles, & pluuias vini iucundas? quid dies noctibus continuatos, & noctes accenſis funalibus perturbatas? Hîc florum congeſtæ meſſes, illic extructæ dapibus turres; Hîc tripudiantium chori, illic conuiuantium globi: nec ſatis erat vinum capacibus haurire poculis, niſi ſolutis etiam doliis funderetur; parum videbatur erogare pecuniam, ſpargebatur in vulgus; adeo quiſque rerum ſuarum obliuiſcebatur cùm Delphini meminerat. Quæ ſatis ego mirari non poſſum, cùm mihi redit in mentem qui nuper erat vultus Gallorum: enimverò deformes non ita pridem, & ſqualidi viuebamus, quia foris bella ſæuiebant atrocia, domi vrgebant occulta mala. Iam plebeculam demeſſuerat dira fames, & ecce non longè poſt

lues

lues summis æquè ac infimis metuenda superuenit: lues remiserat, bellum succeſſit quo nullum ante funeſtius; itáque nobis vita trahebatur multiplici, ac tortuosâ negotiorum ambage. Sed hunc vultum cum fortuna mutauimus, metus omnis abſceſſit poſtquam Delphinum aſpeximus qui ſedabit procellam temporis, otia reducet antiqua, populos faciet inconcuſſâ pace concordes.

Atenim liceat mihi à priuatis regiæ domus honoribus orationem deducere ad commune Galliæ bonum, & poſt aulæ delicias noſtram quoque fortunã diligentiùs contemplari. Qualem tandem futurum arbitramur hunc puerum, quem Deus extra ordinem nobis conceſſit, Ludouicus XIII. perfectâ iam ætate genuit, Anna Auſtrica poſt ardentiſſima vota concepit? Mos fuit antiquus naſcentium Principum partus curioſiùs inſpicere, & ex natalibus conijcere quid cuique fata ſeruarent. Quam quidem diuinationem nonnulli ex ſiderum obſeruatione ducebant, vti fertur Tiberius, Auguſtus imperium prædixiſſe Caligulæ: nonnulli arripiebant ex ſomniis, vti Cyri gloriam ex eo conieciſſe narratur Aſtyages quòd eius mater ſibi dormienti viſa eſſet ex ſe palmitem fundere quo tota latè Aſia tegeretur; necnon Philippo præcognita dicitur Alexandri virtus, quòd ſibi in ſomnis leone fœta occurriſſet Olympias: Idipſum alij ſe colligere poſſe putarunt, ſubitos rerum euentus interpretando, quemadmodum Auguſtus dextri fulminis iactu deſtinatus perhibetur imperio: alij ex notis quibuſdam à natura impreſſis vaticinando, quo modo Scanderbe-

ko Principi tot hostium victori ea figura gladij, quam toto eius brachio natura longè descripserat, inuictæ fortitudinis præsagium fuit: alij ex verbis ipsis argumentando quæ à se primò fragere solent infantes; ita quod Rex Pyrrhus maternis adhuc appensus vberibus gestiendo Βούλομαι primùm dixisset, ea statim vox transiit in omen audaciæ. Quid consulta dicam oracula? quid ab orco quæsita mendacia? quid captata ab auibus auguria, & adhibita tempestatum, dierum, horarum examina? partus-ne contigisset amœno vere, an rigidâ hyeme? Kalendis, an Idibus? die Iovi sacrâ, vel Palladi? Infinitæ olim diuinandi artes, sed totidem quoque fallendi: plurimæ fati coniecturæ, sed incertæ omnes & vanæ.

Quare valeant dubia astrologiæ iudicia, valeat hetrusca veterum disciplina: nobis nec coïtiones declinationesve siderum astrolabio colligendæ, nec lituo describendæ cœli plagæ, nec euocāda carmine manium spectra, nec adeundus Apollo, vel consulendus haruspex ad augurāda Delphini nostri miracula. Prodit se satis illa Maiestas suorum splendore natalium, nec celsam illius indolem metiri debemus peregrinis omnibus; quia nefas est cœleste fatū seruari superstitione mortali: & quod numē ipsum comprobauit, reuocare ad sortem. Quis enim dubitet augustam hanc prolē diuinitùs esse concessam, cuius causâ toties immortali Deo solemniter supplicatū est? toties litatum? quas non opes in mendicos effusas, quas non preces in cœlum emissas, quibus non templa donis, quibus non sacrificiis altaria cumulata cognouimus, paternis

nis vt Rex aliquãdo frueretur honoribus? Nemo noſtrûm non ſæpe vocauit venturam prolem, nemo non genua flexit & ſupplex adiit ſuperos, vt noſtrę tandem orbitati conſultũ vellent, quia hæc ſumma votorum, vnum omnium deſiderium, Galliæ naſci Delphinum. Quo ſi gaudemus demum, gaudemus profectò Dei munere, à quo cùm nihil fluat quod non omnino ſit abſolutum, an non ab eo Principe tantùm ſperare opportet, quantùm à propitio numine tribui cõſueuit? Atque nos idcirco Deus huc vſque protraxit; hæc moleſtæ ſuſtẽtationis origo.

Inquirebamus nuper quamobrem, poſt tam longam à liberis ſolitudinem, is deñique Regi obueniſſet: Atque illi quidem cauſabantur magnitudinem operis, & longas rerum ingentium moras; nihil perfectum exiſtere ſubitò; vulgus hominum citò naſci, quaſi nullius momenti; Reges ad mundi gubernacula cõparatos in lucẽ difficiliùs erumpere & longâ fingi meditatione naturæ. Illi morem numinis afferebant, quod ſua quidem beneficia, prolatando commendat, nos verò diſſimulando exercet; ita fidem probari noſtram: erudiri conſtantiã, nec non quæ ſeriùs ac difficiliùs obtinentur, diligentiùs conſeruari. Nonnulli ſecus interpretantes præclarè factum arbitrabantur, ne quàm ardenter à nobis regia proles ab ipſo ſtatim Regis connubio afflagitabatur, tam celeriter prodiret, quod LVDOVICVS noſter tum admodum iuuenis ſi filium ſuſcepiſſet, breui regni ſocium habiturus fuiſſet, nec orbis duobus ſufficere potuiſſet, qui vni pene videretur anguſtus. Nonnulli vertebant ſe ad arcana naturæ quæ ſe ipſam interdũ

excuſſo

excuſſo torpore vegetat poſt otium actuoſior, cùm ipſa mutetur corporis habitudo, & ætas ſuccedat ætati; hîc enim aliquando ſeges eſt, vbi fuerat ſolitudo. Alias demum alij inſperati memorabant cauſas euentus; mihi tamen ſic ſemper animo perſuaſum, tam negatam diu optimo Regi ſobolem, vt cùm eius obtinendæ ſpes omnis corruiſſet; certò liqueret quis tanti beneficij auctor eſſet habendus, ipſique fateremur hunc puerum non tam enitentis naturæ labore, quàm indulgentis dono, prouidentiæ genitum. Quod intellexiſſe te, Rex præſtantiſſime, ſatis indicaſti, cùm recens editum regiis manibus excepiſſe diceris, non vt primis indulgeres amplexibus, & paternum nomen oſculis initiares, ſed vt creditorem agnoſceres, & cœlo delapſum pignus numini conſecrares. Nec multò poſt audiuimus Reginam (cuius quoties nomen incidit, offert ſe mihi ſtatim diuina quædam pietatis effigies) hoc prædulci onuſtam pondere proceſſiſſe ad aram, & inter ſolemnia ſacra flexis genibus, religione ſingulari, ſanctis perfuſam lacrymis Deo partus ſui dicaſſe delicias; ne cui liceat impoſterum dubitare quin acceptum ſit à numine, quod ab vtroque parente videmus numini redditum.

Quippe neuter ignorabat Deo ſemper placuiſſe primitias, quas profana etiam antiquitas vanis Deorum ſimulacris offerendas putauit. Nam & Sabinos veteres accepimus Deo Termino pubeſcentium ſegetum comportaſſe manipulos, & Iſidi recentium vuarum ſanguinem libaſſe Sacerdotes Hetruſcos; Græcj præ-

terea Vestæ frugum principia, Romani Ioui Feretrio noua offerebant hostium spolia; quin matronis solemne fuit prima muliebris mundi syrmata de templorum tholis suspendere, nec Theseum puduit Apollini Delphico comæ nascentis exordia consecrare. Superstitiosa isthæc, & vana vt tum ferebant tempora. Vos, parentes optimi, quibus augusta de cœlo mens, antiqua pietas, vera Religio, vero æternoque numini obtulistis puriores primitias thalami, nec aliena dedistis sed vestra, proprium scilicet sanguinem, communem vitam, ipsa denique viscera. In quo quid impensiùs admirari nos decet, tuam Lvdovice fidem, an tuam Anna pietatem? doni magitudinem, an dandi modum? Magnum est quod dedistis, sed effundebat se vester animus ad maiora, & largiendi voluntate quàm facultate ditiores, regium donum quo nihil potius habuistis prosequuti estis lacrymis, auxistis affectibus. Sed hæc Deo secreta patuerunt, nobis non licet tam altos scrutari sẽsus, satis est quem vos ipsi tacitè deuouebatis vidisse aris oblatum, & suspensum manibus, quem corde gerebatis infixum. O solium Delphino dignum? ô dignum altaribus ferculum! Suos quondam Principes, cùm nascebantur, Scythæ clypeo extulerint, ad belli præludium; suos Athenienses sacerdotalibus infulis texerint, ad pacis auspicium; Persæ aduerso Soli opposuerint, ad religionis specimen? Romani humi strauerint, ad miseriarum exemplum; Turcæ militari vexillo, ad iactantiam; Græci purpureâ chlamide, ad pompam; Parthi casside, ad ferociam exceperint: Delphinus aris erant impo

imponendus, ad æternum pietatis regiæ monumentum.

Sed quò mea sensim se subduxit oratio? mihi de nostra omnium felicitate dicere meditanti noua semper occurrunt miracula. Quæro tandem, in quem virum sit euasurus Princeps his natus auspicijs, his cæremoniis inauguratus? Ingentia sunt, non humilia Dei dona, minora quidem opibus suis, semper tamen meritis hominum celsiora; ac proinde munifico numini facit iniuriam quisquis ab eo putat aliquid concedi mediocre. Memores estote Gallj quantum acceperitis victorem in Philippo Augusto, quale sidus in Diuo Ludouico, quos parentum preces nostro quondam imperio pepererunt: Prædicate Ægyptij qualem videritis in Iosepho moderatorem, quem Deus effœtæ Patris senectuti concesserat: Dicite Hungari qualem habueritis Regem in Stephano, cuius natalibus præluxit cœleste prodigium: Referte Hebræj qualem susceperits in Isaaco Patrem, in Samuele Iudicem, in Ioanne Solem, quos sterili prognatos toro vniuersus orbis suspexit. Nihil est à cœlo commune, à quo qui nobis Delphinus exiit, non potest non esse Magnus.

Quamquam hæc si abessent diuna suffragia, sufficerent puero exempla domestica, cùm sanguis ille degener esse non possit, nec à Rege Christianissimo, Religiosissimaque Regina quisquam edi non optimus. Vt fructus arborum naturam sequuntur, sic ferè liberi parentum mores imitari solent, & non vultum tantùm sed indolem quoque ferre simillimam. Iam ex vtraque stirpe quanta Delphino sese

esse

offerunt incitamenta virtutis; Nolim à me quidquam hoc loco per assentationem dictum, quia nec virtus calamistro, nec cothurno veritas indiget; verùm vt hæc mendacio crescere non potest, ita non debet premi silentio. Eo sub rege nos viuimus, cujus non modò quisque optet imperio subijci, sed vt subijciatur etiam contẽdere debeat: nimirum illius vita, si æquiùs æstimetur, censenda est magna quædam virtutum thesis & veluti collegium miraculorum. Si digero bonitate incredibili, altissimâ prudentiâ, æquabilitate perpetua, eximia pietate, summa fortitudine præditum; minùs quàm debeam prædicem; quia quæ reliquis Principibus laudi singula tribuuntur, in nostro vno mirabiliter coëunt vniuersa. Quem non suo statim vultu recreat, si comparet? quem non demeretur, si dignatur alloquio? pascit intuentium oculos, & licèt magno iam nomine totum latè orbem impleuerit, tamen, contra quàm cæteris accidit, maior semper conspicitur, quàm soleat prædicari: adeò vt qui Regem nunquam viderint, summo eius videndi desiderio teneantur; maiori metu amittendi, qui vident: abripitur, ad eum quisquis accedit; & quæ est diuinarum rerum natura, ita sibi omnes affixos tenet, nemo vt ab eo non recedat inuitus, quisquã vix auelli possit. Quamquam illa Majestas etiam absens coli solet, quos enim suâ non præsentia reficit, rerũ gestarum famâ percellit: etiã iniquissimos quosque suæ gloriæ obtrectatores ita perstringit, vt incertum sit plus ne diligâtur à subditis, an prædicetur ab hostibus.

Quid ego iam Reginæ virtutes dicendo

commemorem ? quas ſane multas magnaſque eſſe oportet poſtquam Rex tantus eas ſuſpexit, omnes tacito quodam inſtinctu palam efferunt. In ea quippe non modo acre viget ingenium, ſed tam caſti præterea mores elucent, tam egregia fides, tam ſolida pietas, tam inſignis manſuetudo, vt cùm dignitatem ſummæ fortunæ retineat nihil ſupra communem ſortem aſſurgat, eaque ſit omnium vox, ſi quis Reginam in media turba aulicorum internoſcere velit, facilè cogniturum, dum obſeruet modeſtiſſimam omnium. Cultu ſimplex omnem longè ornatum ſuperat, ſemper animo tranquilla neſcit aulæ ſtrepitum, omnibus denique virtutibus cumulata facit ne nos Clothildes, Blancas, Radegundes, Eleonoras, Elizabethas, Margaretas, Catharinas maioribus noſtris inuideamus, poſtquam tenemus Annam, quæ paucas ſibi Reginas vidit æquales, nullam habuit gloriâ ſuperiorem. Equidem quoties Regem vel Reginam intueor, exiſtimo videre me ſpirãtem honeſtatem, radiantem ſapientiam, arridentem humanitatem, ſedentem conſtantiam, liberalitatem erumpentem, imperantem iuſtitiam, religionem triumphantem, quæ in vtro maiora ſint, difficile eſt comparando iudicare; in vtroque profectò ſunt tanta, quanta ſummis Principibus optari poſſunt.

Quare veſtrum eſt Galli ex ea ſemente meſſem æſtimare quam collegiſtis; magna ſiquidem vis eſt in genere, propterea quod communione naturæ, non modò parentum ſanguis deriuatur in venas ſuccedentium liberorum, ſed ipſa eorundem virtus in mentem quoque

trans

ransfunditur; adeoque si quantæ sunt in vtro-
que parente tum ingenij, tum virtutis dotes,
antas postmodum in regio Delphino visuri
imus, (qu[illegible] par est vnumquemque nostrûm
perare) qu s omnibus retro seculis Princeps
maior, meliorque surrexit?Si Patris vigilan-
am obtinet, quis solertior? si Matris dignita-
m, quis spectabilior? dum illius clementiam
feret, quem non vincet officiis? dum huius
odestiam imitabitur, cui non occurret au-
ustus? Accedat ad regis fortitudinem, cuncta
o adiunget imperio; succedat Reginæ pie-
ti, nullum non rapiet virtutis exemplo:
quet Ludouici iustitiã, quid non illo Legisla-
re moderatum? Excipiat Annæ sapientiã, quid
n illo Rege perfectum? vtriusque demum
ineat indolem, videbimus grauitatem vr-
itate, modestiâ principatum, maiestatem
pularitate conditam; & quidquid habet
lia nobilitatis & gloriæ, quidquid Hispania
olitudinis & famæ, in hoc collectum ad
ndi dominium.

Atque hunc vigorem, hoc imperium toto
illius vultu eminere audio, (neque enim
omnibus eò testes afferre oculos) Regem
are dicitur adhuc infans; iam affusus genis
s & dignitas quæ Principum esse solet;
fronti decus impressum, cuiusmodi He-
n decet; iam fulgor inditus oculis, qui si-
um & cœleste aliquid sapit Cernitur
que parens vnius in ore, excelsum caput
lit, quasi toto, vel in cunis iacens, regno
eat; figit obtutus imperterritas, quasi

commemorem? quas ſane multas magimáſque eſſe oportet poſtquam Rex tantus eas ſuſpexit, omnes tacito quodam inſtinctu palam efferunt. In ea quippe non modo acre viget ingenium, ſed tam caſtj præterea mores elucent, tam egregia fides, tam ſolida pietas, tam inſignis manſuetudo, vt cùm dignitatem ſummæ for-tunæ retineat nihil ſupra communem ſortem aſſurgat, eaque ſit omnium vox, ſi quis Reginam in media turba aulicorum internoſcere velit, facilè cogniturum, dum obſeruet modeſtiſſimam omnium. Cultu ſimplex omnem longè ornatum ſuperat, ſemper animo tranquilla neſcit aulæ ſtrepitum, omnibus denique virtutibus cumulata facit ne nos Clothildes, Blancas, Radegundes, Eleonoras, Elizabethas, Margaretas, Catharinas maioribus noſtris inuideamus, poſtquam tenemus Annam, quæ paucas ſibi Reginas vidit æquales, nullam habuit gloriâ ſuperiorem. Equidem quoties Regem vel Reginam intueor, exiſtimo videre me ſpirãtem honeſtatem, radiantem ſapientiam, arridentem humanitatem, ſedentem conſtantiam, liberalitatem erumpentem, imperantem iuſtitiam, religionem triumphantem, quæ in vtro maiora ſint, difficile eſt comparando iudicare; in vtroque profectò ſunt tanta, quanta ſummis Principibus optari poſſunt.

Quare veſtrum eſt Galli ex ea ſemente meſſem æſtimare quam collegiſtis; magna ſiquidem vis eſt in genere, propterea quod communione naturæ, non modò parentum ſanguis deriuatur in venas ſuccedentium liberorum, ſed ipſa eorundem virtus in mentem quoque trans

transfunditur; adeoque si quantæ sunt in vtroque parente tum ingenij, tum virtutis dotes, tantas postmodum in regio Delphino visuri sumus, (quod par est vnumquemque nostrûm sperare) quis omnibus retro seculis Princeps maior, meliorque surrexit? Si Patris vigilantiam obtinet, quis solertior? si Matris dignitatem, quis spectabilior? dum illius clementiam referet, quem non vincet officiis? dum huius modestiam imitabitur, cui non occurret augustus? Accedat ad regis fortitudinem, cuncta suo adiunget imperio; succedat Reginæ pietati, nullum non rapiet virtutis exemplo: Æquet Ludouici iustitiã, quid non illo Legislatore moderatum? Excipiat Annæ sapientiã, quid non illo Rege perfectum? vtriusque demum retineat indolem, videbimus grauitatem vrbanitate, modestiâ principatum, maiestatem popularitate conditam; & quidquid habet Gallia nobilitatis & gloriæ, quidquid Hispania amplitudinis & famæ, in hoc collectum ad mundi dominium.

Atque hunc vigorem, hoc imperium toto iam illius vultu eminere audio, (neque enim fas omnibus eò testes afferre oculos) Regem spirare dicitur adhuc infans; iam affusus genis lepos & dignitas quæ Principum esse solet; iam fronti decus impressum, cuiusmodi Heroëm decet; iam fulgor inditus oculis, qui sidereum & cœleste aliquid sapit Cernitur vterque parens vnius in ore, excelsum caput attollit, quasi toto, vel in cunis iacens, regno emineat; figit obtutus imperterritas, quasi

gentes iam nutu terreat, suo breui, ferro domandas; manus explicat audaces quasi sceptris aptare velit; teneriter firma exercet brachia, quasi præludat hostium fatis. Ecquem verò metum circumiectis hinc inde nationibus barbaris incussum fuisse putamus, vbi primùm de Delphino audiuere? An non ipsis visi sunt prisci illi Gallorum Reges, tot gentium superbi victorijs, quorum imperio vniuersus fere terrarum orbis succubuit, hoc infante renasci? O Galliam hac imprimis prole felicem! Nunc longas tibi, Regina, partus moras ignoscimus quas tam glorioso fœnore reparasti: iam intelligimus non nimis diu expectatum fuisse qui tantus futurus erat; quin eò gratior accesit, quò serior: cumque tu, Mater Augusta, tardiùs emittere debuisti vt ex sanguine iam maturo coalesceret fortior. Siquidem ad concipiendum difficilis, lenta etiám partu fuisti; & cùm ad annos tres & viginti fœtum suscipere distuleris, in decimum præterea mensem gestasti vtero; tum quia Principes non eâdem quâ cæteri celeritate funduntur, & qui Rege prægnans est vterus, ægrè patitur tam superbo se onere liberari; tum quia operosum est quidquid excellit, & longo spatio cuditur quod æternitati sacratur. Sic vniones videmus auaro cœlo singulos sudari lentè, sic elephantum toto bienniò vterum ferre & fœtùm moliri, sic leonem post longos naturæ conatus vnum edi partu generoso, sed raro.

Hoc vnum ad felicitatem Galliæ sempiternam optandum restat, vt eum ad multos annos

nos superstitem videamus quem vt liceret aliquando conspicere diu multumque contendimus; & longiùs tantò viuat Delphinus, quantò cœpit viuere seriùs. Quod ipsum etsi futurum semper speraui, maximè ex quo dubitat nemo, quin hunc Regi filium Deus singulari quodam munere concesserit: tamen auget multò etiã magis spem meam eximia Regis pietas, qui eundem vixdum aluo maternâ conceptum, Virgini Deiparæ, vna cum amplissimo regno, solemni ritu consecrauit. Hic enim, LVDOVICE, prætetire non possum insigne illud religionis tuæ monumentum, quod dum hominum genus erit, nulla non secula prædicabunt. Iam tibi desideratæ prolis spes non inanis affulserat, iam pretioso fœtu Regina distendi cœperat, cùm tu miraculi intelligens, vt beneficium quod pietate merueras, pietate rependeres: idque cum fœnore, non modò pignus accetpum, sed & præterea vniuersum, quàm latè patet, Galliarum imperium, Augustissimæ Dominæ, nexu perpetuo deuouisti, ne quos haberes in subditis, quos illa sui nesciret esse mancipij. Imo verò iussisti nos tuæ deuotionis esse consortes, & tecum ad pedes Magnæ mundi Imperatricis accidere, vt gratiam quæ pertinebat ad omnes, singuli agnosceremus, tum Regni dedicatio perfecta haberetur, cùm eam quisque voluntario firmasset obsequio. Etsi enim tu qui omnium in te fortunas colligis, vnus spondere poteras pro omnibus, & Rex magnus personam implere humilium famulorum; tamen ne cogi videremur ad seruitutem, dum nos inaugura-

num creſcentis lunæ fulgorem extinguet ille ad vtriuſque maris remotiſſima li tora, ad orientem iuxa & occiduum ſolem ſuæ maieſtatis numen diffundet : ille victorijs orbem terrarun peragrabit , Clodouæis illuſtrior, Pipinis fortior, Carolis felicior, Philippis Auguſtior , Henricis maior, Ludouicis (ſi quid eorum addi poteſt pietati, & nomini) etiam melior. Ergo viuat qui nobis diuinitus extitit Delphinus , & tot annos viuat quos naſcituro vota concepimus , quot plauſibus natum excepimus. Viuat donec nullum hoſtem Gallia ſentiat , nullum Europa patiatur hæreticum , nullum Eccleſia non ſibi ſubditum videat. Viuat ſecundus Regi qui genuit? Reginæ ſimilis quæ peperit ; Galliâ maior quæ flagitauit. Superi qui dederunt æternum ſeruent, ciues qui petierunt patrem ſentiant, exteri qui timuerunt victorem ferant, fœderati qui exoptarunt triumphantem videant. Diu expectatus, nunquam recedat; miraculo genitus , miraculis fulgeat ; cœlo delapſus, terris imperet, LVDOVICVS meruit, LVDOVICVM æquet ; Anna obtinuit , Annam fœlicitet ; Gallia ſuſcepit Galliam amplificet. Auguſtæ proli anni mille , Imperatori nouo coronæ mille , Delpino Gallico victoriæ mille, , vt pacem reducat , hoſtes conterat, vt oppreſſos liberet , vt Eccleſiam protegat, vt mundo imperet Delphinus Viuat. Hæc ſunt tuorum vota , Rex Chriſtianiſſime, hæ publicæ omnium , tibi tuoque ſanguini fauſtæ precantium acclamationes. Det tibi Deus ætatem quam mereris, Delphino quam cupis.

Illius ortu ita gaudemus, vt tuum nunquam audire velimus interitum. Viuat ille diu tibi, tu nobis ſemper. Imperet in æuum, dum ſerò capeſſat imperium. Alios enim à te, LVDOVICE, Gallia Principes; alios à te mundus, Anna, Dominos poſtulat: quantumuis multos dederitis, pauci videbuntur, quia ratum omne quod optimum. Date filios, videatis nepotes, & talem ſenectutem quam ſibimet optet pronepos, cernat in proauo; tam fœcundam Borboniæ gentis ſeriem Gallia numeret, quæ nullum finem habeat, orbem impleat vniuerſum.

DELPHINI HOROSCOPVS.

ASTRVM LVDOVICVS XIII. ASPECTVS DVPLEX; ALTER REGIS, ALTER PATRIS.

Auctore

VAVASSORE.

QVo quiſque mortalium aſtro ſit, Auditores ornatiſſimi, quaue primum ex affectione cœli ſpiritum duxerit, doceri velle curioſiùs; ſi de viris principibus fiat, periculoſum; ſi homines Chriſtiani faciant, impium; quiqui id agant, de quibus idcunque agatur, ſuperuacaneum fore, vetus, & conſtans hactenus opinio fuit bonorum, atque ſapientum. Et plenam quidem rem periculi ſuſcipi, ſi quis in vitam, mortemque procerum inquirat, cùm natæ ex eo nouæ ſpes, ac magnæ, deinde turbæ, coniurationes, cædes, atque ſtrages ſatis, ſuperque commonſtrant; tum ſexcentæ in omni memo-

ria leges loquuntur, quæ, ne quis artem hanc tractaret, neue, qui tractarent, consuleret, publicatione bonorum, exilio, capite, grauissimis suppliciis quibusque sanxerunt. Cùm verò isti siue Chaldæi, siue Genethliaci, siue Planetarij, siue quo alio nomine nuncupantur, pro Deo fatum, pro miraculis naturam, pro libertate necessitatem nobis inducant; neque genus hoc vatum, neque hic eorum modus vaticinandi potest non maximè sacris, & religionibus aduersari, quæ authorem sui Deum, credulitatis suæ robur miracula, recti, honestique fontem, liberam voluntatem agnoscant. Iam quòd hos eosdem siderum, stellarumque inspectores falli interdum, quòd fallere sæpius, quòd nunquam verum, nisi casu, ac fortuitò loqui constet inter eos, qui rem totam penitus introspexerunt; quis non tanquam vana, & futili scientia supersedendum notatione dierum natalium, animaduersione globorum vel errantium, vel inerrantium putet? Itaque nobis nunc, qui pueri regij thema rectè, ac ratione ponere ingressi sumus, neque è vulgari hoc cœlo, & quotidiano cœlestium signorum aspectu tantæ, tamque raræ sortis indicia repetere visum est, neque committere, vt periculo nostro aliquo, summo cum scelere, nihil agamus: præsertim cùm magnum, illustre, præcelsum, neque mutum, neque expers sensus, ac rationis astrum iamdudum Galliæ, recens Delphino lumen præpandat, vimque præsentissimam ingeneret, vnde, quantum homini scire fas est, qualis, qualique tum natura, tum fortuna futura proles sit, prænosci

mul

multos in consequentes annos queat. Nam si Maiorum censu, atque diuitiis, opes hæredum metiri, & ad nummum subducere licet vniuersas, nonne & facilè æstimare, & liquidò prouinciare de Delphini magnitudine, & Ludouici Regis post conditum hoc regnum potentissimi viribus, & copia possumus? Agè porrò, cùm sit ex parentibus soboles excerpta quædam, & delibata quasi particula; cùm genus indidem, atque intimam temperationem corporis hauriat; cùm plerunque lineamenta, colorem, incessum, morbos ipsos ac næuos sic effingat, vt in liberis parentes certò agnoscamus; quis aut difficile, aut alienum vicissim ducet, in parentum vita, & moribus, gestisque rebus, liberûm indolem, ac naturæ habitus, expressamque mentis imaginem intueri?

Vnicum ergo primæ, quemadmodum appellant, magnitudinis astrum, è quo Delphini petere geniturам placet, Ludouicus esto. Cuius quoniam aspectus duplex, alter Regis, alter Patris, qui parem vim ambo in Delphino, efficientiamque declarant, Sinite me, Audit. humanissimi, de vtroque nunc deque eo priùs, quod reipsa primum, de regia dignitate videlicet agere. Ac illa quidem regni Gallici maiestas, quæ reliquis orbe toto imperiis & diuturnitate temporis, & splendore nominis antestat, Ludouicum puerum supra Reges extraneos multùm sine controuersia extulit. Nunc illam verò & adolescens, & vir Ludouicus supra Reges Maiores suos, virtute duce: comite felicitate, incredibiliter prouexit. Cedò

nostris è Regibus Regem, qui tam latè mari, qui tam longè terra, qui tantum in suos imperium tenuerit? Primùm omnium ad mare veniamus. Maiores nostros, veteres istos admodum antiquos, patriis agellis, & possessiunculis suis contentos tran'marina regna nec attigisse, nec concupiuisse, nisi si quando amor eos religionis propagandæ domo exciuit, & ad oras barbararum gentium, ac litora appulit, quis ignorat? quare minimè mirum hos aut nihil, aut perparum classe, maritimisque rebus valuisse, qui auaritiam, & cupiditates reliquas habendi, intra modum, solique natalis angustias, ac terminos continerent; non opes peregrinas ad prædam, non merces ad lucrum, non abundantiam ad delicias exposcerent. Patres autem nostri siue necessitate impulsi, quòd bello paterentur, siue aliorum exemplo, quòd spe laudis ducerentur, maris fortunam tentare, ac periclitari, seque committere alto ausi illi quidem sunt; sed in dispari conatu, gloriæque studio parem ferme virium imbecillitatem prodiderunt. Regiæ naues onerariæ paucæ, paucæ bellicæ: triremes iuxta robore, & numero infirmæ, eæque magis ad maleficos plectendos, quàm rem gerendam comparatæ. Hoc dolorem augebat, & ignominiam, quòd plenissimæ naues exterarum nationum Gallis militibus, ac nautis essent & quam illi operam patriæ Regique deberent, eam alienigenis, cùm à suis non adhiberentur, locarent mercede, atque nauarent. In quo bis inconsulti eramus, bis nobis perniciosi, qui neque labore, industria, vigilantia nostrorum vteremur, & eosdem hostibus contra

contra nos quasi vtendos commodaremus. Quod si qui in regno priuati ductu suo aliquid, & auspiciis, & impensis mari poterant, ij sibimet solis, ij contra fas, & iura, contra leges, [illegible] instituta, ij contra Regem, ac maiestatem Francorum poterant. Sed quid isthæc aut tam leuia, & minima recordor? Hominibus Gallis ego excursiones trans mare nullas, nullas expeditiones susceptas ante hosce annos dicam fuisse, cùm vix oras ipsi nostras ratibus legerimus, vix sinus atque freta actuariis defenderimus? Quid regibus nostris maria clausa omnia querar cùm ne Galliæ quidem portus, atque eos portus, quibus non dignitas modò, sed vis, ac robur regni, sed salus, atque incolumitas continetur, nec ipsis rerum, ac locorum dominis, cùm liberet, nec quot, quibusue liberet, patuisse sciamus? An verò ignoramus alios pignori non semel, & sat diu oppositos, alios plus ducentis annis in regum finitimorum potestatem redactos, reliquos aut fraude surreptos, aut vi occupatos, aut fœdis, & iniquis pactionibus obtentos, vel ab vrbibus, quæ res in regno publicas excitarent, vel ab optimatibus, qui tyrannidem exercerent; quorum omnium sibi quisque dominus, atque rex, nemo alterius ex nutu, arbitrioque penderet? Pro Deus immortalis! tantosne mari vnius astri, hoc est, Ludouici incredibilis, ac diuina vis, atque virtus ciere motus, tantamne rerum vicissitudinem potuit, mutationemque moliri, vt nos, quibus nuper ad villas maritimas, ac res domesticas obeundas cymbæ tantùm, & lintres, ceteraque eiusdemmodi minora nauigia suppeterent,

terent,

terent, ij nunc pulcherrimam, inſtructiſſimam, ornatiſſimam claſſem non vnam habeamus; & qui noſtra ægrè contra inſidias prædonum, incurſus quorumuis hoſtium tueri valeremus, iidem non modò erepta ſecundiſſimis ventis, præiis, hominibus, ſuperis repetamus, ſed etiam vltrò, ac priores laceſſamus, & in aliena tam audacter, liberéque, quàm ſi derelicta, ſi caduca, atque vacua, ſi indefenſa, incolemus?

Nunc nunc, Audit. Vtrumque mare velis, remis, armis obſidere cœpimus. Oceanum cum Mediterraneo Orientem cum Occidente, integerrimis, & florentiſſimis copiis coniunximus. Hoſtium non vrbem vnam aliquam, ſed ditionem totam, atque regnum in ſingula oſtia, æſtuaria, naualia, ac littora infeſti, imminentéſque cinximus. Quas fraus incautas, multitudo ſolas, vis inermes inſulas interceperat, eas opere, ac præſidio munitas, apertóque Marte, ex hoſtis, vt aliud nihil dicam, tenaciſſimi manibus, ac pene faucibus inuictiſſimâ, & glorioſiſſima claſſis recepit. Neque verò ante facinus tam nobile ceſſauit, aut pòſt in tam inſigni victoria acquieuit; neque minus otiata vnquam eſt, quàm dum nobis videbatur otiari; neque parum egit, cùm, ne quid hoſtis rerum ageret, deterruit. Quæ clandeſtina conſilia cautione non occupauit? quos commeatus, quaſue copias præſentiâ non interclusit? quæ oppida, noſtra, fœderatorum, ſola aduentus ſui opinione, non ſeruauit? verbo dicam: toties prouocauit, reſtitit, vicit, quoties aggredi, oppugnare, ſuperare, abſque ea eſſet hoſtis potuit. Hæc rei nauticæ velut incunabula, & prima quædam in

naues

naues conſcenſio, portuque ſolûtio,progreſſum conſiderate. Sic fere fieri ſolere accepimus, vt non vno diu ſtatu rationes, & copiæ belli maritimi conſiſtant, ſed diffluant ſenſim, ac dilabantur, & quæ vis alios perculit, per ſe ipſa tempore, ac ſitu, morbiſque concidat; ſiue quòd anguſtiùs victor, incommod úſque habitet; ſiue quòd difficiliùs alatur mari, quàm terra exercitus, cùm mare ad victum nihil admodum, ac ne ad potum quidem ex ſeſe profundat; ſiue quòd altero tanto maiorem maritimum eſſe quàm terreſtrem exercitum oporteat, cùm ad rem maritimam adminiſtrandam & nauta ſit, & milite opus. Quod aliter longè hominibus noſtris euenit. Nam quo tempore aut ſucceſſu elatæ,aut præda onuſtæ, aut ſtipendiis, ac tanquam penſo perfunctæ, aut ſatietate defeſſæ diſſipari, ac diſtrahi, minuique cohortes ſolent cæterorum, eo tempore exercitus noſter clarus, atque victor, vſque eo ſe nouo, ac ſuperbo delectu, & ſedula conquiſitione firmauit,tamque magnis aduentitiis & propugnatorum, & nauiculariorum opibus, atque ſupplemento inaluit, vt neque ſe capere ipſe, ac ferre potuerit, ſed diuidendus duas in partes fuerit; neque mare vnum tenere ſatis habuerit, ſed ſuum cuique, alteri mediterraneum, in quo iam erat, alteri Atlanticum, vnde digreſſus fuerat, ſic tanquam laboris, induſtriæ, victoriarum curriculum aſſignatum ſit. Atque illa quidem ad meridiem claſſis ſic Regi deinceps ſe probauit, ſic hoſtibus, vt ſit his, quod diu doleat; huic, quod ſibi gratuletur tantum v res præſtitiſſe diuiſas,quãtum coniunctæ conſequi,
atque

atque efficere potuissent. Istam verò ad Septentrionem quàm numero multæ, quàm mole immanes, quàm rebus omnibus necessariis ornatæ, atque instructæ naues auxerunt? De multitudine, de magnitudine, de armis tum nauticis, tum bellicis, & rumore ipso nuncio, & certis authoribus scire potuistis. Vidi ego, conscendi, lustraui nauem ex omnibus vnam, Audit. [illegible] amplitudine, & quadam quasi maiestate, atque operis absolutione, Coronæ nomẽ, sic erectã malis vt silua: sic prætentã velis, vt castra; sic fũdatã anchoris, sic ab omni reliqua supellectile paratam, vt officina ferraria, & armamentarium esse publicum videatur: ita ingentem porrò, excelsamque, vt medio mari vrbis instar obtineat; ita celerem, & habilem, vt nihilo maiore, quàm scapha, negotio torque[illegible] :cui, ignem modò, terramque vitet, à naufr[illegible]o, vique alia externa vulgò negant esse periculum. Quare si cetera huic proportione nauigia & laxitate, & numero respondent, non dubium, quin, sicut hæc nauis omnibus, quæ vnquam ædificatæ sunt, facile antecellit, ita classis hæc, mitto earum, quæ nunc sunt, gloriam, verùm antiquitatis memoriam superatura sit. Eoque id magis, quòd ad veteres copias incredibilem quandam attulit hostis ipse accessionem, cuius cùm alterum portum, sanè non ignobilem, & plenissimum nauium, atque inst[illegible]nti nautici diripuerimus, in altero naues bene multas, ac magnas partim incenderimus, partim depresserimus; terram, quaterque vincamus licet, quem & igni, & aqua, & nostris, & suis armis vexatum, atque confectum damus. Quis ergo tam imperitus,

ritus, qui hoc ignoret, aut qui tam inuidus, tamque iniquus; qui cùm hoc ſciat, non fateatur Ludouicum quoddam quaſi ſydus mari præſidere, ac dominari, & regnum aliquod ſuum, atque nomen obtinere, quamque à maribus non accepit. quæſitam Marte ſuo lauream hæreditariam filio tradere? qualem autem fore, & quantum filiũm putatis, cui impoſita duplex neceſſitas ſit, vt, & parta tueatur, ſi degenerare nolit, & partis tantundem adiiciat, ſi æquare patrem velit? quid ſi anteire, quid ſi interuallo tanto anteire, quanto ſuis iſte maioribus præſtitit: quod tandem ad faſtigium vel naſcentem, vel adultam naualem hanc laudem perducturus eſt, aut quid ei reliquum fiet, niſi, vt, cùm pater hoſtes ſuos claſſe Europa tota fuderit, ac deleuerit, religionis ipſe hoſtes tota Aſia, atque Africa, quàm vaſta vtraque, & portuoſa eſt, perſquatur, atque deuincat? Niſi verò nihil vnquam ſuum Delphino nomen præſagit, quem piſcem marinis piſcibus imperare ferunt. Nihil nauis, quam celeberrima poſt hominum memoriam Lutetia pro armis ſibi, atque inſignibus ſumpſit. Nihil nunc præſignificat, aut ſpondet ſocietas opulentorum, ac præpotentum virorum; qui nouum in orbem quotannis nauium magnam vim, ac numerum ſumptu ſuo, periculoque mittunt. Nihil frænum iniectum mari; cùm perduellionem ciuium coniuratorum acceſſu ſuo, receſſuque adiuuaret.

Eſto ſanè, valeat aliquid hoc aſtrum mari; per ſe Rex, per Regem Delphinus. At nihil vterque magis terrà, quàm Reges ſuperiores.

Scilicet

Illius ortu ita gaudemus, vt tuum nunquam, audire velimus interitum. Viuat ille diu tibi, tu nobis semper. Imperet in æuum, dum serò capessat imperium. Alios enim à te, LVDOVICE, Galliæ Principes; alios à te mundus, Anna, Dominos postulat: quantumuis multos dederitis, pauci videbuntur, quia ratum omne quod optimum. Date filios, videatis nepotes, & talem senectutem quam sibimet optet pronepos, cernat in proauo; tam fœcundam Borboniæ gentis seriem Gallia numeret, quæ nullum finem habeat, orbem impleat vniuersum.

DEL

DELPHINI HOROSCOPVS.

ASTRVM LVDOVICVS XIII. ASPECTVS DVPLEX, ALTER REGIS, ALTER PATRIS.

Auctore

VAVASSORE.

QVo quisque mortalium astro sit, Auditores ornatissimi, quaue primum ex affectione cœli spiritum duxerit, doceri velle curiosius; si de viris principibus fiat, periculosum; si homines Christiani faciant, impium; quiqui id agant, de quibus idcunque agatur, superuacaneum fore, vetus, & constans hactenus opinio fuit bonorum, atque sapientum. Et plenam quidem rem periculi suscipi, si quis in vitam, mortemque procerum inquirat, cùm natæ ex eo nouæ spes, ac magnæ, deinde turbæ, coniurationes, cædes, atque strages satis, superque commonstrant; tum sexcentæ in omni memo-

ria leges loquuntur, quæ, ne quis artem hanc tractaret, neue, qui tractarent, consuleret, publicatione bonorum, exilio, capite, grauissimis suppliciis quibusque sanxerunt. Cùm verò isti siue Chaldæi, siue Genethliaci, siue Planetarij, siue quo alio nomine nuncupantur, pro Deo fatum, pro miraculis naturam, pro libertate necessitatem nobis inducant; neque genus hoc vatum, neque hic eorum modus vaticinandi potest non maximè sacris, & religionibus aduersari, quæ authorem sui Deum, credulitatis suæ robur miracula, recti, honestique fontem, liberam voluntatem agnoscant. Iam quòd hos eosdem siderum, stellarumque inspectores falli interdum, quòd fallere sæpius, quòd nunquam verum, nisi casu, ac fortuitò loqui constet inter eos, qui rem totam penitus introspexerunt; quis non tanquam vana, & futili scientia supersedendum notatione dierum natalium, animaduersione globorum vel errantium, vel inerrantium putet? Itaque nobis nunc, qui pueri regij thema rectè, ac ratione ponere ingressi sumus, neque è vulgari hoc cœlo, & quotidiano cœlestium signorum aspectu tantæ, tamque raræ sortis indicia repetere visum est, neque committere, vt periculo nostro aliquo, summo cum scelere, nihil agamus: præsertim cùm magnum, illustre, præcelsum, neque mutum, neque expers sensus, ac rationis astrum iamdudum Galliæ, recens Delphino lumen præpandat, vimque præsentissimam ingeneret, vnde, quantum homini scire fas est, qualis, qualique tum natura, tum fortuna futura proles sit, prænosci

mul

multos in consequentes annos quæat. Nam si Maiorum censu, atque diuitiis, opes hæredum metiri, & ad nummum subducere licet vniuersas, nonne & facilè æstimare, & liquidò prouinciare de Delphini magnitudine, & Ludouici Regis post conditum hoc regnum potentissimi viribus, & copia possumus? Agè porrò, cùm sit ex parentibus soboles excerpta quædam, & delibata quasi particula; cùm genus indidem, atque intimam temperationem corporis hauriat; cùm plerumque lineamenta, colorem, incessum, morbos ipsos ac næuos sic effingat, vt in liberis parentes certò agnoscamus; quis aut difficile, aut alienum vicissim ducet, in parentum vita, & moribus, gestisque rebus, liberûm indolem, ac naturæ habitus, expressamque mentis imaginem intueri?

Vnicum ergo primæ, quemadmodum appellant, magnitudinis astrum, è quo Delphini petere genituram placet, Ludouicus esto. Cuius quoniam aspectus duplex, alter Regis, alter Patris, qui parem vim ambo in Delphino, efficientiamque declarant, Sinite me, Auditores humanissimi, de vtroque nunc dicere eo priùs, quod reipsa primum, de regia dignitate videlicet agere. Ac illa quidem regni Gallici maiestas, quæ reliquis orbe toto imperiis & diuturnitate temporis, & splendore nominis antestat, Ludouicum puerum supra Reges extraneos multùm sine controuersia extulit. Nunc illam verò & adolescens, & vir Ludouicus supra Reges Maiores suos, virtute duce: comite felicitate, incredibiliter prouexit. Cedò

nostris è Regibus Regem, qui tam latè mari, qui tam longè terra, qui tantum in suos imperium tenuerit? Primùm omnium ad mare veniamus. Maiores nostros, veteres istos admodum antiquos, patriis agellis, & possessiunculis suis contentos tran marina regna nec attigisse, nec concupiisse, nisi si quando amor eos religionis propagandæ domo exciuit, & ad oras barbararum gentium, ac litora appulit, quis ignorat? quare minimè mirum hos aut nihil, aut perparum classe, maritimisque rebus valuisse, qui auaritiam, & cupiditates reliquas habendi, intra modum, solique natalis angustias, ac terminos continerent; non opes peregrinas ad prædam, non merces ad lucrum, non abundantiam ad delicias exposcerent. Patres autem nostri siue necessitate impulsi, quòd bello paterentur, siue aliorum exemplo, quòd spe laudis ducerentur, maris fortunam tentare, ac periclitari, seque committere alto ausi illi quidem sunt; sed in dispari conatu, gloriæque studio parem ferme virium imbecillitatem prodiderunt. Regiæ naues onerariæ paucæ, paucæ bellicæ: triremes iuxta robore, & numero infirmæ, eæque magis ad maleficos plectendos, quàm rem gerendam comparatæ. Hoc dolorem augebat, & ignominiam, quòd plenissimæ naues exterarum nationum Gallis militibus, ac nautis essent & quam illi operam patriæ Regique deberent, eam alienigenis, cùm à suis non adhiberentur, locarent mercede, atque nauarent. In quo bis inconsulti eramus, bis nobis perniciosi, qui neque labore, industria, vigilantia nostrorum vteremur, & eosdem hostibus contra

contra nos quaſi vtendos commodaremus. Quod ſi qui in regno priuati ductu ſuo aliquid, & auſpiciis, & impenſis mari poterant, ij ſibimet ſolis, ij contra fas, & iura, contra leges, inſtituta, ij contra Regem, ac maieſtatem Francorum poterant. Sed quid iſthæc aut tam leuia, & minima recordor? Hominibus Gallis ego excurſiones trans mare nullas, nullas expeditiones ſuſceptas ante hoſce annos dicam fuiſſe, cùm vix oras ipſi noſtras raribus legerimus, vix ſinus atque freta actuariis defenderimus? Quid regibus noſtris maria clauſa omnia querar cùm ne Galliæ quidem portus, atque eos portus, quibus non dignitas modò, ſed vis, ac robur regni, ſed ſalus, atque incolumitas continetur, nec ipſis rerum, ac locorum dominis, cùm liberet, nec quot, quibuſue liberet, patuiſſe ſciamus? An verò ignoramus alios pignori non ſemel, & ſat diu oppoſitos, alios plus ducentis annis in regum finitimorum poteſtatem redactos, reliquos aut fraude ſurreptos, aut vi occupatos, aut fœdis, & iniquis pactionibus obtentos, vel ab vrbibus, quæ res in regno publicas excitarent, vel ab optimatibus, qui tyrannidem exercerent; quorum omnium ſibi quiſque dominus, atque rex, nemo alterius ex nutu, arbitrioque penderet? Pro Deus immortalis! tantoſne mari vnius aſtri, hoc eſt, Ludouici incredibilis, ac diuina vis, atque virtus ciere motus, tantamne rerum viciſſitudinem potuit, mutationémque moliri, vt nos, quibus nuper ad villas maritimas, ac res domeſticas obeundas cymbæ tantùm, & lintres, ceteraque eiuſdemmodi minora nauigia ſuppeterent,

terent,

terent, ij nunc pulcherrimam, instructissimam, ornatissimam classem non vnam habeamus; & qui nostra ægrè contra insidias prædonum, incursus quorumuis hostium tueri valeremus, iidem non modò erepta secundissimis ventis, præ.iis, hominibus, superis repetamus, sed etiam vltrò, ac priores lacessamus, & in aliena tam audacter, liberéque, quàm si derelicta, si caduca, atque vacua, sine defensa, inolemus?

Nunc nunc, Audit. Vtrumque mare velis, remis, armis obsidere cœpimus. Oceanum cum Mediterraneo Orientem cum Occidente, integerrimis, & florentissimis copiis coniunximus. Hostium non vrbem vnam aliquam, sed ditionem totam, atque regnum in singula ostia, æstuaria, naualia, ac littora infesti, imminentésque cinximus. Quas fraus incautas, multitudo solas, vis inermes insulas interceperat, eas opere, ac præsidio munitas, apertóque Marte, ex hostis, vt aliud nihil dicam, tenacissimi manibus, ac pene faucibus inuictissimá, & gloriosissima classis recepit. Neque verò ante facinus tam nobile cessauit, aut pòst in tam insigni victoria acquieuit; neque minus otiata vnquam est, quàm dum nobis videbatur otiari; neque parum egit, cùm, ne quid hostis rerum ageret, deterruit. Quæ clandestina consilia cautione non occupauit? quos commeatus, quasue copias præsentiâ non interclusit? quæ oppida, nostra, fœderatorum, sola aduentus sui opinione, non seruauit? verbo dicam: toties prouocauit, restitit, vicit, quoties aggredi, oppugnare, superare, absque ea esset hostis potuit. Hæc rei nauticæ velut incunabula, & prima quædam in

naues

naues conſcenſio, portuque ſolútio progreſſum conſiderate. Sic fere fieri ſolere accepimus, vt non vno diu ſtatu rationes, & copiæ belli maritimi conſiſtant, ſed diffluant ſenſim, ac dilabantur, & quæ vis alios perculit, per ſe ipſa tempore, ac ſitu, morbiſque concidat; ſiue quòd anguſtiùs victor, incommod úſque habitet; ſiue quòd difficiliùs alatur mari, quàm terra exercitus, cùm mare ad victum nihil admodum, ac ne ad potum quidem ex ſeſe profundat; ſiue quòd altero tanto maiorem maritimum eſſe quàm terreſtrem exercitum oporteat, cùm ad rem maritimam adminiſtrandam & nauta ſit, & milite opus. Quod aliter longè hominibus noſtris euenit. Nam quo tempore aut ſucceſſu elatæ, aut præda onuſtæ, aut ſtipendiis, ac tanquam penſo perfunctæ, aut ſatietate defeſſæ diſſipari, ac diſtrahi, minuique cohortes ſolent cæterorum, eo tempore exercitus noſter clarus, atque victor, vſque eo ſe nouo, ac ſuperbo delectu, & ſedula conquiſitione firmauit, tamque magnis aduentitiis & propugnatorum, & nauiculariorum opibus, atque ſupplemento inaluit, vt neque ſe capere ipſe, ac ferre potuerit, ſed diuidendus duas in partes fuerit; neque mare vnum tenere ſatis habuerit, ſed ſuum cuique, alteri mediterraneum, in quo iam erat, alteri Atlanticum, vnde digreſſus fuerat, ſic tanquam laborum induſtriæ, victoriarum curriculum aſſignatum ſit. Atque illa quidem ad meridiem claſſis ſic Regi deinceps ſe probauit, ſic hoſtibus, vt ſit his, quod diu doleat; huic, quod ſibi gratuletur tantum v res præſtitiſſe diuiſas, quãtum coniunctæ conſequi,

atque

atque efficere potuissent. Istam verò ad Septentrionem quàm numero multæ, quàm mole immanes, quàm rebus omnibus necessariis ornatæ, atque instructæ naues auxerunt? De multitudine, de magnitudine, de armis tum nauticis, tum bellicis, & rumore ipso nuncio, & certis authoribus scire potuistis. Vidi ego, conscendi, lustraui nauem ex omnibus vnam, Audit. cui ab amplitudine, & quadam quasi maiestate, atque operis absolutione, Coronæ nomẽ, sic erectã malis vt silua: sic prætentã velis, vt castra; sic fũdatã anchoris, sic ab omni reliqua supellectile paratam, vt officina ferraria, & armamentarium esse publicum videatur: ita ingentem porrò, excelsamque, vt medio mari vrbis instar obtineat; ita celerem, & habilem, vt nihilo maiore, quàm scapha, negotio torqueatur: cui, ignem modò, terramque vitet, à naufragio, vique alia externa vulgò negant esse periculum. Quare si cetera huic proportione nauigia & laxitate, & numero respondent, non dubium, quin, sicut hæc nauis omnibus, quæ vnquam ædificatæ sunt, facile antecellit, ita classis hæc, mitto earum, quæ nunc sunt, gloriam, verùm antiquitatis memoriam superatura sit. Eoque id magis, quòd ad veteres copias incredibilem quandam attulit hostis ipse accessionem, cuius cùm alterum portum, sanè non ignobilem, & plenissimum nauium, atque instrumenti nautici diripuerimus, in altero naues bene multas, ac magnas partim incenderimus, partim depresserimus; ter iam, quaterque vincamus licet, quem & igni, & aqua, & nostris, & suis armis vexatum, atque confectum damus. Quis ergo tam imperitus,

ritus, qui hoc ignoret, aut qui tam inuidus, tamque iniquus; qui cùm hoc ſciat, non fateatur Ludouicum quoddam quaſi ſydus mari præſidere, ac dominari, & regnum aliquod ſuum, atque nomen obtinere, quamque à maribus non accepit. quæſitam Marte ſuo lauream hæreditariam filio tradere? qualem autem fore, & quantum filiùm putatis, cui impoſita duplex neceſſitas ſit, vt, & parta tueatur, ſi degenerare nolit, & partis tantundem adiiciat, ſi æquare patrem velit? quid ſi anteire, quid ſi interuallo tanto anteire, quanto ſuis iſte maioribus præſtitit: quod tandem ad faſtigium vel naſcentem, vel adultam naualem hanc laudem perducturus eſt, aut quid ei reliquum fiet, niſi, vt, cùm pater hoſtes ſuos claſſe Europa tota fuderit, ac deleuerit, religionis ipſe hoſtes tota Aſia, atque Africa, quàm vaſta vtraque, & portuoſa eſt, perſquatur, atque deuincat? Niſi verò nihil vnquam ſuum Delphino nomen præſagit, quem piſcem marinis piſcibus imperare ferunt. Nihil nauis, quam celeberrima poſt hominum memoriam Lutetia pro armis ſibi, atque inſignibus ſumpſit. Nihil nunc præſignificat, aut ſpondet ſocietas opulentorum, ac præpotentum virorum; qui nouum in orbem quotannis nauium magnam vim, ac numerum ſumptu ſuo, periculoque mittunt. Nihil frænum iniectum mari; cùm perduellionem ciuium coniuratorum acceſſu ſuo, receſſuque adiuuaret.

Eſto ſanè, valeat aliquid hoc aſtrum mari, per ſe Rex, per Regem Delphinus. At nihil vterque magis terrà, quàm Reges ſuperiores.

Scilicet

Scilicet quod erat in ea durissimum, non perrupimus? quod fluxum, & maximè lubricum, non vestigiis pressimus? paruo contenti, quod alienum, belli iure nostrum nihil fecimus: Cuiusmodi illud, & quanti est cum saxis, ac montibus, cum fluuiis, & pontibus, cum finibus regnorum, atque terminis rem habuisse, de natura victoriam, de arte triumphum retulisse, etiamque nunc referre? Ac videtur profectò solertissima, & beneficentissima rerum parens natura cum ad dignitatem, & iucunditatem præsidia Galliæ omnia suppeditasse, tum hanc ad securitatem adeo, & custodiam munisse, vt partim montes, partim flumina finitimorum populorum multitudini, odio, inuidiæ, furori opponeret: ita tamen, vt, quæ cauerit saluti, ne quis facilè hostis efferuesceret in eam, atque erumperet, nō obstiterit honori, quominus ipsa in ceteras gentes redundaret. Neque consilio prudentia, prudentiæ successus defuit. Nam qui Galliam Cisalpinam sæpe dici aduertimus, Italiam Transalpinam nūsquam legimus, & qui Portugalliam in Hispania nunc audimus, Portuhispaniam in Gallia nullam scimus, & qui nouimus Francorum Reges posteriùs ad culmen Imperij peruenisse, non meminimus Imperatores qui primò essent, regno deinde Francorum præfuisse. Sed hæc omitto, vel quia remota propter antiquitatem, vel quia ambigua propter interpretationum, vel quia leuia propter appellationem. Hoc recens, nec litigiosum, & perhonorificum quis dignè æstimet, ac satis pleno ore laudet, quòd Pyrenæum, Alpes, Rhenum, non tyrone, & collectitio exercitu, sed

firmissi

firmiſſimis, & robuſtiſſimis legionibus, non nouis, & imperitis ducibus, ſed veteranis, ſed ſcientiſſimis, ſed experientiſſimis Ludouicus vno eodemque tempore aggreditur, tranſcendit, atque tranat. Nihil æſtus calorum, nihil impoſiti fluuiis pontes, arces pontibus obſtiterunt, quominus extremum Pyrenæi, extremo iam liberato, adoriatur, medium Alpium irrumpat, ſummum Rheni obtineat, tot oras tam longinquas tamque diuerſas vna belli ſerie, vna victoriarum continuatione vinciat, atque comprehendat. Quod ſi quid nobis, vtpote in communi Marte, & ancipiti exitu præliorum, ſemel, atque iterum titubatum, ſi quid offenſum; ſi oppidum tormentis apertum non ingreſſi ſumus, ſi oppidanos vi captos, per errorem non cepimus, magis eſt, vt conſilio eueutum, quàm cœptis prudentiam, fortunam noſtris, quàm animum ac robur querar defuiſſe. *Nimium vobis* eſt Franca *propago viſa potens, ſuperi*, ſi aut vna in vrbe tot vrbes caperemus, aut quo tempore Delphinum Regem nouum accepimus, vel nouum regnum, vel certè ad nouum regnum, tam facile iter, tamque apertum haberemus. Quid de reliqua Galliarum vicinia commemorem, quàm æquè arte, manuque, vt loca, de quibus antè, naturâ, munitam, æque operibus, aggeribus, corporibus hominum, vt montium, aut animum altitudine obſeptam, atque interclusſam, deiiciendis præſidiis, expugnandis oppidis, occiſione occidendis aduerſariis Ludouicus patefecit? Itaque fruſtra regiones, quas maiores coluerant, fruſtra fines, quos aut natura præſtituerat, aut iura pacis

cis; ac belli deſcripſerant, fruſtra denique Galliam in Gallia requiras, videas verò licet externos externis, finitimos finitimis, hoſtes hoſtibus infeſtos atque obiectos, hoc eſt, eorum, qui aliquanto antè Galliæ circumcirca fines carpebant, & nonnulli in dies noui deradebant, agros, vrbes, prouincias non tantùm facere pro nobis, verùm nobis eſſe pro finibus, & quæ regni modò extrema, pene iam media, & quæ contra regnum nuper repagula, nunc propugnacula ad regnum, atque clauſtra. Sic vt, cum de noſtro nihil prorſus hoſtis obtineat, cùmque in vicinitatibus, & confiniis paulo celebrior regio nulla ſit, è qua non vnam, alteramue vrbem excerpſerimus, nobiſque vindicauerimus, in hoſtico rite pedem poſuiſſe, & in omnium, quaquauerſus regionum veniſſe poſſeſſionem videamur. Quanquam non id agimus præcipuè, vt, quaſi anguſtè regnemus, qui mari vtrinque claudimur, regni fines terrâ propagemus. Quantulum enim iſtud eſt præ eo, quod nobis curæ ſemper, atque cordi fuit, quodque conſecuti ſumus, atque omni victoria prius duximus, vt bellum & Gallia tota expelleremus, & in ipſum ſuum, atque gremium hoſtium, transmontes, ac flumina vſque de portaremus? quando hic apud nos, atque inter nos negotiatio conquieuit, forum conticuit, coli agri deſierunt? quando literæ, quando reliquæ togæ, & pacis artes, vel arreptę auidius, vel cultæ laborioſiùs, vel glorioſiùs dotatæ, atque locupletatæ? Quamobrē veriſſimè mihi poſſe videor dicere (fremat licet inuidia atque rūpatur) ab hinc annos centum, quietiorem, tranquilliorem,

liorem, pacatiorem Galliam non fuiſſe. Qui locus interuallo tot annorum, quæ vltima ora, regni angulus vacuus à bello fuit? quod belli genus, terreſtre, maritimum, ciuile, externum, quo non vel alienigenarum odium, vel populorum ſeditio, vel ambitio Procerum vel religionis nomen, atque cauſa opulentiſſimum, idemque antiquiſſimum regnum exercuit, debilitauit, tantùm non abſumpſit? Quid de bello patriæ loquor, cui fuerit per hæc eadem tempora ne pax quidem vnquam pacata; cum annum tam liberum, tamque ſecurum nullum decurrerit, nullam tam lætam diem viderit, in qua ſi non graue aliquod bellum & vehemens turbaret, at belli certè metus, & periculum ſuſpenſos animos, atque ſollicitos haberet? aut enim vrbs in maritimis aliqua dicto audiens eſſe reſpuebat, aut mediterranea aliquid nouabat, aut hoſtis alicunde accerſebatur. Ita vel bello omnia ardere, vel belli ſuſpicio fructus pacis præcerpere. Nunc verò, vt res habent, quis non miretur non modò nulla caſtra, nullam aciem, nihil in regno extremo reſidere, ſed tot, tantoſque exercitus, quot, & quantos Europa vix ſatis tueri ſumptibus poſſe, vix ferre videatur, in hoſtile penitus ſolum ex interuallo tranſportari, tamque diu affixos quaſi domicilium ad habitationem, non tabernaculum ad commorationem collocarint, diſtineri? Alimus, Audit. alimus: quanquam hic erro: non enim nos magis contra hoſtem, quàm ipſe contra hoſtis ingentes copias, maxima ex parte, agrorum fructibus, commodis vrbium, præda; & direptione domorum, tot

iam annos, alit, atque sustentat. Quo numero? Rectè admones. Iustos exercitus minimùm triginta, quippe cùm nos in hostem, fœderatique nostri ampliùs summiserimus quindecim, opponere ille nobis necesse habuerit totidem; ratio, & summa constet oportet, quam supra posui; itáque tot excipiat & depopulatores agrorum, & obsessores vrbium. Ex hoc numero tamen deducas licet quaternos, quinosue exercitus, quos præliis maximis nonnullis, ducibus partim captis, partim sauciis noster posternit miles identidem, atque cædit. Facilè vt appareat, quàm multis superiores nominibus simus, qui non hostem solùm incautum eliciamus, tergiuersantem compellamus ad pugnam, verùm vsque ad tecta, & abditos, ac penetrales focos persequamur, & in suo se firmantem solo, in quo imbecillimus quisque plurimùm valet, vincamus. Quare si bellum necessarium fuit, necessitati paremus: si salutaris pax est, saluti operam damus: si alterum sine altero consistere, ac se tueri minùs potest, pacem domi, quod est prudentiæ, foris bellum, quod est fortitudinis, gerimus, vtrumque simul amplectimur, quod summæ est, & inauditæ cuiusdam felicitatis. Et dubitabimus, quin tantundem terrâ, quantum mari, vnum, idemque astrum polleat? quin suus terræ quoque Delphinus sit? quin Vienna aliquid (Delphinatus dico. non Austriæ vrbem, atque caput) neque obscurum, neque incertum portendat? Quid verò habet admirationis, si vim duplicem hanc, maritimam, & terrestrem primo Ludouicus hæredi transmittat, quam non in

bre

breue neſcio quod tempus, ſed in centeſimum, ac ducenteſimum annum, ſed in multa ſæcula propaget; Neſcimus, Audit. aut parum certè attendimus, quid, quantumue his miſeriis, quas vocamus, his bellis, quæ deprecamur, non ſolùm in præſens, verùm in poſterum profectum ſit. Audite, Galli, quod ſatis magno nunquam ematis. Audi, Gallia, quod cum damnis omnibus tuis, atque offenſionibus belli, quod cum malis ſiue publicis, ſiue domeſticis, non his proximis, quibus etiam tum maiora, cum otio eſſes, ac pace, vidiſti, ſed ſuperioribus quibuſque acerbiſſimis compenſes. Huius, huius, inquam, decennij victoriæ, ſi quid ego rectè interpretor, in milleſimum annum patent, & eo vſque ad poſteros pertinent. An quemquam exiſtimatis, audit. fore tam ſui, tam nonoſtri ignarum, tam rerum, ac temporum immemorem, qui nos vnquam tentandos bello, ac laceſſendos putet cùm intelligat vtramque Indiam, vtranque Heſperiam, vtramque Germaniam vix eſſe vni Galliæ parem, vix paucu-lis fœderatis noſtris, terrâ, marique potuiſſe? O te, Delphine, tanto regno, ô te, Ludouice, tanti hærede regni beatum! Si quidem vterque tam domi, quàm foris potens fuerit: vt apud alienos authoritatem, ita in ſuos imperium tenuerit.

Tenet verò Ludouicus, & ita tenet, vt è Regibus numero quinque, & ſexaginta, qui Francicum iam ab ortu ſuo regnum, mille, & ducentos annos ampliùs, poteſtate ſumma adminiſtrarùnt, negem eſſe vllum cum hoc, dicionis, ac nutus grauitate, iubendi, & vetandi,

quæ

quæ velis, vtque velis, facultate, absoluto, & perfecto in suos dominatu comparandum. Atque vt tempora omittam, quibus & Lupara nulla, & totidem regna, quot nunc prouinciæ, &, si vis eadem, certè pertenuis species erat regij principatus, quis maiestati superiore sæculo, atque ante hosce annos locus, cùm scelus audaciâ, audacia impunitate, impunitas potentiâ immodicâ tum procerum, tum ciuitatum niteretur? quàm infima, quàm ægra, quàm nulla authoritas, quæ tot dissecta in partes, tot per capita sparsa, tot voluntatum libidinibus mancipat, vt, Rex habendus quisnam propriè foret, haud sanè facilè diuinares? Vtrum regnabatur, cùm piæ nimirum, ac religiosæ ciuitates iactarent Regem sibi, præter Christum, esse neminem? an precariò regnabatur, cùm pacisci Princeps de suo, cum suis, quibus illi vellent conditionibus, cogeretur? cùm bimaris Corinthus apud nos, eadémque contra nos, cùm superba Numantia, cùm infidelis Carthago, hoc est, Rupella in regno non vna imperaret? Quo quidem tempore qui Reges à nobis, qui bellorum victores qui Magni, ita vt erant, merito immortali, ac diuino suo numerabantur, coactos nouimus, vt pace vterentur, quæ improbabant, probare, quæ videbant, non videre; ne, si palam, ac summo iure agere vellent, neque quidquam impetrarent, & repulsæ labem, atque ignominiam proderent. Ita in tanta ciuium inter se, Regum à ciuibus disiunctione, neque totis viribus suis vti Gallia, atque experiri, quid valeret, poterat; cumque sit ei, non vinci, nisi à se, fatale, misera seipsam aut sola conficiebat,

ciebat, aut, qui id agerent, adiuuabat Hic breui momento quanta conuersio sit facta rerum, maiestatis accessio, quanquam videtis, tamen à me non omnino prætereundum videtur, ne silentiò aut improbare videar, quod nefas est, aut non agnoscere Nam si authoritas magna quædam est cum reuerentia, opinio de Principe, deque Principatu, quam admiratio excipit, quam metus; de quo opinionem vel parem habemus, vel habere maiorem possumus? quid tot gestis ab eo rebus admirabilius? quid tantis eius viribus formidolosius? Hæc si opinio conciliatur regnandi forma; quid astrictius? regni potentia; quid valentius; regis moribus; quid melius? Si hac admiratione, hoc metu nihil neque arrogantiæ accedere Principi, neque decedere amoris populis oportet; quid isto moderatius, istis beneuolentius? Verùm ne laudem Ludouico, quam ex omnibus minimè appetit, maximè tribuam (à suis enim mauult optimus Princeps diligi, quàm metui) finite me tantisper de Rege conticescere, de re loqui. Si quis esset Rex istiusmodi, cuius non multa imperia nihil, non subita temere, non mollia remissè, non varia inconstanter docerent parere; qui intelligeret, id quod est, quò magis penes vnum summa rerum consistit, eò istum magis rerum potiri; qui factis, non verbis significaret tantum quemque potestatis habere, quantum ipse concessisset; qui cùm parua, magna omnia vindicare posset, in magnis nihil dissimulandum putaret; reperiretur, opinor, qui aut hunc regem negaret aut huius illudi maiestati posse existimaret; At-

qui si esse Ludouicus omnino huiſmodi non vult propter naturæ bonitatem, cùm esse iure queat propter temporum neceſſitatem; quis non tantundem eum vereatur, qui idem poſſit, non multò etiam magis amet, qui vſquequaque vti poteſtate nolit? Quin autem hoc aſtrum vim, & lucem authoritatis ſuæ cum eo largè, effuſéque communicet, quem naſcentem afflauit; quin partem hanc longè optimam, ac maximè neceſſariam hæreditatis hæres cernat, dubitabit is videlicet, qui neſciet regni tantam amplitudinem, tantas domi, militiæque copias, quantas Rex in manus Delphino tradet, non poſſe ſine incredibili quadam ac pene cœleſti authoritate impertiri. Sed quid ego diſputo variè, & colligo, quem locum, ac pondus Ludouicus apud ſuos obtineat; cùm ipſum hoc ponere pro argumento poſſim, quòd longinquis viget, quòd apud propinquos in magna, & illuſtri gratia eſt? Neque enim tam longè ab domo prœliari integrum erat niſi domum priùs compoſuiſſet; neque inferre extraneis bellum, niſi populares inter ſe, ac ſibi pacaſſet; neque tot hoſtes fundere, ac fugare, tot gentes, & nationes ſuperare, niſi coniunxiſſet Galliam, atque viciſſet.

Satis mihi effeciſſe oratione, & concluſiſſe videor ex primo aſtri Ludouici Regis aſpectu externa Delphini bona, latè, longè, mari terra futurum regem, apud alienos gratioſum, apud ſuos potentem. Proximum eſt, vt ex altero aſtri Ludouici Patris aſpectu propria, & inſita bona, quæ dicuntur, quod corpus qualis animus, quanta ad omnia ſumma indoles, quò

bre

breuiùs, hoc planiùs, commodiúſque erua-mus. Et quoniam in hoc aureo partu fingendo, atque edendo videtur cum natura Deus inſtituiſſe certamen, vter in illum plus de ſuo conferret, quid natura profecerit, quid Deus perfecerit, conſideremus: & vtrumque ab patre, alterum ex ætatis, alterum ex connubij tempore petamus. Nolite autem exiſtimare me nihil, aut nugas agere, qui in prole ætatem parentis ſpectari oportere defendam; perinde quaſi qua quiſque ætate quærat, ac tollat liberos, cùm id aut fortuitum ſit, aut voluntarium, patrum aliquantum fortaſſe, certè nihil liberorum interſit. Itane vero? qui priuatum ad rem domeſticam, qui ciuem ad publicam informant, qui cauſarum actorem, qui belli ductorem erudiunt nobis, perfectumque exhibent, non modò quo ſinguli patre, ſed etiam qua pater ætate ſit, haberi rationem præcipiunt; nos ad rem nihil pertinere arbitrabimur, vtrum adoleſcens homo, an ſenex decrepitus cum genuerit, qui hiſce, aliiſque virorum ordinibus imperaturus ſit? Atqui ſic habetote tantum & corporis, & animi intereſſe ad fœtum, quot Princeps natus annos ſit, quanti refert, vtrum qui ad ſalutem, & patrocinium populorum, ad gubernacula ciuitatum, ad generis, regumque propagationem, ad cultum, & venerationem omnium naſcitur, bona valetudine ſit, an ægra; viribus firmis, an imbecillis; iuſta an puſilla ſtatura; diuturna, an breui vita; prudentia excellenti, an modica, aut etiam nulla mentis intelligentia. Si quid enim ciuilium ac medicarum rerum ſcriptoribus credimus

si quid experientiæ, atque sensibus, hæc, præter cætera, incommoda, atque vitia potiùs, quàm liberos aliena parentum, nec satis idonea, & præpostera connubij ratio parit. Quare suam sæpe, intemperantiamne dicam, an inconsultam rationem? liberorum inopia consilij, atque debilitas corporis procreatoribus exprobrat, à quibus etiam tum, cùm vitam hauriunt, iniuriam accipiunt. Iamne intelligitis, Audit. iamne sentitis multò naturam meliùs Ludouico prospexisse liberis dandis, quàm vulgò naturæ homines conditionibus legendis, & coniungendis nuptiis consulant? iam videtis quod serum fuit ad expectationem, ad consuetudinem euenisse tempori ad sobolem, neque dilatum beneficium esse, verùm si priùs concessum esset, præmaturum futurum fuisse? Nam cùm ad id ætatis pater peruenerit, in quo robur dominatur, ratio, & consilium maximè viget, verendum non est, ne paternis his næuis, atque morbis, quos paulo antè appellaui, progrediente tempore puer aliquando tentetur ac laboret. Ne nunc quidem, quantum audio, infantis corpus bene compactum, bene habitum, grandiusculum, membris vegetis magno, quod satis sit, capite non præmonstrat quanta virium firmitas, quanta mentis maturitas, ac præstantia futura sit, quamque bellè virili, & robustæ patris ætati tota cōstitutio filij responsura. Qua quidem in ætate quid esse hoc dicam, Audit. quòd, cùm periti physicorum omnes tempus præstitutum consentiant, extra quod si quis in lucem editur multis, vt supra dixi, deficiatur donis naturæ, multis iniurijs, malisque pateat; cùm alij spatium nominatim nullum,

alij aliud proferant, diuinus Aristoteles septimum ac trigesimum annum, illum ipsum, quem Ludouicus agebat, quasi verum, & legitimum, & summè ad suscipiendos liberos idoneum assignet? Equidem homini quid venerit in mentem hunc ex omnibus potissimùm annum præfinire, nescio: hoc modò scio nunquam facturum fuisse, nisi causa facti iusta planè, & locuples subesset.

Quid verò quòd idem admonet, id, quod eodem, valdeque ad rem pertinet, neque ætate parum, neque plurimùm præcurrere liberis parentes oportere? Nolo, inquit, ab adolescentiore filius procreetur; parum pater ætate anteibit, veto à seniore; nimiùm ab se relinquet, vtrumque incommodum. Quorsum? Si filius à patre propiùs abest, verecundia tollitur, discordia oritur: Si longiùs, pietas cessat indulgentiæ non est locus, nec mutua inter eos officia constant, qui sic à se distant. Quæ quidem singula quia intelligo non leui cum prædicatione Delphini esse coniuncta; propterea quod is patrem apto interuallo subsequitur, ac suo; facio non inuitus, vt breui edisseram, si plus æquo quis aut à patre recedat, aut accedat ad patrem, quantum secum mali nimia hæc ætatũ aut vicinitas, aut discrepantia inuehat, quantum modus, atque mediocritas commodi. Fac igitur patri non multùm ætate disparem filium, quî salua id verecundia, & pudore, quî integra pace, & concordia potest? tu quatuordecim, aut quindecim ad summum annis grandior natu, quàm filius sis (hoc enim per ætatem, ac naturam licet) tu tantulo hoc spatio vincas non statu sæpe, non colore, non vultu prouectior, inter-

dum iunior etiam videare;& iubeas,ille pareat? obiurges,resipiscat?castiges,ferat?ille filium, tu patrem denique geras?Non fiet,mihi crede,non fiet, Quin hoc tibi velim persuadeas, tecum sic istum, vt cum collusore,ac pari acturum,quem nihilo fere magis coram te, quàm inter gregales agere quiduis,& loqui pudeat :vt magnũ quiddam consequare, si te ille planè non contemnet, atque infra se ducet, quem à se discrimine tam tenui seiunctum,interualloque cognouerit.Vt assurgat autẽ puer,vt decedat,vt nutũ omnem obseruet, vt aspectum vereatur, hoc frontis maturitas,hoc cani,hoc rugæ,ipsa demũ parentum in gestu,in ingressu,in voce grauitas senilis extorquebit. Quamobrem certum adeo iam mihi est, & exploratum quanta Delphinus aduersum Ludouicum obseruantia futurus sit, quam non tantùm regis tribuet maiestati, ac virtuti,verùm etiam non denegabit ætati. Ac licet satis constet optimam indolem optimo parienti sponte nihil non exhibituram reuerentiæ tamen ipsa, quæ in flore vitæ, præter tempus cœpit, canities, cum ad venerationem sui, qui vident, quique de ea audiunt, omnes induxit, tum à filio verò assiduo spectatore domestico honorem, cultum gratificandi, & moris gerendi studium, & similes partes pietatis exprimet. Verùm facilis sit officiosæ huius verecundiæ iactura, dum filio cum patre conueniat, neque simultas vlla incidat. At graue est, quod in prope pari gradu, processuque æui, lucisque vsura necesse, tandiu potestate patria contineri : graue nihil fere maioris rei gerere: graue nihil arbitratu suo statuere, quousque

verò

verò à tergo inſtabit? calce calcem teret? patri ætate, regno cupiditate imminebit, alieni vbique iuris, nulla re ſui, filius ſemper filius, hæres nunquam hæres? quo tandem ſe animo concoquet, ac feret, quo ſtomacho priuatum conſeneſcere, & quantùm parens abeſt à ſepulchro, tantùm a ſolio abeſſe? qui ſi ambigatur filius ne ſucceſſurus patri ſit, an pater filio ſuperſtes futurus, num illum tædeat aliquando moræ paternæ, &, ſi in vitam grauius nihil ſtatuat, mortem, vt hæreditatem adeat, non expectandam putet? Quod ſi eximia quædam adoleſcentis natura, & diligens educatio præſtare poteſt omnem culpam, tamenne omne periculum, tamenne metum omnem in tanta metus cauſa præſtabit? tamenne defore, qui cunctantem impellant, remque indignam clament; ſuas eſſe cuique vices oportere; ſatis patrem diu ſibi, ſatis ſuis, ſatis rebus publicis vixiſſe: non tantundem filio vitæ, non, licet iam inde incipiat, regiæ adminiſtrationis ſupereſſe. Qui ſi ſermo, tanquam fax ad comprehendentem, atque idoneam ad exardeſcendam materiam adhæſerit, ſi vel credulum, ac facilem, vel ſuſpicioſum, & difficilem, vel flagrantem iam ambitione iuuenem nactus ſit, quæ odia, querelas, quæ diſſidia, diſcordias, ſeditiones, bella, incendia, eruptura exiſtimatis? Quoties verò, quamque diu ſenſerit Gallia ex hac liberorum antegreſſa felicitate, regni infelicitatem naſci quid attinet dicere; cùm Ludouicus ipſe agnouit, nec tacuit conſecuta eſſe tempora eiuſmodi, quibus è re ſua, & publica fuerit, hæredem ſibi initio ex

corpore, vt vocant, nullum obueniſſe?

Hæc præproperi partus incommoda: quænam tardioris? Neque multùm prodeſſe parens filio poteſt nondum ſatis prouecto; neque omnino par referre filius parenti antè, ipſe quàm adoleſcat, morituro: ita cùm alter alteri propter commune diſcrimen ætatum deſit, debito quodam ſuo vterque fraudatur. Facilè intelligo quantus hic mihi campus aperiatur ad dicendum, quanta ſeges, atque vbertas ſeſe efferat orationis, ſi quid opis Ludouicus Delphino, ac rurſum Ludouico Delphinus allaturus ſit, aggrediar eloqui. Quot hîc iſtum, quibuſue præceptis imbuet, informabit exemplis? Præceptis, non quæ multiplex voluminum lectio obtruſerit, non quæ Doctorum vox, & copia ſuggeſſerit, ſed quæ multorum annorum, maximarum rerum vſus, atque experientia procuderit. Exemplis, non peregre ex aliena gente repetitis, non domo ex Maioribus allatis, ſed à ſe confectis, & rebus geſtis ſuis collectis. Quem illi rerum ſacrarum amorem inſeret religioſiſſimus; ciuilium, prudentiſſimus; militarium, generoſiſſimus; regiarum virtutum omnium, abſolutiſſimus? Quis fideliùs, diligentiùs, ſolertiùs magiſtratus partes, regis perſonam, artes pacis, myſteria belli edocebit? videre iam videor hoſtium illi aperientem vires, ne contemnat; imbecillitatem, ne metuat; dolos, vt caueat? cunctationem, vt eludat; ſuperbiam vt, ſi is eorum morbus ſanari poteſt, curare quoniam ipſe iam cœpit, pergat. Quid? quibus amoris vinculis in officio ciues, quibus

emo

emolumenti illecebris retinendi fœderati. quid? vt secum ipse politiæ speciem quandam, atque imaginem exprimat: vt cum vitio nunquam pacem, cum virtute nunquam bellum habeat: istud maiore, quàm hostes odio, quòd, nocere magis possit; hanc maiore, quàm seipsum, beneuolentia, qui propter eandem solùm dignus amore sit, prosequatur. Iam verò quæ vicissim à Delphino in Ludouicum officia non constabunt, qui hoc quoque de Patre didicerit, vt gratus sit? Huius consilia audiet, cœpta conficiet, acta tuebitur, curas adimet, fulciet senectutem, & oblectabit, vitam denique, à quo accepit, cui reddere nequit, omni obsequio, quoad eius fieri potest, proferet, atque prorogabit. Hunc suum, regni sui, suæ gloriæ splendoris, amplitudinis, tam multis, tamque grauibus de causis parentem, nullo pietatis genere non colet, ac venerabitur, Regum omnium, Maiorum omnium instar iure, meritóque habebit. Sed hæc pluribus exequi longum est, & ad id superuacaneum, vt doceam ad hanc officiorum vicissitudinem tenendam fieri nihil potuisse opportunius, quàm vt in hanc Ludouici ætatem Delphini ortus incideret.

Sic igitur tempestiua sunt omnia, sic non ocyùs, quàm decuit, non seriùs cecidere, vt partus hic summum, & perfectissimum opus naturæ dici possit. Ita verò admiranda omnia, ita extra ordinem, supra naturam, vt non nisi à vi quadam cœlesti, ac plane diuina profectus idem, elaboratusque videatur. Prius Ludouici tempus ætatis planum fecit. Posterius con-

ugij tempus oſtendat. Si anno primo pòſt, altero, tertio, aut etiam quarto, quàm duxit vxorem, liberos procreaſſet; fuiſſet hoc quidem beneficium non vulgare Dei, in tantâ Regum proximè ſuperiorum ſterilitate, in tanta hæredis regij neceſſitate, tam facilè prole, tamque citò augeri. Verùm nihil ſanè præter morem, modumque, ac ſortem etiam priuatorum hominum, nihil, quod non quotidie eueniat, accidiſſet. Quum autem tanto interuallo, non decem, ſedecimue, ſed tribus, ac viginti annis Regi, regnoque donatus puer ſit; cùm ipſa mora rem, etiamſi facilis principiò foret, eò adduxiſſet, vt fieri poſſe nullo pacto videretur; cùm mirum de ea ſilentium, nulla eius ſpes, niſi aut tacita, aut perexigua; vota quoque nimia tarditate ſuſpenſa concidiſſent; nonne ſatis eſt argumenti & hoc Dei præcipuum, ac ſingulare munus eſſe & ſe Deum muneris authorem profiteri voluiſſe; protraxiſſe verò tempus, non tam vt cunctatione maius beneficium fieret, non tam vt expectatione carius accideret, quàm vt, qui dediſſet, clariùs pateret? An ſi cui quid patrifamilias bene proceſſit, ſi quo periculo, aut morbo perfunctus eſt, ſi partus vitalis, ſi puerpera incolumis, ſi rure ſalua res, id acceptum Deo, ac ſuperis continuò fertur, tum vota nuncupantur, tum donaria perſoluuntur, tum gratiæ habentur: Si Rex anno ab initis nuptiis tertio, ac vigeſimo, præter naturam, præterque conſuetudinem, & omnium opinionem, ſi hac difficultate rerum, hac inclinatione temporum, hac in tam exulceratis animis

animis, otij, & concordiæ desperatione, regni columen, belli actorem, pacis interpretem, virtutis, ac fortunæ successorem, alterum se filium gignit, ac præbet, dubitabimus cuius istud tandem munere, concessuque factum sit? Deus, Deus, Audit. qui, tot iam annos, Galliam præ ceteris regnis beatam, & florentem tuetur, qui Ludouicum præter alios reges complectitur, & fouet, hac parte noluit vtriusque mancam, atque imperfectam felicitatem videri, vt aut deesset, qui tot affecta bella conficeret, tot victoriis, ac triumphis frueretur, aut alius à filio adesset, qui res paternas attingeret. Dei Parens, eademque Virgo, cuius sub signo, cuius paulo ante natalem natus puer est, cuius in fidem * & clientelam regnum Ludouicus contulit, regale factum, ac donum ratum habuit, &, qui nomine suo caperet, Delphinum summisit. Quomodo verò Deus hoc Matri, Mater tot sanctissimorum virorum lacrymis, tot populorum supplicum postulatis denegasset? Quid vniuersi publicè præstiterint, nostis? quid sacri Ordines priuatim, eorum me pietas dubitare vetat, modestia sciscitari: verè hoc confirmare possum cùm omnes, quotquot sumus, in hac vna re efflagitanda assidui fuerimus, tum nostrum non paucos, his viginti annis, nullum intermisisse diem, quin commune hoc orbis, vt ipsi rectè interpretabantur, negotium Deo commendarent. Erat is videlicet communis omnium dolor. cùm vel ex arbore bona surculos nancisci ad serendum, negligentissimo cuique, ac minimè curioso sit in optatis, stir-

qui si esse Ludouicus omnino huiusmodi non vult propter naturæ bonitatem, cùm esse iure queat propter temporum necessitatem; quis non tantundem eum vereatur, qui idem possit, non multò etiam magis amet, qui vsquequaque vti potestate nolit? Quin autem hoc astrum vim, & lucem authoritatis suæ cum eo largè, effuséque communicet, quem nascentem afflauit; quin partem hanc longè optimam, ac maximè necessariam hæreditatis hæres cernat, dubitabit is videlicet, qui nesciet regni tantam amplitudinem, tantas domi, militiæque copias, quantas Rex in manus Delphino tradet, non posse sine incredibili quadam ac pene cœlesti authoritate impertiri. Sed quid ego disputo variè, & colligo, quem locum, ac pondus Ludouicus apud suos obtineat; cùm ipsum hoc ponere pro argumento possim, quòd longinquis viget, quòd apud propinquós in magna, & illustri gratia est? Neque enim tam longè ab domo prœliari integrum erat nisi domum priùs composuisset; neque inferre extraneis bellum, nisi populares inter se, ac sibi pacasset; neque tot hostes fundere, ac fugare, tot gentes, & nationes superare, nisi coniunxisset Galliam, atque vicisset.

Satis mihi effecisse oratione, & conclusisse videor ex primo astri Ludouici Regis aspectu externa Delphini bona, latè, longè, mari terra futurum regem, apud alienos gratiosum, apud suos potentem. Proximum est, vt ex altero astri Ludouici Patris aspectu propria, & insita bona, quæ dicuntur, quod corpus qualis animus, quanta ad omnia summa indoles, quò

bre

breuiùs, hoc planiùs, commodiúſque eruamus. Et quoniam in hoc aureo partu fingendo, atque edendo videtur cum natura Deus inſtituiſſe certamen, vter in illum plus de ſuo conferret, quid natura profecerit, quid Deus perfecerit, conſideremus: & vtrumque ab patre, alterum ex ætatis, alterum ex connubij tempore petamus. Nolite autem exiſtimare me nihil, aut nugas agere, qui in prole ætatem parentis ſpectari oportere defendam; perinde quaſi qua quiſque ætate quærat, ac tollat liberos, cùm id aut fortuitum ſit, aut voluntarium, patrum aliquantum fortaſſe, certè nihil liberorum interſit. Itane vero? qui priuatum ad rem domeſticam, qui ciuem ad publicam informant, qui cauſarum actorem, qui belli ductorem erudiunt nobis, perfectumque exhibent, non modò quo ſinguli patre, ſed etiam qua pater ætate ſit, haberi rationem præcipiunt; nos ad rem nihil pertinere arbitrabimur, vtrum adoleſcens homo, an ſenex decrepitus cum genuerit, qui hiſce, aliiſque virorum ordinibus imperaturus ſit? Atqui ſic habetote tantum & corporis, & animi intereſſe ad fœtum, quot Princeps natus annos ſit, quanti refert, vtrum qui ad ſalutem, & patrocinium populorum, ad gubernacula ciuitatum, ad generis, regumque propagationem, ad cultum, & venerationem omnium naſcitur, bona valetudine ſit, an ægra; viribus firmis, an imbecillis; iuſta an puſilla ſtatura; diuturna, an breui vita; prudentia excellenti, an modica, aut etiam nulla mentis intelligentia. Si quid enim ciuilium ac medicarum rerum ſcriptoribus credimus

ſi quid experientiæ, atque ſenſibus, hæc, præter cætera, incommoda, atque vitia potiùs, quàm liberos aliena parentum, nec ſatis idonea, & præpoſtera connubij ratio parit. Quare ſuam ſæpe, intemperantiamne dicam, an inconſultam rationem? liberorum inopia conſilij, atque debilitas corporis procreatoribus exprobrat, à quibus etiam tum, cùm vitam hauriunt, iniuriam accipiunt. Iamne intelligitis, Audit. iamne ſentitis multò naturam meliùs Ludouico proſpexiſſe liberis dandis, quàm vulgò naturæ homines conditionibus legendis, & coniungendis nuptiis conſulant? iam videtis quod ſerum fuit ad expectationem, ad conſuetudinem, eueniſſe tempori ad ſobolem, neque dilatum beneficium eſſe, verùm ſi priùs conceſſum eſſet, præmaturum futurum fuiſſe? Nam cùm ad id ætatis pater peruenerit, in quo robur dominatur, ratio, & conſilium maximè viget, verendum non eſt, ne paternis his næuis, atque morbis, quos paulo antè appellaui, progrediente tempore puer aliquando tentetur ac laboret. Ne nunc quidem, quantum audio, infantis corpus bene compactum, bene habitum, grandiuſculum, membris vegetis magno, quod ſatis ſit, capite non præmonſtrat quanta virium firmitas, quanta mentis maturitas, ac præſtantia futura ſit, quamque bellè virili, & robuſtæ patris ætati tota cõſtitutio filij reſponſura. Qua quidem in ætate quid eſſe hoc dicam, Audit. quòd, cùm periti phyſicorum omnes tempus præſtitutum conſentiant, extra quod ſi quis in lucem editur multis, vt ſupra dixi, deficiatur donis naturæ, multis iniuriis, maliſque pateat; cùm alij ſpatium nominatim nullum,

alij aliud proferant, diuinus Aristoteles septimum, ac trigesimum annum, illum ipsum, quem Ludouicus agebat quasi verum, & legitimum, & summè ad suscipiendos, liberos idoneum assignet? Equidem homini quid venerit in mentem huncex omnibus potissimùm annum præfinire, nescio: hoc modò scio nunquam factarum fuisse, nisi causa facti iusta planè, & locuples subesset.

Quid verò quòd idem admonet, id, quod eodem, valdeque ad rem pertinet, neque ætate parum, neque plurimùm præcurrere liberis parentes oportere? Nolo, inquit, ab adolescentiore filius procreetur; parum pater ætate anteibit, veto à seniore; nimiùm ab se relinquet. vtrumque incommodum. Quorsum? Si filiùs à patre propiùs abest, verecundia tollitur, discordia oritur: Si longiùs, pietas cessat indulgentiæ non est locus, nec mutua inter eos officia constant, qui sic à se distant. Quæ quidem singula quia intelligo non leui cum prædicatione Delphini esse coniuncta; propterea quod is patrem apto interuallo subsequitur, ac suo; facio non inuitus, vt breui edisseram, si plus æquo quis aut à patre recedat, aut accedat ad patrem, quantum secum mali nimia hæc ætatũ aut vicinitas. aut discrepantia inuehat, quantum modus, atque mediocritas commodi. Fac igitur patri non multùm ætate disparem filium, quî salua id verecundia, & pudore, quî integrà pace, & concordia potest? tu quatuordecim, aut quindecim ad summum annis grandior natu, quàm filius sis (hoc enim per ætatem, ac naturam licet) tu tantulo hoc spatio vincas non statu sæpe, non colore, non vultu prouectior, inter-

dum iunior etiam videare;& iubeas,ille pareat? obiurges,resipiscat?castiges,ferat?ille filium, tu patrem denique geras?Non fiet,mihi crede,non fiet, Quin hoc tibi velim persuadeas, tecum sic istum, vt cum collusore,ac pari acturum,quem nihilo fere magis coram te, quàm inter gregales agere quiduis,& loqui pudeat:vt magnũ quiddam consequare, si te ille planè non contemnet, atque infra se ducet, quem à se discrimine tam tenui seiunctum,interualloque cognouerit.Vt assurgat autẽ puer,vt decedat,vt nutũ omnem obseruet, vt aspectum vereatur, hoc frontis maturitas,hoc cani,hoc rugæ,ipsa demũ parentum in gestu,in ingressu,in voce grauitas senilis extorquebit. Quamobrem certum adeo iam mihi est, & exploratum quanta Delphinus aduersum Ludouicum obseruantia futurus sit, quam non tantùm regis tribuet maiestati, ac virtuti,verùm etiam non denegabit ætati. Ac licet satis constet optimam indolem optimo parienti sponte nihil non exhibituram reuerentiæ tamen ipsa, quæ in flore vitæ, præter tempus cœpit, canities, cum ad venerationem sui, qui vident, quique de ea audiunt, omnes induxit, tum à filio verò assiduo spectatore domestico honorem, cultum gratificandi, & moris gerendi studium, & similes partes pietatis exprimet. Verùm facilis sit officiosæ huius verecundiæ iactura, dum filio cum patre conueniat, neque simultas vlla incidat. At graue est, quod in prope pari gradu, processuque æui, lucisque vsura necesse, tandiu potestate patria contineri: graue nihil fere maioris rei gerere: graue nihil arbitratu suo statuere; quousque

verò à tergo instabit ? calce calcem teret? patri ætate, regno cupiditate imminebit, alieni vbique iuris, nulla re sui, filius semper filius, hæres nunquam hæres ? quo tandem se animo concoquet, ac feret, quo stomacho priuatum consenescere, & quantùm patens abest à sepulchro, tantùm a solio abesse ? qui si ambigatur filius ne successurus patri sit, an pater filio superstes futurus, num istum tædeat aliquando moræ paternæ, &, si in vitam grauius nihil statuat, mortem, vt hæreditatem adeat, non expectandam putet ? Quod si eximia quædam adolescentis natura, & diligens educatio præstare potest omnem culpam, tamenne omne periculum, tamenne metum omnem in tanta metus causa præstabit ? tamenne defore, qui cunctantem impellant, remque indignam clament; suas esse cuique vices oportere; satis patrem diu sibi, satis suis, satis rebus publicis vixisse : non tantundem filio vitæ, non, licet iam inde incipiat, regiæ administrationis superesse. Qui si sermo, tanquam fax ad comprehendentem, atque idoneam ad exardescendam materiam adhæserit, si vel credulum, ac facilem, vel suspiciosum, & difficilem, vel flagrantem iam ambitione iuuenem nactus sit, quæ odia, querelas, quæ diffidia, discordias, seditiones, bella, incendia, eruptura existimatis? Quoties verò, quamque diu senserit Gallia ex hac liberorum antegressa felicitate, regni infelicitatem nasci quid attinet dicere; cùm Ludouicus ipse agnouit, nec tacuit consecuta esse tempora eiusmodi, quibus è re sua, & publica fuerit, hæredem sibi initio ex

corpore, vt vocant, nullum obueniſſe?

Hæc præproperi partus incommoda: quænam tardioris? Neque multùm prodeſſe parens filio poteſt nondum ſatis prouecto; neque omnino par referre filius parenti antè, ipſe quàm adoleſcat, morituro: ita cùm alter alteri propter commune diſcrimen ætatum deſit, debito quodam ſuo vterque fraudatur. Facilè intelligo quantus hic mihi campus aperiatur ad dicendum, quanta ſeges, atque vbertas ſeſe efferat orationis, ſi quid opis Ludouicus Delphino, ac rurſum Ludouico Delphinus allaturus ſit, aggrediar eloqui. Quot hîc iſtum, quibuſue præceptis imbuet, informabit exemplis? Præceptis, non quæ multiplex voluminum lectio obtruſerit, non quæ Doctorum vox, & copia ſuggeſſerit, ſed quæ multorum annorum, maximarum rerum vſus, atque experientia procuderit. Exemplis, non peregre ex aliena gente repetitis, non domo ex Maioribus allatis, ſed à ſe contectis, & rebus geſtis ſuis collectis. Quem illi rerum ſacrarum amorem inſeret religioſiſſimus; ciuilium, prudentiſſimus; militarium, generoſiſſimus; regiarum virtutum omnium, abſolutiſſimus? Quis fideliùs, diligentiùs, ſolertiùs magiſtratus partes, regis perſonam, artes pacis, myſteria belli edocebit? videre iam videor hoſtium illi aperientem vires, ne contemnat; imbecillitatem, ne metuat; dolos, vt caueat? cunctationem, vt eludat; ſuperbiam vt, ſi is eorum morbus ſanari poteſt, curare quoniam ipſe iam cœpit, pergat Quid? quibus amoris vinculis in officio ciues, quibus

emo

emolumenti illecebris retinendi fœderati. quid? vt secum ipse politiæ speciem quandam, atque imaginem exprimat: vt cum vitio nunquam pacem, cum virtute nunquam bellum habeat: istud maiore, quàm hostes odio, quòd, nocere magis possit; hanc maiore, quàm seipsum, beneuolentia, qui propter eandem solùm dignus amore sit, prosequatur. Iam verò quæ vicissim à Delphino in Ludouicum officia non constabunt, qui hoc quoque de Patre didicerit, vt gratus sit? Huius consilia audiet, cœpta conficiet, acta tuebitur, curas adimet, fulciet senectutem & oblectabit, vitam denique, à quo accepit, cui reddere nequit, omni obsequio, quoad eius fieri potest, proferet, atque prorogabit. Hunc suum, regni sui, suæ gloriæ splendoris, amplitudinis, tam multis, tamque grauibus de causis parentem, nullo pietatis genere non colet, ac venerabitur, Regum omnium, Maiorum omnium instar iure, meritóque habebit. Sed hæc pluribus exequi longum est, & ad id superuacaneum, vt doceam ad hanc officiorum vicissitudinem tenendam fieri nihil potuisse opportunius, quàm vt in hanc Ludouici ætatem Delphini ortus incideret.

Sic igitur tempestiua sunt omnia, sic non ocyùs, quàm decuit, non seriùs cecidere, vt partus hic summum, & perfectissimum opus naturæ dici possit. Ita verò admiranda omnia, ita extra ordinem, supra naturam, vt non nisi à vi quadam cœlesti, ac plane diuina profectus idem, elaboratusque videatur. Prius Ludouici tempus ætatis planum fecit. Posterius con-

animis, otij, & concordiæ desperatione, regni columen, belli actorem, pacis interpretem, virtutis, ac fortunæ successorem, alterum se filium gignit, ac præbet, dubitabimus cuius istud tandem munere, concessuque factum sit? Deus, Deus, Audit. qui, tot iam annos, Galliam præ ceteris regnis beatam, & florentem tuetur, qui Ludouicum præter alios reges complectitur, & fouet, hac parte noluit vtriusque mancam, atque imperfectam felicitatem videri, vt aut deesset, qui tot affecta bella conficeret, tot victoriis, ac triumphis frueretur, aut alius à filio adesset, qui res paternas attingeret. Dei Parens, eademque Virgo, cuius sub signo, cuius paulo ante natalem natus puer est, cuius in fidem & clientelam regnum Ludouicus contulit, regale factum, ac donum ratum habuit, &, qui nomine suo caperet, Delphinum summisit. Quomodo verò Deus hoc Matri, Mater tot sanctissimorum virorum lacrymis, tot populorum supplicum postulatis denegasset? Quid vniuersi publicè præstiterint, nostis? quid sacri Ordines priuatim, eorum me pietas dubitare vetat, modestia sciscitari: verè hoc confirmare possum cùm omnes, quotquot sumus, in hac vna re efflagitanda assidui fuerimus, tum nostrum non paucos, his viginti annis, nullum intermisisse diem, quin commune hoc orbis, vt ipsi rectè interpretabantur, negotium Deo commendarent. Erat is videlicet communis omnium dolor, cùm vel ex arbore bona surculos nancisci ad serendum, negligentissimo cuique, ac minimè curioso sit in optatis, stir-

pem ex tanto Rege, tamque bono nullam, nullum hæredem relinqui. Mœrebant probi immortalitate dignum Principem ne in suis quidem victurum, & propter quem omnes mori discuperent, prolem huic vnam, quæ vel sic mori vetaret, defuturam. Improbi virtutem, cui irascebantur, pertinere ad filium, & propagari non nolebant. Ipsi hostes etiam, qui hoc tantum boni, dignitatis causa, nollent, hominis gratia non inuidebant. Hæc animorum sensa, & cogitationes cupiditatem, cupiditas metum, metus preces, preces Regi successorem, Patri filium, Galliæ Delphinum pepererunt. Quod si compertum, atque deprehensum est vsu, sicut qui per scelus suscepti sunt, nihil in vita fere bonæ frugis edere, ita hoc precationum fœtus ad optima, & amplissima quæque grandescere, ac prouehi; quid habemus de eo polliceri, quem cùm hominum preces, ac vota à Deo expresserint, tum & tot oracula, antiqua, noua, futurum cecinerint, & qualis futurus, quàm supra hóminem, Deoque tribuendus ne adiuncta quidem ortus, atque signa non prodiderint? Quam in partem accipimus, quòd, perinde quasi ad tanti operis maturitatem satis menses nouem non essent, decimus illum mensis ex aluo materna protulit? Quid voluit sibi, quòd exortum suum ad diem medium accommodauit, cùm sol & ardentissimus, & altissimus est, neque ampliùs, quàm dimidium curriculi, ac laborum obiuit? Quid subesse rei putemus, quòd vnus, idemque mensis trium fuit, vtriusque parentis, ac filij

filij natalis? itaque Delphinum alij natum sanè prædicent, vt Hercules Atlanti succedat adiutor laborum: alij, vt Alexander Philippo, propagator victoriarum: alij, vt Salomon Dauidi, pacificator orbis terrarum. Ego te verò, magne puer, haud dubitans nobis dixerim donatum, vt diuinæ beneficentiæ erga nos, potestatis apud omnes monumentum, & pignus extares. Macte tantis ominibus, tantis auspiciis, vince auos, non inuidebunt; vince patrem, gaudebit; vince expectationem nostram, volumus; vince optata nostra, non facies, non potes: vt vincas, optamus.

Hic iam vos ego, Audit. consulo, remque ad vos integram, vestramque existimationem refero, quid videtur? parumne certò, parum manifestò Delphini magnitudinem ostendunt, quæ efficiunt, aut vlla res magis effectum, quàm causa declarat? Rex, Pater, maritimum, terrestre, in suos Imperium. Proles ad patris ætatem tempestiua, ad connubij tempus admirabilis. Vtrum hæc aut è stellis diuinatio, aut è similitudine veri coniectura, an è rei, naturæque visceribus videtur ducta persuasio, tantum illum fore, quantum non dicam cupere, sed ne mente quidem consequi possimus? Quid si maximo huic astro minora cetera, quibus suus est, nec expers efficientiæ fulgor, adiungerem? quid si Patri Matrem suauissimam, religiosissimam, viri simillimam? quid si Regi Reginam, cuius regia omnia, frater, pater, aui, affines innumeri,

meri, animus, virtus? Iam si qua Vlyssi Minerua affuit, quis Æneæ Achates tela subministrauit, si quis Ludouico author in consiliis, adiutor in laboribus, periculorum depulsor, extinctor coniurationum, maiestatis custos, nominis amplificator fuit, hodiéque est, nihilne omnino aut illa ad Telemachum, aut iste ad Ascanium, aut hic ad Delphinum spectabit? Tametsi magnitudinis secundæ, atque etiam tertiæ sideribus nihil egemus, quibus ne id quidem, quod principatum obtinet luminum reliquorum, vehementer necessarium fuit; cùm ipse in cunis puer infans, quantus quantus est, tantò antè astrum sibi esse possit: nam si bellatore opus est, quot bella, quanta, nisi natus esset, nascitura ortu suo extinguit? si pacificatore, qui communis amicitiæ nodus parentum inter se, regis cum suis, nonne opinio, & spes est disiunctissimorum nunc, atque Europa tota digladiantium procerum aptissimum, atque iucundissimum vinculum tandem aliquando fore? Quid relinquitur, nisi vt, quem nascentem plausu tanto excepimus, pari gratulatione crescentem prosequamur? quem votis nacti sumus, votis retineamus? ab iis qui vitam dederunt, custodiam denique vitæ exoremus? Te Deus optime maxime, imploro, atque obtestor; te magna Dei Mater, vosque reliqui Cœlites, quibus tanti beneficij gratiam deberi si agnoscimus, cæci, si non profitemur, ingrati simus, munus vestrum tuemini, alite spes nostras, parentibus hæredem

dem, populis Regem, vobis ſupplicem conſeruate. pubeſcat, adoleſcat, vir maturè, ſenex tardè fiat, filius dignus patre, dignus matre, vtrique ſuperſtes, multorum ipſe liberûm parens, auus nepotum, ſuperatis omnibus hoſtium, terrâ, marique copiis, ſi quem tamen pater vincendum hoſtem relinquet, in cœlum ſe quàm ſuis carus, quàm alienis formidoloſus, quàm ab omni laude felix, tam ſerus ad vos, tamque longo interuallo cõferat.

GENESIS REGIA SERENISSIMI FRANCIÆ DELPHINI,

Auctore

ZOCCOLY.

IN recenti lætitia qua serenissimi DELPHINI, ortus Galliam Vniuersam cumulauit (Auditores) viderer meritò cuipiam malignè facere, & huic nostræ inuidere felicitati; si dicturus ex hoc loco, apud eos viros qui pro sua in patriam charitate, perinde lætantur in bonis publicis, ac si omnis illorum fructus in se vnos redūdaret; interciperem importuna oratione iustissima gaudia; animosque gestientes optato nuntio saluberrimi partus, aliò ab hac cogitatione dicendo deterquorem. Habet enim id magna lætitia cum magnis doloribus commune, quod superbissimus sit illorum sensus, nec se interpellari sine stomacho patiantur; Id autem proprium atque præcipuum, quod qui dolorem imminuat, iure misericors haberi possit; qui autem de gaudio delibet aliquid, idcircò quia res est eiusmodi, vt ob eam vnam aliæ omnes dest

desiderantur;is ad summam acerbitatem, inexpiabilis furti turpitudinem adiungat. Quis ergo conscientiam gemini sceleris in vno facto non reformidet?& si quidem omni execratione deuincitur, qui præcisis fistulis fontes auertat, quibus aqua in publicũ suppeditatur; cuius erit importunitatis intercludere viã influenti lętitiæ, & aditum cum quo se vno in animos infundebat, penitus obstruere? Nisi forte verendum est; ne iam vos cœperit satietas illius boni, quo concesso sic cum liberalitate numinis gaudio certauistis, vt nisi eo in dono exprompsisset omnem vim beneficentiæ suæ, illius amplitudinem vestræ lætitiæ magnitudo superasset. Habent id quidem leuiora bona, quod quia satis non implent animum; quàm auide expectata sitiuntur, tam possessa respuantur fastidiosè: quasi aut mentem puderet malè in iis positę cupiditatis, aut hoc contemptu fortunę superbiam vlcisceretur quę tot precibus quibus homini sano pretiosius nihil, rem inanem vendidisset Secus autem omnino contingit in sũma aliqua rerũ honestarum prosperitate quæ vbi auidam sui ieiunámque mentem recipit, quò diutius regustatur, eò impensius delectat; velut ipsâ saturitate sui famẽ in dies magis acueret. Est enim res ambitiosa, diuturni voti consecutio vbi præsertim euentus expectationi respondet: namque tùm animus gestiens spe feliciter collocata, sibique gratulans suam prouisioné in ardentissima cupiditate, quę duo ęgerrime coëunt, ipsum exitum approbauisse; quàm ante intemperanter in vota se effudit, tam immodicè in adeptione rèi triumphat. Sic affectus omnes Gallię tuę arripuisti

puisti (Rex inuicte, quidni enim vt præsentem alloquar, quam semper animo circumferimus) vt nec doleat nisi pro te, nec gaudet nisi tecum, tibique vni vota omnium ac curæ summa cum sollicitudine laborẽt. Quid autẽ à nobis his annis viginti, aut postulatum ardentiùs, aut auidiùs expectatum; quàm Ludouicus,non ab extera gẽte cum gloria redux, quod sæpe;non fusis hostibus victor,quod sẽper;sed quod timide duntaxat, vt in magnis solet optabamus, Ludouicus hęrede auctus.&simillimi filij pater. Enim. uerò cui nostrùm lacrymas,vel inter triumphos optimi principis hęc cogitatio nõ expressit;cùm plausus ipse nos admoneret doloris iustissimi totius posteritatis, quæ principẽ Ludouico parẽ frustrà esset desideratura,nisi ipse Ludouicus qui se totum in operibus suis solet exprimere, virtutes suas in filio reliquisset.Qua quidẽ sollicitudine cùm nos Deus Galliç precibus exoratus hoc tẽpore liberarit;iamque vos acerbitatẽ angoris diuturni oblata felicitate auide resarciatis,vti esset interpellatoris per quàm molesti aliud quidpiam vobis obtrudere; ita fuerit imprudentis, subuereri ne animus satietate alienetur à prædicatione illius boni, quo non modo felicitas istius temporis, sed si quæ erit futuri gloria,penitus continetur.

Etenim excitate mentem vestram ad memoriam illorum principum,qui regiam dignitatem suis virtutibus illustrarunt. Proponite vobis famosissimos heroas antiquitatis Cæsares & Alexandros in quibus natura vires suas experta creditur, aut quos hactenus Gallia peperit, tot pene Cæsares & Alexandros quot reges Ex

hac

hac multiplici ſerie regum noſtrorum, in qua prope ſemper viſus eſt omnium optimus qui poſtremus; ex hac inquam ſerie heroum ac regum, eos ſecernite qui vel armis & rerum geſtarum gloria regnum Gallicum ex obſcuris initiis ad hoc faſtigium excitarunt; vel propagauerunt vbique incredibili ſollicitudine Chriſtianam Religionem, firmius exemplo ſuo, quàm ſancitis de ea legibus conſtitutam. In his ſuſpicite Clotarij magnanimitatem; Martelli robur; maturitatem Pipini in certaminibus ſuſcipiendis: in conficiendis felicitatem Philippi Auguſti; audaciam in ineundis Franciſci Primi, quorum immortalibus factis tantò ante Gallica fortitudo, ad facinora Henrici Quarti proludebat. Ex iis autem quorum præcipui conatus in Eccleſiæ vtilitatem incubuerunt ſeponite laudatiſſimos, Clodoueū illius in Gallia fūdatorē; amplificatorē in Italia, Hiſpania, Germania, Carolū Magnum; Diuum Ludouicum illius in extremo Oriente inſtauratorem, omnibus addite Ludouicum XIII. poſtremis pietate non imparem, prioribus etiam armorum gloria ſuperiorem. Denique vt rem verbo complectar, abſolutiſſimam virtutis ſpeciem, quanta quantā in Ludouico noſtro elucet, (adeſte animis Aud.) mente ſi poteſtis informate. Sic enim ſtatuo, quod vos iam video mente præcipere, ita virtutes auorum in filium Ludouici ſe infudiſſe, nemo vt ſit regum ſuperiorum cuius præclariſſimæ dotes non ab eo olim Galliæ noſtræ repreſentētur. Et quoniam in omni virtute ſic enituerunt, vt in aliis ſe potiſſimum efferre armorum ſtudium ac gloriæ; in aliis amor pietatis & ſanctimoniæ

viſus

visus sit dominari : Id vnum, vt in re infinita partite dicam, hac oratione potissimum vrgeo; Rem vtramque tum Ciuilem, tum Ecclesiasticam à serenissimo Delphino mirũ quantum olim amplificandam. O ergo spes nostras bene positas: ô non inanem sollicitudinem; ô vota feliciter collocata. Iam nobis solido gaudio frui licet. Nullam partem lætitiæ nostræ in victoriis optimi principis decerpet metus. Vince; triumpha Ludouice; Quos enim sępius hostili gladio tuis periculis eripuisti, nunc quoque facis suscepto filio virtutum herede ab inuidia posteritatis immunes. Cum enim audiet nullum principem parem virtutibus tuis repertum esse, filium tibi simillimum, hoc est alterum te, tibi opponet.

Quæ vti perinde vere ac magnifice dicta omnibus videantur; non confugio ad prædicta Chaldeorum è die natali, quæ re quotidie & euentis refelluntur; aut ad inanem siderum inspectionem, qua leuissimi homines ad quæstuosum mendacium abuti solent; è certioribus multò signis Horoscopum Serenissimi Delphini hic describo. Neque tamen recedam longius ab Astrologorum disciplina; futuram filij amplitudinem expositurus, virtutes quibus cælestis parentis animus sic tanquam stellis illuminatur, curiosè contemplabor. Cùm enim in eo Ludouici virtutes cum syderibus congruant, quod hic orbis vniuersus ab illarum luce colluceat; id habeant delibatum à natura diuina, vnde expressæ sunt, vt actuosæ sint & fœcundæ: quis recuset quin eum illæ in ortu sobolis regiæ potissimam sibi partem vindicent; simillimas

millimas ſibi dotes in eius animo propagarint, quarum ſplendor iam nos admoneat quantum gloriæ huic Imperio, quod à nobis primo loco poſitum fuerat, hic aliquando filius ſit allaturus.

At de ea dicere aggredientem inhibent ac pene retrahunt hæ Galliæ voces quæ recentibus victoriis quibus eam vbique augent tot exercitus Ludouici, in eius amorem ardentius inflammata, oſtentánſque in Belgio direptas vrbes aut receptas;in Germania cæſos ferro exercitus; in Hiſpania etiam igni, (velut incendio hoſtilis claſſis triumphos Ludouici Oceanus celebraret)hæc inquam ambitioſè ad pompam explicans; Etiamne inquit tu vnus ſæculi tui felicitate contentus non ſis? aut poſteris aliquid amplius optare audeas, quàm vti gloriam huic imperio comparatam laboribus inuicti regis ſartam tectamque retineant?O raram felicitatem regni tui Ludouice, in quo ſubditis tuis circumfluentibus gloria, aliquid amplius in mentem veniat, in quod vota ſua & cupiditatem extendant! Nihil eſt quo amplitudo rerum à te geſtarũ apertius ſignificetur,quam quod illuſtriores ſpe concipimus; quis enim auderet optare maiora nisi obtinuiſſes facinoribus tuis, vt vix magna videantur, quę olim maxima credebamus. Itaque indulgebo votis, quando & gloriæ tuæ faueo. Optimus princeps is eſſe debet, in cuius auribus meliorem optare liceat. Sic in omnibus virtutem demiraris, vt in nullo inuideas;& tantundem olim, tibi ſis gratulaturus, te retè factis à filio vinci, quàm impenſe gratulamur, te maiores tuos in omni

vir

virtutum genere ſuperauiſſe. Igitur palam profero quid de ſereniſſimo Delphino ſperem, aperte pronuntio. Contentus non ſum felicitate ſæculi noſtri; aliquid amplius poſteritati noſtrę opto, idque vt audeam facis ipſe, qui admirabilitate rerum tuarum ad maiorum ſpem noſtram cupiditatem erexiſti. Quanquam in hoc ipſe me caſtigo; vt de filio plura, quam de patre ſperemus, non facit tantum, ſed iubet: cùm enim pro ſua in Galliam charitate, nihil à Deo his annis viginti ardentius flagitarit, quàm hæredem, qui extremam ipſius felicitati manum imponeret; vetat ſingularis ipſius pietas ne illum exiſtimemus ab eo præteritum fuiſſe, tam iuſta præſertim tanta contentione poſtulantem.

Enimuero quod optimo Regi venit in mentem à diuina lenitate contendere, quod non concesſerit, quæ ſæpe etiam multa conceſſit non petenti, & toties ipſius vota ſuis beneficiis occupauit? hinc curſus ille prope perpetuus rerum ſecundarum & quod pręter Ludouicum vix vlli contigit, fortitudo diu felix, quaſi fortunæ leuitatem ſuis virtutibus exoraſſet. Quot periculis fatum Galliæ ætatulam eius exercuit, vt quoniā ipſi diutiſſime vincendum erat, id puer diſceret; minuſque puderet ipſius hoſtes ab eo quondam viro vinci qui infans inter triumphos adoleuiſſet. Adoleſcentiam eius excepit acrior bellorum turbo, quæ eo felicius ſunt confecta, quod iam illa per ſe adminiſtrabat. Neque enim quibus gradibus alij ſolent meditatione & difficili experientia ad ſummam peritiam artis bellicæ deuenit quod reliqui fiunt, hoc natus eſt;

est; pene simul miles & Imperator:idque vnum est consecutus diuturno vsu, vt possent alij ex eo discere, quod à nullo didicisset. Itaque velut aliquem ludum scientiæ militaris in castris suis aperuit, in quibus ipsos duces veteranos ad absolutionem artis illius suis præceptis informaret. Imo se assequi non posse palam fassi sunt cùm demirarentur; quod scimus Spinolam ipsum famosissimum ducem istius æui factitauisse. Crediderim non sine aliquo metu, ne suum de fortissimo Rege iudicium, cladibus suis, aliquando approbaret. Quod quidem ipsi cum haud multo post in Italia contigit, id sanè habuit clarissimus imperator vnde se sustentaret, quod qui maximos duces huius memoriæ debellauisset, ab eo duntaxat principe vinceretur quem inuictum ante prædixerat, is autem testis solertiæ qua rupella dispositis munitionibus tam ex bellica disciplina vndique tenebatur, quidni iam inde agnouisset, victoriam velut eius castris esset affixa, nunquam ab iis longius aberrare, cum in eo admiraretur singularem peritiam artis illius à qua obtinet vt vinci non possit.

In quo licet tot triumphos princeps inuictus fortitudini suæ debeat; vt insistam tamen meæ sententiæ, illosque diuinæ in eum benignitati acceptos referam; facit imprimis; tùm hæc eius vox immortalis, quam crediderim, omni tormento validius Rupellam labefactesse. Da mihi Domine virtutem contra hostes tuos, ostendebat quippe vnde illa virtus subministraretur; tùm & illud vel maxime quod nullius ducis tanta sit fortitudo, quæ non aliquan-

do

do adhærescat ad metas locorum difficultatibus implicata, nisi propitium numen diuina manu hęc naturæ impedimenta conuellat. Quò sum æquior in recordatione doloris præteriti impuræ coitioni rebellium sectariorum, qui cum suam impietatem quam sponte fatiscere sentiebant, arcium firmitate tuerentur; & qua manu aras euerterant impij in coronam eius inuaderent, sacrilegio ad parricidium festinantes; tanta facilitate viderunt suas munitiones ab eo disiici, ac si ipse Deus cuius causam propugnabat, ipsi vim suam indidisset. Quid memoro repressum Oceanum, & ferocissimam illam naturæ partem, quæ sæpe regiones integras helluata est, veluti cælitus iussam aggerem Ludouici reuereri, in partem ipsius victoriarum accessisse. Nempe eadem illa Dei benignitas, cum per ista ad Europæ dominatum euocabat; fueruntque hæc veluti pignora eius victoriis suam fidem obligantis. Et verò quid retardaret impetum illius imperatoris, qui intra annum confixit cum maritimis Anglorum copiis, hoc paratioribus ad quiduis audendum, quod summa omnia cum victoria sperarent; contumacia Rupellanorum, eò magis metuenda, quod desperarent; furore Oceani acriori quia iusto, cum id contenderet vnum, ne tutissimo portu excluderetur, in quo iactatus vi tempestatum secure conquiescabat. Sic autem confixit tantaque felicitate, vt Angliam, Rupellam, Oceanum vno triumpho deuinxerit. In quo facto herois inuicti cum oculis nostris vix fideremus, ita incredibile videatur; ne esset impudens votorum licentia pene quin nobis præscinderemus libertatem aliquid amplius

plius optandi. Et ecce diuinum numen velut gloriæ Ludouici allaboraret, in prærupto alpium vertice nouas illi palmas serit, quas vt demeteret, vix respirans ab expeditione annua, adhucq; decors puluere bellico, eo exercitum tempestate difficillima deportauit. Qui autem ipsi fuisset operosum Alpes perfringere, qui Oceanum repressisset? cuius montis tanta firmitas esset, quem non reuelleret is, qui nouos nequicquam fremente mari in eius alueo defixisset: frustra igitur vllos natura ipsi opponat, nisi forte vt intelligant omnes quàm multis partibus eius virtute inferior sit; cùm primo impetu perfregerit moles illas, quarum firmitate cursum victoriæ nostræ retardabat; quas in medio mari Ludouicus excitarat non potuerit ipsa per annum integrum labefactare. Itaque licet montes illos exageratis niuium montibus natura minuisset, eos tamen legionibus suis aperuit, quo aditu cum visa sit simul cum illo libertas in Italiam ingredi; effecit vt pulcherrima orbis regio pæne sibi tantum deberet atque naturæ, quæ frustra obiectis Alpibus à Gallorum armis Italiam texisset, si fraude & astu in callidę gentis esset ditionem concessura. Quamobrem non minus Italiæ profuit, hæc sua claustra ab eo perfringi, quàm illis claudi: si enim Princeps Oratorum non dubitauit audiente populo victore gentium omnium immortali voce pronunciare, non sine diuino consilio obstructas fuisse Alpibus Italiæ fauces; quod si aditus ille patuisset Gallorum fortitudini, nunquam Roma domicilium orbis terrarum imperio præbuisset, quam verius illud nobis iactare

licet,nisi hæc propugnacula naturæ, iam aduersus Italiæ libertatem collocata,vi diuina perrupisset Ludouicus, ne illam quidem nomen libertatis, quod vnum superest è tam ampla fortuna nunc retenturam.

Atque hæc cura defendendę publicæ libertatis, quod regnum suum Europæ patrocinium vellet existimari; cum eum in Germaniæ fines euocauisset, quot prouinciis ibi eius imperium, vt tandem amplitudini inuictę mentis par esset; numinis indulgentia propagauit vt quod olim de se dux Atheniensis felicitatem suam non ferens nimis gloriosè predicabat, fortunam munitissimas vrbes retibus inclusas, sponte obtrudere dormienti;id eatenus in fortissimo Principe locum habeat,quod ipse fortunæ suæ sit faber; non vrbes duntaxat sed integras regiones aucupio suarum virtutum ad imperium suum adiungat; Ita vtatur perspecta sæpius numinis benignitate,vt non minus segniter, quàm si illi diffideret,in opus incumbat.

Animaduertitis(Aud.) quàm multa sint prætereunda Ludouici victorias cõmemorãti.Vnus est in cuius laudibus multa licet silentio præterire,quod plura supersint. Semperque longius aberit à suspicione inuidię qui abstinebit à multis,quam qui profitebitur vniuersa vna oratione complecti Ipsa ipsa hic hæreat eloquentia; neque vt omnia vela explicet, celebritate dicendi assequi possit, eius in pugnando & vincendo celeritatem qui sæpe etiam sine pugnâ triumphauit. Nimirum impetus oratoris ipsa contentione languescit,cùm Dei in Ludouicum perennis benignitas,semel incitata cohiberi non pos

possset, prioribus beneficiis ad maiora proludat. Etenim cùm ita tulissent tempora, vt artibus patefactis gentis infensæ, palam illi bellum esset denunciandum, ne diutius pace fraudulenta nos expugnaret. Vix exercitus Ludouici in hostile solum irruperat; & Deus statim quàm sibi placeret eius consilium quàm studeret ipsius armis Auennensi victoria omnibus approbauit. O pugnam! ô victoriam! vix eum nouerant hispani hostem, & victorem audierunt. Hostilis exercitus obuiam nostro procedere festinauit, quasi præsentiens cladem suam, vt saltem ea loca paterent fugæ quæ post tergum reliquisset. Et verò quod consilium fugâ salubrius premente eo, cui nunquam obstitit hostis armatus quem armatum sæpe vicit abiectus hostis & supplex. Itaque tum ab illis superbiæ suæ pœnas Deus expetiuit, cum sic firmauit eorum animos, vt auderent in gradu hærere firmiter. Ideo namque crediderim eum fugæ consilium auertisse ne supplicio suo eriperentur illos nostrorum impressionem tam alacriter excepisse vt certius vinceremus; ante è vitâ; quàm è gradu deiectos quem quisque cœperat, vt armorum aceruo illustrius trophæum victoribus excitarent, numeroque cadauerum ac multitudine suis acceptæ cladis magnitudinem declararent. Equidem scimus ad nuntium cruentę stragis, fugam non ex agris modo, sed ex munitissimis vrbibus factam; desertas ciuitates, vt quisque proximus erat victori exercitui in extremos fines se proripuisse; redundauisse fugitiuis Antuerpiam; cum eo se reciperent, non spe effugiendi nostrorum ma-

& palmas regis fortissimi non nisi ea conditione tentari ferro vt pubescant amœnius, & lætiores castigata luxuriè in siluam excrescant: ô infœlicem conditionem hostium Ludouici, quibus ne in victoriis quidem lætari liceat, quos aut oporteat à nobis vinci, aut suæ fœlicitatis pœnitere, ecquando enim exercitus noster excessit ab hostili regione, nisi aut rediturus aut victor cum vbi semel aut iterum eorum copiæ in nostros limites influxissent, tanta celeritate repressæ fuerint, vt ipsis aditus patefactus data opera videretur quo cæsorum corporibus illum obstruerent, & primo impetu in fugam actæ nunquam de simili irruptione cogitarent.

Atque hic omitto expugnatas vrbes hostilesque turmas quo his in campum prodierunt leuioribus præliis fusas; haud obscuro inditio reliquum exercitum simili clade atterendum nisi castris pudorem suum tueri maluisset. Mitto Picardiam, Campaniam, Burgundiam; Aquitaniam, Occitanos, hic est vltimos Galliæ limites, aut direptis hosti arcibus, aut tropheis nostrorum Imperatorum munitos. Prætereo pugnas maritimas, incensas classes; turpem hostibus, gloriosissimam Galliæ insularum deditionem, in quibus auidi inuasores extructis arcibus validissimis insolita celeritate sibi tumulos nescij, nobis firmissimas munitiones excitarunt. Credetne posteritas, nihil prope tot annis nos habuisse quod fortunæ exprobraremus, in tanta bellorum varietate, sic eorum euentus pæne semper virtutibus Ludouici respondit? Neque

tamen hic dico quoties in hostem inuectus, aut castris inclusum, vt Leucatæ, aut loci naturâ superiorem, vt in insulis, ipse sicut causæ bonitate ita victoria superior fuit, Quoties impari numero par triumphis cum exigua manu magnos exercitus profligauit. Quoties vix aliquot è suis desideratis cecidit ingentes hostium copias quasi non hostes armatos, sed victimas numini fortissimi Imperatoris miles inuictus immolaret. Quoties prima impressione fugauit hostem; Quoties pugnam victoria præuertit; neque tam ostentatione armorum & belli hostiles copias, quàm admiratione virtutis, quod pulcherrimum victoriæ est genus, suique nominis terrorere pressit.

Quæ omnia magnam partem cùm adeo meritissimo regi sæpe concessa sint, ante etiam quàm optauisset; quis tam iniquè sentiat de diuina benignitate, vt existimet eam Ludouici preces in eo preteriisse, quod ipsi longè carissimum fuit; cumque nihil tam ardenter his annis viginti efflagitarit, quàm vti filium procrearet, qui summam felicitatem huic imperio quondam impertiretur, quis tandem suspicabitur eum in hac tantum æquissima postulatione repulsam tulisse. Hic gemitus tuos, & inuicti pectoris suspiria Ludouice, hic apello virtutum tuarum sollicitudinem, quarum aduocationi hæc vota tua curasque committebas. Tua interest vt ne Deum existimemus hanc illarum honestissimam petitionem neglexisse. Quale enim illarum habebit posteritas expressius monimentum, quam si intelligat

telligat te talem tantūque, quantum vix animo capiet potuisse adeo; itá illi extitisti gratiosus; maiorem filiū impetrare. Sit pietatis velle gloria à filio vinci; at si obtinuisti in tanto splendore rerum tuarum, næ tu reliquos omnes virtutibus superauisti. Quàm enim arduum vel quid minimum ad magnitudinem eius adiicere qui modum omnem prope excesserit. Nisi Deus tibi in se omnia permisisset, audebo dicere vnum hoc erat quod ab amante non impetrares. Itaque & dilata sunt vota tua in longissimum tempus, & proximè à repulsa abfuisti, & totis his annis viginti suspensi spe incerta, & expectatione cæca pependimus hærebat orbis vniuersus velut in speculis de virtutibus tuis æstimaturus si tibi filius par nasci posset; etiam admiraturus si non posset. Cùm interim diuina illa mens à cuius benignitate tibi hoc beneficium pollicebaris, in formam intuens optimi principis quam feliciter adeò in te expresserat, & in eius cōtemplatione defixa, veluti secum ipsa del beraret qua parte crescere potuisses, quid in te desideraretur quod si adesset filio, tum te voti compotem existimares. Equidem cunctatio illa fuit ad beneficium properantis. Solebat in aliis occurrere Ludouico vel nullis precibus euocata, at hac in re minus præsto fuit: tardius etiam passa est se exorari. Voluit nimirum ante virtutes ipsius maturitatem & robur suum consequi, quàm partum regium procrearet, vt cùm in lucem susceptus esset, omnes meritorum Ludouici magnitudine admonerentur, eius filium talem existere qualem tantopere desideraffet.

Et verò quis fuit ſapientiſſimi Patris de eo ſenſus, ſtatim vt lucem hanc vidit an auxit regius puer, & ſplendore vultus pulcherrimi ſuam Galliam illuſtrauit? Audite Audite vaticinationem non petitam ex fallaci Apollinaris cortinâ, aut fœcundâ mendacis dodonæ quercu aut Iouis Ammonis quæſtuoſa loquacitate; ſed ex ore proferam integerrimi Regis oraculis veriori. Audi ſera poſteritas qualem principem tibi Ludouicus procrearit. Vix editus erat in lucem, cum Diplomatibus regiis quibus ſubditos omnes vocabat in lætitiæ ſuæ communionem, id nominatim inſeri voluit; eò impenſius ſe lætari in ſereniſſimi Delphini ortu, quod ſic mente præcepiſſet, in eo fore momenti plurimum, ad pacem quam omni ſtudio iuxta & precibus promouere non deſiſtit, tota Europa firmiter ſtabiliendam. Quid illud eſt quod nobis ab infante polliceris Regum iuſtiſſime, qui nunquam hactenus fefelliſti ſpem noſtram niſi cum promiſſa tua factis ſuperauiſti. Scimus quàm nihil temere dicas, quem magis puderet aliquid effutire minus prudenter quàm cæteros nequiter facere. Nouimus quàm ſis alti ſecreti vbi de te preſertim aut tuis agitur, Hinc dictis tuis veneratio acceſſit oraculis par; hinc noſtræ quærelæ de modeſtia tua, quaſi vna tuis laudibus inuideret. Et tamen ille quid victrices manus reſpicis Gallia, quaſi illis fortuna belli & pacis includeretur. Nec laboribus pro te peperci neque votis, ſed ità eſt vti dixi omnis ſpes tibi in hoc puero defigenda eſt. Ille datus à Deo pacis obſes, eam rurſus in Europam reuocabit. O te felicem fortitudine tanta Ludouice ſed

ſed aliquanto tua fœcunditate feliciorem quaſi enim piiſſimus puer cogitaret de vſura vitæ clariſſimæ perſoluenda, te hac ſpe recreat, futurum vt breui colligas fortitudinis tuæ fructum, quæ nihil in bello quæſiuit niſi pacem. Et dubitamus quin Regius puer lucem maximam huic Imperio allaturus ſit, qui ſi mentem conſulimus prudentiſſimi Regis gentes inimiciſſimas pacis vinculo puerili manu deuinciet; qui vagiens armorum ſtrepitum bellicoſque tumultus authoritate ſua compeſcet; qui furentem Martem ſuis faſciis colligabit, qui furias eius ſequeſtres par herculi puer elidet; qui ſepeliet in cunabulis ſuis extincti belli reliquias, & pace Europæ reddita ſimul ac in ea veſtigium ponet, felici omine futuri dominatus hoc donatiuo eius fidem Imperio ſuo oppignerabit.

Ex quibus velut è ſemine cum ſe vberrimæ laudis ſeges efferat, in eo vero ſit apex gloriæ ita conſulere Reipub. vt religio quoque dignitatem ſuam obtineat: num meritò pronuntiaui nullum principem extitiſſe quem naſci Galliæ tantopere profuiſſet cùm tantùm ſplendoris olim vt in rem ciuilem; ità Eccleſiaſticam ſit collaturus, vt iam publicæ felicitatis alumnus dici queat. Ac quoniam id inſtitutum eſt, vt quia Religio ex virtutum omnium complexione pellucet, is potiſſimum ad eam augendam applicet animum, in cuius mente virtutes reliquæ ſunt defixæ, Gratulamini (Aud) poſteritati ſplendorem illum; quem sereniſſimus Delphinus Eccleſiaſticæ rei allaturus eſt. Quis enim mihi non aſſentiatur, id de eo ſignis

certissimis postrema oratione vaticinanti, nisi qui aut non videat hebes, vti flumina ex iugo montium, ità virtutes ex animo Ludouici in eius filium profluxisse; aut inuidus neget virtutes omnes in pectore Ludouici domicilium posuisse. Illud quidem in alijs experimur iis angustiis circumscriptam esse hominum mentem, vt non nisi ægre plures simul virtutes admittat, & vix etiam heroës singulos, virtutes singulæ commendarint. Prudentia in rebus gerendis fabrum Cunctatorem nobilitauit, sed nec effugit timidi famam. Versatur in omnium ore iustitia Aristidis, sed idem in persequendis inimicitiis intemperantior, iustitiæ laudem quam ex exilio suo sibi collegerat, exilio Themistoclis obscurauit fortitudinem Cæsaris subactus orbis prædicat, dehonestant cupiditates, quibus se constringendum ille tot gentium victor animus dedit. Summus fuit in Pompeio rerum omnium modus, prudentia deesse visa est, illaque sagax posteri téporis interpres, cautio. Ità dure restricteque nobiscum egit natura, vt in summa significatione propensissimæ voluntatis, animus ille parcus, suorumque bonorum tenax nouercam proderet. Vni quippe Ludouico id debebatur ità præstare hominibus cæteris virtute qualibet, vt omnibus abundaret.

Enimuero non se illi virtus per partes infudit; sed cum se totam in animum Ludouici demisisset, illius amplitudinem vix impleuit quis ille fundus, & quæ omninò in mente regia tanta capacitas? & tamen recense singula animi ornamenta quorum splendore viri principes in memoriam posteritatis summa cum laude

laude peruenerunt : reperies quæ illi partita sigillatim nonnisi ægre totis animi viribus occuparunt, itá Ludouicum aceruatim comprehendisse, vt vna complexione partes omnes honesti deuinciret. Prudentiam demiraris ? & illa iam olim in adolescente se feliciter adeò extulit, repressis ciuilibus turbis ; vt videretur in ætate immatura, suam maturitatem & canos consequuta. Quid iustitiam commemorabo si enim pœnæ sunt decernendæ vt nullum gratiæ locum relinquit;quàm liberalis eadem in rectè factorum mercede constituenda, sciscitaris de fortitudine ? hostes consule illatis ab eo cladibus iam famosos. Atque ille tot palmis clarus quot bellis petitus, perpetuus sui victor est, adiunxit quippe ad fortitudinem militarem illam aliam paccatam atque domesticam qua repressso tumultu cupiditatum inuictus Imperator in victoriarum partem accedit. Sed quantus in eo rerum modus, quasi cum liberalitate naturæ continentia certaret,quoque illa offerret plura, à pluribus abstineret cuius animus in victoria non effertur, quæ natura sua insolens, modestissimos mores nimia felicitate corrũpit . quis fauente fortuna repressit vincēdi cupiditatē,nec plus hostibus ademptũ voluit,quàm ius in summa impunitate pateretur?cui nō imponit aut dũ punit ira,aut nimia felicitas dum parcit: ô mentem Regiam Ludouici non illam quidem virtutum sedem, sed si dicere fas est ex virtutum omnium concretione conflatam sæpius triumphauit, quàm duces reliqui hostem viderint, neque tamen quicquam de modestia singulari hæc diuturna fortunæ indulgentia delibauit;

nec calamitas aliena, nec felicitas propria maiores ei ſpiritus attulit; cùm eiuſdem eſſe non crederet inuictos exercitus in campo vincere, & inſolentia ipſius victoriæ domi vinci, quot hoſtium armis appetitus eſt, at quem non humanitate & beneficiis quàm vi armorum expugnari maluiſſet: ſæpe gentes tranſalpinæ grauiſſimis illum iniuriis prouocauerunt; ita ſemper in reponendo remiſſus fuit, vt condonaturus propemodum videretur, ſi per iuſtitiam ſuam, hoc eſt alteram regni collegam domeſticum numen, ſic enim dixerim, licuiſſet. Sæpe fuit perfidia ſubditorum laceſſitus ita coërcuit, vt in pœna decernenda non animum vlciſcentis, ſed emendantis duntaxat præſe ferret. Quoties ne puniuit quidem, & cum ipſi nihil afferrent vnde veniam mererentur, ne quid in remittenda pœna iniuſtè faceret, ſuæ clementiæ ſibique pepercit. Qua quidem moderatione tam incredibili, cum virtutes cæteras ſic illuſtrarit, vt nihil vlli ad ſummam laudem deeſſe poſſit, mirari deſino quid ita plus videatur vni iuſtitiæ, quàm cæteris detuliſſe. Carolus Va. prudentia quondam nomen traxerat, à moderatione ſingulari & caritate in ſuos Ludouicus XII. à fortitudine rebuſque geſtis, vno filio minor Henricus Magnus. At ſi tituli Ludouico quærerentur à virtutibus in quibus excellit; quæ ſuam illi appellationem non impertiret? ambiant illæ, certentque in eius nomen confluere, hoc ergo iuſtus meritò dicitur, quòd cum in eius animo ſingulæ dominarentur, ne cui preſertim videretur regiæ mentis principatum attribuiſſe, omnes in hanc iuſti appel atio-

nem

nem inclusit. Quo facto dum sapientis, Clementis, Magni nomen repudiauit, aliud maius consequutus est; & ideò proprium, quia vt ipse virtutes omnes mente complexus est, ità & iusti nomen ex virtutum omnium complexione efflorescit Quam ergo iure id in eo admirantes prædicamus; fortitudinem, in eius animo lacertos suos ac robur; prudentiam in acumine mentis, lumen; iustitiam, præsidium in Decretis? Temperantiam in moribus, exempla; omnes simul in eius purpura suam dignitatem obtinere; salutem nostram illis inniti, nec tam eas esse priuatum quoddam animi regij, quàm publicum huius Imperij bonum.

Atque ex hoc quadruplici virtutum fonte, quis emanasse non sentiat singulare illud studium religionis, quæ nisi illarum succo perpetuo sustentetur, vt se nonnihil efferat, omnem illicò suam viriditatem amittit. Vt enim videmus fœcundissima semina nisi inciderint in agrum mollitum subactumque nullam ex se frugem emittere, ità nisi virtutes reliquæ animum hominis diligenter præparent ad satus religionis accipiendos, vis omnis illius euanescit. Nitatur oportet illarum adminiculis, vt qui in ea sine his glorietur, laruam duntaxat Religionis nobis obijciat. Atenim in optimo rege cùm omnia demiremur, tum illud imprimis, quod non in eo pietas, vt in principibus nonnullis, quos diceres Religionem, hamum & tendiculas existimare; non inquam in eo pietas sit perfusoria, non inducta ad speciem, non ficta ad fraudem, non ad aucupium instituta; sed pura

&

& candida ; sed sanguinis & fucci plenæ ; tam procul à fastu quàm à simulatione remota;qualis denique olim extitit in ipsius auis Carolomagno, & D. Ludouico qui ad populorum religionem sunt consecrati. Itaque quàm publicè pius tàm priuatim atque vt nunquam ille necesse fuit, in summa sanctimonia vitæ, regiæ parietibus libidines tegere, ita neque foris pietatis opinionem vultu & supercilio tueri. Quam vides demissa Maiestate, & gestu corporis ad venerationem decore compositi ; vel in supplice regem agnoscas ? publice pro Gallia sua vota fundentem, talis est cum non videtur;nisi quod quia non videtur indulget impensiùs pietati. O Augustale ! ô abdita domus regiæ! ô intimi recessus totiesLudouici gemitibus consecrati ! vos conscij curarum ingentium; quàm sæpe illius votis ac precibus personatis. Quale spectaculũ Ludouicus supplex,sed Deo; cui se vni subditum nouit;erga quem tam perfecte omnes subditi numeros implet, quàm erga nos regis. Ergo in illo secreto quàm Imperatorie supplicat is, cui tot gentium manus & ora supplicant ? Vosne parietes tantam virtutem orbi tegere, in omnia Ludouici dicta & facta intento ? Parcite(Aud.) sentio me commoueri sed dolore propemodum iusto quis enim non Indignetur, vel vllum statum motumue vitæ sanctissimæ oculis suis subduci. Vita tua Ludouice censura nostra est. Tibi vni non viuis, à Deo expositus es omnibus ad imitandum. Quod Drusus olim optabat nimis ambitiose, tibi est quærenda regia, in quam liber ab omni parte prospectus pateat, quia nihil agis quod cum

cum laude, patere non possit. Quanquam vt latebras petat semper est in aperto. Sua illum virtus prodit, nihil agit ipsius pudor, tanta lux non potest reprimi; ex illis tenebris illustrior erumpit, hoc vnum Ludouico non licet in summa fortuna, latere non; videmus orantem sed experimur, & quod prohibere non potest, factis tangimus.

At illud Decus incorruptum pietatis vt in reliqua vita præstat; quid vnquam aut arrogantius ipse in summa prosperitate fecit, aut ab alio dictum assentatorie, non impatienter tulit? Neque enim sacrilega adulatione in eius amicitiam peruenitur; sed fide, sanctimonia, puritate, ad mentem regiam patet aditus, quibus gradibus ipse in Dei sinum se intulit. Vnus est principum omnium cui nec opus sit timere inuidos nec amare assentatores, quia vti nullum vitium ipsi inest, quod illi carpant; ita nec deest vlla virtus, quam oporteat fuco & pigmentis aulicorum appingi, quem ergo locum is adulationi relinquat, in quo laus vera omnia occupauit; aut qua arte ab eo impetret vt existimet se dignum qui à Deo maiora consequeretur, cui nunquam persuadebit, vt quanquam diligentissimus fuerit in promerendo, sentiat tamen se quicquam merito suo consecutum. Nimirum ipsius pietas tam procul abest à temeritate & confidentia, quàm à superstitione & metu. Deum colit quia amat, sed amat vt Deum. Itaque sic illi omnia sua accepta refert, vt qui longe plura debere velit; sic nullum de Religione bene merendi finem facit, quasi qui sentiat longe plura se debere

quàm

quàm præſtiterit. Scimus quàm multas hactenus inimicitias & dimicationes, ſibi pro ea putauit fugiendas; in omnibus prope Galliæ Europæ partibus illius miles & propugnator. Neque dum tamen ſibi ipſe in eo ſatis fecit. Nobiles pro ea curas amandat in Turcarum regnum, & Barbariem Cannadenſem, dedecus ſuum interpretatus ſi vbicumque lilia ſua florere Deus voluit, eius Religio atque cultus non ſoboleſcat. Atque dum videtur illi ſtudio intẽperantius indulgere, ſi quis exclamet. Ecquem tandem Rex Chriſtianiſſime, tuis pro Religione laboribus modum imponis. In Germania tutatus es illam tui nominis authoritate; pactionibus & conuentis in Batauia retinuiſti, nouo fœdere nuptiarum in Anglia ſubleuaſti laborantem, in Regno proprio quot ſudoribus illam ad primum ſplendorem reuocaſti? reſtituiſti decretis in Bearnia; iacentem in Gallia Narbonnenſi quanto tuo periculo armis excitaſti; in agro Rupellenſi reſtaurauiſti victoriis; vbique vita & moribus amplificaſti, quid tandem ſatis eſt ſi illud non eſt ſatis? Quid ille, ita vt dicis, *ſatis ſit* aliis, ſed parum eſt Ludouico, cum datur aliquid in quod vltra ſe memor animus poſſit extendere. Nec Deus modum vllum ſuæ in me benignitati eſſe voluit, nec vllum meæ pro eius cultu ſollicitudini imponam. Id ipſum feciſſe quod commemoras, beneficium fuit in eo qui conferebat.

Quem fuiſſe tacentis ſenſum, dubium eſſe nobis non poteſt, qui cum vidimus ex his expeditionibus quas attigi reuertentem. Sæpe decretus eſt reduci triumphi honor, raro admiſſus

nec

nec nisi victus nostris precibus, idque in causa religionis, & eius potius quàm suo nomine triumphauit. Tunc autem scimus qua pompa, quo apparatu, qua magnificentia quo concursu confertæ multitudinis, qua ordinum omnium celebritate. Vidisses redundantes plateas incredibili turba, oppletas domos; nutantia tecta occupatas eminentias omnes, fastigia ipsa mutato officio, ab iis tegi quos tegere debuissent; Denique infinitam multitudinem illam quæ vix tota Lutetia capi potest, in aliquot vicos inclusam. Interim calere omnia lætissimo tumultu, plausu, gratulatione, vt dum se oculi auide pascunt, aspectu Ludouici, haberet & vox quo se in eius nomine recrearet. Ipse autem; etiamnum obstupesco; quàm imperatorio vultu, qua maiestate, per mediam suorum turbam incedebat? nec cuius quam oculi in rege errabant; sic in eius ore regia dignitas eminebat. Sed quod est longe illustrius; qua modestia, qua grauitate; fortissimus Imperator, & iuuenis, & virtutis suæ conscius, & in sensu recentis victoriæ, ita triumphantibus cæteris, pæne vnus non triumphabat? Imo quia tam modestè, tam grauiter, tam seuere, non tantùm de prostrata perfidia, sed & de populari leuitate triumphabat. Nempe id satagebat, vt ex ipsa externa specie intelligerent omnes, pompam hanc esse parantis Deo gratias immortales, & festinantis ad lauream quam illi omnes gratulabantur, in eius sinum à quo acceperat, reponendam. Atque vt significaret hunc se maximum cœpisse victoriæ fructum quod Deo vinceret, hunc alium recusabat. Qua quidem pietate id obtinuit,

nuit,

nuit,vt iam exteræ gentes credant,olim reges in Gallia extitiſſe tanta abſtinentia, tanto ſtudio pietatis,vt ex bellis pro Religione ſuſceptis,extra regnum,in remotiſſimis oris, aduerſus gentes immanitate barbaras, multitudine infinitas; nihil præter vulnera & labores ſibi depoſcerēt. Nunc Galliæ ſplendor ipſis lucet, nunc intelligūt non ſine cauſa Chriſtianiſſimi nomen ad Francorum reges delatum;& cùm illi tanto ſtudio religionis imperium amplificent, meritò ſe ad illorum imperium à Deo adiungi.

Is autem incredibilis ardor Ludouici ad religionem amplificandam ſi extitit ex virtutum reliquarum complexione; ac quatuor illis præſertim honeſti partibus, iuſtitia, prudentia;fortitudine, temperantia, quas arctiſſime aprehendit. Enimuero triumphat Religio Chriſtiana: quantam enim acceſſionem ad veterem gloriā sereniſſimi Delphini ortus tibi afferet; in cuius ſinum,ſtudiū illud pietatis, cum reliquis Patris virtutibus ſe infudit: omninò magna vis ineſt, in ſtirpe generis & ſeminis, vt parentum mores liberis ingenerentur;ſed tamen neſcio quo pacto, natura in eo impēſius nobilitati fauit;vt à Patre cū vita virtutes trahat, & inter monſtra recenſeantur,qui à claris parētibus degenerarūt. Nempe in illis Natura reueretur beneficiū ſuū, nec audet hærede maculoſo illuſtrē ſanguinem dedecorare quem parentibus impertiuit. Quid quod ipſe ſanguis ſplendidis facinoribus illuſtratus, pectus ignobile dedignaretur? virtuſque ipſa à qua toties pulchre incaluit, mauult illi commiſceri, quàm rem olim ſibi ſacram aut corrumpi libidinum face, aut con-

gelari ignauia, aut desidia veternoque marcescere. Quò fit vt quemadmodum de Pactolo ferunt eum prædonis in morem terras auriferaces sic depopulari, vt ramenta pretiosi metalli, in alueum suum deportet: Ita & clarus sanguis transmissus identidem per illustrium heroum pectora, vt fertile solum virtutis, eosdem illos spiritus in filiorum sinum deuehat. Etenim vnde illa in regibus sæpe immatura virtus & præcox? nisi quia quod reliqui fiunt, gignuntur ipsi, & quod cæteri discunt, id à parentibus nascendo exprimunt. Mitto commemorare de principibus exteris, cum exteri ipsi exempla virtutis illustrioris, à nostris regibus patere soleant. Certe Clodoueus, Philippus Augustus; D. Ludouicus, Carolus Octauus; esset enim longum vniuersos percensere; cum multa per sese gesserint admiratione digna ea ætate quæ vix apta est, vt consiliis alienis regi possit; vnde illos dicemus, vim eam consequi potuisse, nisi ipsis paternæ virtutis lux affulsisset, atque vt parentis astrorum in syderibus reliquis, lumen, ita clarissimorum herorum virtus, se in sobole propagasset. Nam tu ipse Ludouice, quàm turbulentis rebus puer ad huius imperij gubernacula accessisti? sed tamen idem quàm feliciter ex his fluctibus emersisti? Neque tamen aut vis eximia quædam incognitæ disciplinæ; aut ars inaudita gubernandi, aut noua politicæ rei præcepta id perfecerunt, vt te ab his periculis expedires, sed adfuit Regia indoles, opitulatæ sunt virtutes paternæ, quas

ſemper exiſtimaſti vt ampliſſimam, ſic antiquiſſimam patrimonij tui partem quam ſimul cum vita adiuiſti.

Id igitur quod tam multis principibus conceſſum fuit, vt virtutes ſuas in filios deriuarent cũ nefas ſit exiſtimare quin attributũ ſit Ludouico, ad quem vnum plura delata ſunt quã reliqui omnes expetiuerunt: quanto cum prouentu olim illius virtutes, cæca mente teneræ ſobolis nunc incluſæ, vbi acceſſerit ætas exiſtent? quis erumpet ex illis ſplendor: vt omnes ſimul veluti iunctis facibus, eius animum ad incredibile ſtudium religionis amplificandæ inflammabunt.

Cùm præſertim accedant ad virtutes paternas; maternæ etiam; mitiores illæ quidem, ſed tamen maſculæ & ad partum virilem aptæ, quàm illæ genere ipſo nobiles? quàm factis regiæ? quàm dignæ coniuge Ludouici? Delphini matre? eam afferre dotem debuit quæ Ludouico nuberet; robur illud mentis quę Delphinum procrearet, vt qui omnia miraturus eſt in Patre, nihil in Matre reperiat quod excuſet. Mihi quidem de eius virtutibus ſæpe numero cogitanti; tùm illud occurrit de variis affinitatibus quibus Auſtriaca gens, regiis quibuſque familiis eſt deuicta; tùm iſtud aliud huic affine, quod neſcio an ad filij vel matris gloriam plus conferat; nobiliſſimum Europæ ſanguinem in venas Auſtriacorum influxiſſe, vt cum illa puriſſimum collegiſſet cum eo, regum omnium virtutes in filij pectus tranſmitteret. Quamobrem cape hunc

Regi

Reginā fecunditatis tuæ fructum,quod eum filium huic imperio peperisti ; in quo clarissimi Europæ reges è quibus multi diuis ascripti sunt virtutes suas recognoscere debeant ; è quo posteri æstimare de Ludouico tuo possint. Addo in quo post mortem viuere apud posteros, cum incredibili laude queat. Ita fuit salutaris tua fœcunditas,vt vitam dilectissimo coniugi in aliud sæculum propagaret ? ita cum filio tradidisti vsuram huius caducæ lucis , prope simul Ludouico,è coniuge mater,immortalitatem pe. peristi.

Quod si tantum valet : ad studium Religionis de quo dixi,ex iis parentibus susceptum esse,qui vti subditis regia dignitate , ita regibus cæteris omni virtutum genere superiores , suas illas virtutes , veluti in lampadum ludo , hæredi tradant : quanta existet ex illis seges : vbi excolentur paterna manu , & ad præclaram indolem accedet eius ipsius institutio à quo illa fuit subministrata. Quam nobilis ille ludus in quo sedebit virtutis magister Ludouicus ; auditor filius Ludouici. Ingeniosus omnino præceptor est , amor paternus. Nouit pro acumine suo quæ solertissimos Magistros fugiunt. In filij mente cuius aditus ipsi semper patet, sua ipse precepta altissimè defigit : atque vt incredibili ardore flagrat , illam quam præcipit virtutis formam, impressam relinquit in cereo filij animo , & penitissimè inustam. Quid ergo cum Ludouicus sedens inter sua trophæa, & sinu tot palmis claro tenellum filium fouens, identidem ingeminabit illud imperium esse firmissimum quod

Re

Religione innitatur. Eos reges à ſubditis impenſius coli,qui impenſius Deũ colant;hinc eos trahere obſequij formam, cùm ita ſtatuant non ſibi diligentius parendum mortali homini & caduco, quàm ipſe regis æterni decretis pareat. Addet de expeditionibus ſuſcipiendis pro amplificando eius cultu. Hac via maiores ſuos Diuum imprimis Ludouicum principem generis immortalitatem conſecutos. Tum exponet quę in cauſa Religionis ipſe fecerit radicèque deſcribens firmiſſimas arces, quarum ruinis impiam ſuperſtitionem prope obruit, indicabit non tam oratione quàm difficultate geſtæ rei, quanta cum ſollicitudine aras & templa corporis regij obiectu texerit; quàm multis in locis ſit de capite periclitatus, vt vel ſanguine atque vita periculis religionis ſubueniret. Atque hęc commemoranti, quam ſæpe excident hæ voces. His tibi gradibus, fili, ad immortalitatem eſt enitendum, te meorum pro Religione periculoſum hæredem ſcribo. Vides vt in variis Europæ regionibus miſere fluctuat, vt eſt prorſus ab Oriente exterminata, Eò à te fili reuocanda eſt, quò illam maiores tui deportarunt, per hæc tibi auus Ludouicus, noſterque ſanguis orbi vniuerſo eſt approbandus. Quæ dum ipſe diſputabit incenſo vultu, quos æſtus, quæ incendia in tenera filij mente, is patris ardor excitabit.

At iam audiebamus Ludouicum qui oraculorum apud nos fidem obtinuit, id de chariſſima prole ſpondentem, futurum vt impetraret

traret pacem orbi : hoc eſt obſerato martis templo, Bellonam tot ſcelerum ream, ſublimem ex armorum aceruo; pendentibus è collo vinculis, ad hæc ipſa arma religaret. Quid ergo, an vt in altiſſima pace fortitudinem ſuam conſumat? Actuoſa eſt Borboniorum virtus, preſentit ipſa Turcarum ſuperſtitio ſe ab illis exſcindendam, propè tantundem, tam nobili fato, quàm ipſa immortalitate triumphans. Quis ergo dubitet, quin in illa communi Europæ tranquillitate, enſes à Chriſtianorum pectoribus reuocatos in barbariem conuertat, meritò illius vagitu perterrefactam. Iam video Othomannicam Lunam ad Gallici ſolis exortum exalbeſcere metu, laceramque effractis cornibus, quibus orbem alligare moliebatur, vix tenebris inferorum è quibus emerſerat, pudorem ſuum tueri. Vt Grecia confeſtim in ſolo ſuo eius lilia virere optat, vt ſolima collum oſtentat diuturna ſeruitute attritum? vt manus catenis liuidas tendit Ægyptus, ſpem libertatis depoſitura niſi per eum illam recuperet? dum interim Diuus Ludouicus geſtit lætitia, hanc gloriam quæ ſibi olim negata fuit, nepoti optimo reſeruari. Atque ex illa cæleſti regione beatos oculos in Ludouicum noſtrum conuertens, qui ſemper ſuos in illum defixos habet; gratulatur ipſi enatum filium, qui in tantam gloriam Gallici nominis Eccleſiæque ſuccreſcat.

Quid enim nobis ab eo mediocre polliceremur, cuius vt nulla vitæ pars prodigiis vacaret: eius ortum Deus tot vaticinationibus celebrauit. Cui natura vt corpus fingeret par

am

amplitudini mentis eximiæ quam Deus moliebatur, in illo opere totos viginti annos posuit. Qui natus est inter patris victorias; arce Rentiaca expugnata diebus aliquot antequàm nasceretur; simul ac natus est Castello recepto: vt iam inde eum hostes reformidarent cui nondum nato exercitus noster vincebat; amarent Galli, quo cum victoriç Regi charissimo nascerentur. Neque vero miror si nascenti cælum insolita serenitate arrisit. O lætum diem quo hunc aërem nobiscum duxit? Imo tunc salubrem aërem ex quo illum haurire cœpit? vt enim certis in locis obseruatum est, cùm antea pestifer esset, cœpit esse vitalis ex quo illum attactu diuini oris, heros paruulus consecrauit. O solem eius aspectu clariorem, collegit omnes radios, an reuerentia vt veneraretur? an verecundia ne vultus Maiestate vinceretur? Gauisus est opinor ortum eius circa meridiem differri, vt cum tunc temporis ad summum cæli verticem eniteretur, nascenti assurgeret; cum cœpisset declinare, natum hac syderis inflexione salutaret. Vt prope iam ignoscam reuerentiæ, quam vix edito filio dicitur Ludouicus exhibuisse, cùm eum etiam sydera venerarentur. Scimus enim (princeps optimè) vt inter plausus circumfusæ nobilitatis, quæ gestiebat enses hostibus formidandos, & toties tuis auspiciis victrices manus, iam inde filio tuo deuouere; ipse illum in destinatum conclaue deduxisti, cum manu tua submoueres turbam; cuius pertinacia lętabare; submoueres tamen, iuberes facesseret; arceres à via; ita ex parte lictor; apparitor ex rege, reuerebaris alumnum

num publicæ felicitatis, & virtutibus tuis quas in eo deprehendebas; quando in te per modestiam tuam non licebat; honorem exhibebas.

In quo tu gentium omnium victor, prope fuisti summo gaudio tuo à regina superatus. Cùm enim eam vt certissimis litteris nuntiatum est, languentem à partu recenti eoque difficillimo suis amplexibus recrearet. Quid illa? ô vocem tibi Delphine perhonorificam. Sed quid illa, iam mori possum rex inuicte, hac ex te suscepta prole, nunquam immatura puerperæ mors accidet. Mori potes Augusta, cum partu tuo vitam nobis omnibus attulisti. Tandem fortuna Gallię peperit vtero tuo eam felicitatem; quam iam diu parturiebat, ea vt fruantur gestiunt posteri in lucem erumpere, & mori potes? Imo vel ob hanc tuam vocem mori non potes. Viues in luce gentium; in memoria posteritatis, quę habebit quidem multa tua facta quę laudet, sed id dictum quod demiretur; ex quo de filij tui magnitudine æstimet. Quid enim illud est, iam mori possum hac ex te suscepta prole? vt quidem sentio, hoc est in lucem edito restauratore quietis publicæ; hostium triumphatore; amplificatore religionis; patris virtutum æmulo. Nisi enim his vocibus hęc esset subiecta notis, tuusque eiusmodi sensus dę Delphino fuisset: opinor quo es amore in Ludouicum; in Galliam, in religionem, te alteri filio reseruatam voluisses.

At cum ille ea conditione sit natus, vt spes parentum quàm magnificæ sint, vincere debeat:

Videtis omnino adoleſcentes quæ gloriæ ſeges eloquentiæ veſtræ, ſtudiiſque ſuccreſcat. Deſcribendæ vobis erunt pugnæ;domitæ gentes,fidei & Galliæ triumphi &ea ob quę bonus princeps triumphos amat, otia publicæ tranquillitatis,eius vigiliis & laboribus fundata; denique veſtrum ingenium factorum eius immortalitati ſuppeditandum. Magna res omnino, & quæ prope diuinam facultatem deſideret, ne aut eius facta attingere non audeatis, quod ingrati eſt aut quod imprudentis malignique, dicendo tenuiter corrumpatis. In quo quia intelligo ex hac veſtra alacritate in ſtudiis repetendis, futurum vt neque veſtræ neque eius gloriæ deeſſe velitis: Quod vnum mihi ſupereſt,meque huius loci ſanctitas admonet. Te, Deus Opt. Max. etiam atque etiam precor, vt qui vota audiuiſti, quæ pro felici ortu ſereniſſimi Delphini tam ſollicite fudimus:ea accipias quæ pari ſtudio pro eius incolumitate nuncupamus. Tuere beneficium tuum Virgo immortalis, quæ hoc inſerto ſurculo familiæ regiæ, per quem ſtirps Ludouici XIII.totum orbē complectatur, ante declaraſti te præſidem huius imperij,quàm illud in tuam clientelam contuliſſet. Non concipiam vota ambitioſa; vnum eſt in quo reliqua includantur Dignus ſit regius puer quem fatearis à te propria addictiſſimā tibi Galliam accepiſſe. Hoc enim eſt;bonos amet, optimis melior;litteras foueat, litterarum monimentis & luce dignus; victoriis ſuis illuſtret Galliam vt pace augeat, amet ſanguinem ſuum in ſereniſſimo principe Condæo qui illius imperium admiranda fortitudine tutatus ſingulari in hanc Acadę-

miam

miam munificentia eius factorum gloriæ & immortalitati prouidit, faueat imprimis Biturigibus ſuis, vt ſuis, amplificet vbique Chriſtianam religionem, ab iis colendus olim, quos ad veri numinis cultum traduxerit; ſuſtentet trophæis ſuis parentum ſenectutem; Patrem victoriis, matrem nepotibus oblectet; & cùm naturam expleuerit ſatietate viuendi, tranſcripta ſobole numeroſa in hæreditatem paternæ virtutis & ſuæ, ipſe gentilibus diuis permixtus, è cœlo Galliam numine ſuo æternum regat. Dixi.

PRIMVS
DELPHINI
ANNVS
PANEGYRICO LAVDATVS.

Auctore

ZOCCOLY.

QVOD anno superiori, gestientibus vobis, tam effusâ votorum ambitione precabamur, (Audit. ornat.) vt Deus Optimus Maximus, nunquam certiùs parens huius imperij, quàm cùm illi Delphinum dedit, futurum olim ipsius patrem; recentem ortum optatissimi Principis, Galliæ nostræ totique adeò Reipublicæ Christianæ fortunaret: Id ab eo, tam prolixè nobis supra spem etiam ac vota concessum esse, eò impensiùs mihi gratulandum est, quod si res aliter cecidisset, periculum erat, ne qui posito themate pueri Regij, vestram cupiditatem ad spem inauditæ cuiusdam felicitatis erexeram

ram, viderer aut plus æquo fuiſſe credulus, aut veſtra credulitate abuti voluiſſe. Quorum alterum, cùm aliquam leuitatis notam adiunctam habeat, idcircò quia, vt monebat apud Tullium, vetus ille Epicharmus, nerui quidam & artus ſunt ſapientiæ, non temerè credere: alterum tamen, eò grauiùs peccat, quòd cùm ſua cuique cupiditas imponat facilè, optima quæque ſperare de patriâ, eius ſit qui patriam amet, & in eo decipi poſſit, vel qui maximè bonus eſt, nemo autem bonis imponere inani ſpe felicitatis, aut eos velit decipere, niſi malus. Vt enim in corporibus euenit, quæ à morbo longiùs aberant, ea, vi morbi ſi fortè incidat, vehementiſſimè percelli; ſic in ægritudinibus animi, cui eò altius iniuriæ ſenſus inſidet, quò expectatione boni incautiùs geſtiebat; & is demum ægerrimè fert aduerſa, qui deceptus falsâ opinione, ſecurúſque futuri, ſecunda ſperabat. Quamobrem ſi in vſu vitáque communi, malæ fidei inſimulatur, qui ſe pro altero pecuniarum prædem præbuerit, nec dependat: iam hinc intelligo, quid in præſentiâ mihi verendum eſſet, ſi qui ſpoponderam tantâ omnium gratulatione, ortu regiæ prolis, fauſtiſſima omnia huic imperio portendi, cogerer deceptâ ſpe veſtrâ, præs infidus abiurare ſponſionem; nec recentes victoriæ fortiſſimi Regis, abundè præſtarent eam opinionem felicitatis, quam certiſſimis coniecturis, atque Geneſi explicatâ fortunatiſſimi Delphini, in veſtris animis excitaram.

Hoc igitur metu perfunctus, ne futilis

mendaxve coniector videri possim; quidni exclamem; O me fortunatum, sereniſſime Delphine, quia tu fortunatus! Vix hunc aërem augusti vultus Maiestate consecraras, cùm sic omnes suspicabamur, iam speranda Gallis à Deo, omnia, quibus tam rarò pignore suam benignitatem obstrinxisset, nec vllum ampliùs impudens fore votum, cùm iam apex nobis votorum omnium obtigisset. Hinc vt in Galliam quisque affectus erat, interpres proprius fati sui, hoc munere nobis concesso, existimabat, aut prosperos sibi casus, aut aduersos portendi. Metuebant hostes cladem & dedecus, Victorias & Trophæa, tua Gallia expectabat, à fortiſſimo Patre omnibus est satisfactum. Quin ille & formidinem hostium, & suorum expectationem, inuictus vbique superauit. Illi, imperij sui propugnaculis euersis, vltrà timorem suum, miseri & abiecti; nos inconcusso regni statu, florentes & erecti; in tam diſſimili fortunâ, vtrique hoc vnum similes sumus, quod tantam virtutem admiramur. O diuinam virtutem tuam Ludouice! Sic oraculis de ortu filij fidem concilies! Sic ambitioſiſſima promiſſa numinis, mortalis liberet? Liberauit tamen, & cùm omnes naſcentem Delphinum tanto plausu exceperimus, quasi publicam felicitatem nobis deberet, grande illud filij debitum, fortiſſimus parens, abundè diſſoluit huius anni decursu; vt qui, ea bona quæ puer regius, in Galliam suam, nascens inuexit, dicendo postmodum persequetur, is iam inde ab hoc anno quem expleuit primum, fastos Gallicæ felicitatis ordiri queat.

In

In cuius dicti insolentiâ, ne fortè cui tacita & cæca quædam adulatio delitescere videatur? date (Audit. vt quæ auspiciis fortissimi Regis, armísque Gallorum hoc anno ad memoriam æternitatis sunt perfecta, ea, dicendo in exigui temporis curriculum includam. Neque enim dubito quin vbi attigero carptim, & quasi delibans, præclara facta, quibus hunc annum nati Delphini miles noster insigniuit; quæ patrauit ad Rhenum impigrè, feliciter in Belgio, strenuè in comitatu Ruscinonensi; iam intelligitis quò aspirem, & illa triumphalia nomina, Brisacum, Hesdinium, vt cogitatione sic gaudio præcipitis; hæc inquam quæ ibi gesta sunt, vbi perstrinxero, minimè dubium, quin nemo sit nostræ gloriæ tam infensus, qui non fateatur, fastos anni vertentis ab ortu serenissimi Delphini, meritò Gallicæ felicitatis inscribi.

Iamque de his vti proposui partitò dicerem; sed enim in tam vberi laudum materiâ, quam virtus Ludouici nobis suppeditat, fateor (Audit.) obstupesco, & quidem rectè colligo ex eâ admiratione, quam tot victoriæ vnius anni in vobis commouent, hæc cogitatio, vt animum meum, ita & vestrum iam occupauit. O si hæc in publico quodam omnium Imperatorum comitio dicerentur, esse principem vnum, cui breue nullum sit tempus ad res immortalitate dignas; qui singulos non modo annos, sed pene menses, triumphis suis nobilitet, qui solis cursum victoriis consequatur, qui spatio mensium aliquot, disiunctissimas gentes, perenni victo-

riarum continuatione coniungat, cuius gloriæ, cùm linguæ tot oratorum manúsque se deuouerint, habeant tamen illi perpetuò, quæ de eodem; non eadem dicant; Quàm heroum turbam illam; nec eos dico duntaxat istius æui, qui magnam partem, aut à Ludouico nostro victi sunt, aut illius ductu auspiciisque vicerunt; sed inuictos illos memoriæ superioris Alexandros & Cæsares; sed quos ad fabulam rerum gestarum amplitudo traduxit Achilles,& Hectoras, fortitudinis suæ,ad commemorationem tantæ virtutis pœniteret. Enimuero quotus quisque ex illis extitit, ita laudum abundans, vt nouam laudandi materiam semper suppeditarit. Detrahe heroibus illis, certum quendam annorum numerum, quibus eximiè rebus bellicis floruerunt; quàm reliquâ vitâ dissimiles sui, quam non heroës viedebuntur. Hunc repressus hostis, aut domitus; vrbs vna, aut fortiter expugnata, aut propugnata pertinaciter famæ perpetuæ commendarit? Et quota pars factorum Ludouici diripuisse hostilem vrbem, aut hostili obsidione suam aliquam liberasse? Pæne quin Rupella, & Casale, altera monimentum patientiæ, regiæ fortitudinis altera, iam obsoleuerint? Et quod nemo satis miretur, post victum ad Rupellam Oceanum, post domitam ad Casale alpium hiemem, hoc est post naturam triumphatam, ea quotidie nobis facta suggerit, quæ admiremur, quæ superiorum obliuionem inducant.

Quis ille tam felix impetus ad gloriam Ludouice, vt cùm vim omnem in laudibus tuis eloquen.

eloquentia propè consumpserit, adhuc tamen laudanda facias? Et Constantini & Theodosij vix singulos panegyricos implent. Ille incomparabili Principi comparabilis panegyricus, eruditissimæ adulationis specimen, velut Orator diffidens tenuitati materiæ, vastam quęreret, quatuor primos Traiani annos complectitur, & illud tempus eius imperij commendat, quo tempore, panegyricum similem Nero ipse meruisset. Nempè cùm Principi nondum sat conscio fortunæ suæ, vix potuit ademisse peccandi verecundiam, impunitas in principatu quæuis peccandi. Cæteræ laudationes principum reliquorum, quamquam & numero sint paucæ, & ea colligant diligenter, quæ in omni cuiusque vitâ, quàm longa fuit, præsertim eminent; ita tamen sunt scriptæ, vt eas sæpe expressisse spes aut metus, dictasse adulatio, veri inopiâ, pænè semper videatur. Tùm certiùs indicante oratorum industriâ, sibi deesse res quas illustrent, cùm abundare se, & premi copiâ, nec reperire exitum orationis, tantis clamoribus conqueruntur. Neque inscitiam scriptorum accuses. Res æquè rara est, bonus Princeps, ac bonus Orator; neque faciliùs reperire qui laude sit dignus, quàm qui laudabiliter gesta, cum laude scribat. Tua hæc gloria Ludouice; tua hęc est laus, vt in laudibus tuis, licet toties iterentur, nec peccare adulatio, nec egere eloquentia, nec Orator in inueniendo hærere possit. Non replicanda vitæ series, cuius nulla pars prope, quæ non luminibus suis colluceat. Non repetenda incunabula principatus: vt in principibus illis, quos nemo sciret

in imperio quicquam innocenter fecisse, nisi imperium pueri capessiuissent. Tu innocentiam illius temporis, semper te melior, præsenti in dies virtute cumulas; nec quidquam in te mutauit regnandi diuturnitas, nisi vt sanctiùs, quòd difficillimum erat in tam præclaris initiis, regnum administrares. Denique cùm vix hactenus quidquam à te gestum sit; ecquando autem nihil gessisti? quod non auidè statim historia occuparit, propterea quia, immortalitatem quam rebus Principum aliorum conferre solet expectat à tuis; tamen quotidie sic recentibus factis, ornas superiora, vt in tam vberi laudum solo, industria quoque posterorum, illibatas lauros & palmas quas demetere possit, sit repertura.

Quæ cum ipse mecum admirans reputo, colligóque facinora, quibus gloria regis inuicti, quot annis clariùs enitescit, in eam mentem nonnunquam adducor, vt ita statuam; habere quidem omne hominum genus, vnde tanti heroïs fortitudini gratulentur; Gallos quòd imperij sui terminos proferat; vicinas gentes, ipsásque adeò quę vincuntur, quòd id ipsi debent, vt tandem Principi iusto parere possint; remotissimas regiones, quòd sibi quondam beneficium simile ab eâ sperant; excipiendam ab eo numero vnam dumtaxat doctorum hominum nationem, quos sic illa habet exercitos, vt frequentibus eius victoriis, possint propemodùm suo iure subirasci. Prouocent enim illi Rex Magne, ad iustitiam tuam, cuius iudicium vel in causâ tuâ nemo refugiat? num hæc eorum vox esse videbitur

pænè

pænè iusta. Ecquid adeò de te malè meriti ſumus Princeps æquiſſime, eo die, quo vigilias noſtras, noſtros labores gloriæ tuæ conſecrauimus, vt nullum nobis reſpirandi tempus eſſe velis? Dies noctéſque de te ſcribimus, nec ceſſas facere, quæ ſcribamus. Vix hoſtis vnius perfidiam contudiſti, cùm alium domas? ſe lauri tuæ inaudito prouentu in ſingulos penè menſes propagant? Hic aggrederis hoſtem, hic repellis; hic vrbem tueris, hic expugnas; hic ſaluti fœderatorum, hic tuorum gloriæ prouides; hîc tibi legati vincunt, hîc ipſe tuis; præſens, abſens, mari, terrâ, manu, conſilio, eodem tempore, vbique triumphas; nec tibi vincendi modus, niſi dùm pugnas. Quæ tanta facultas celeritate dicendi, tot victoriarum non dico curſum, ſed volatum æquare poſſet. Si quædam diuina tibi eſt ad vincendum adiuncta virtus, an ingenio cum fortunâ tuâ certare poſſimus? Nihil hîc diſſimulabimus pudorem noſtrum, imbecillitas noſtra, tam actuoſæ felicitati non reſpondet. Tibi promptiùs facere, quàm nobis dicere. Ad lucem tot triumphorum conniuent oculi. Tuum illum victorem gladium, in ceruicibus hoſtium totâ Europâ volitantem, ſtylus non ſequitur. Tua hæc fortitudo, currum triumphalem per cæſos exercitus, fumantéſque vrbium ruinas, celeriùs rapit, quàm vt eius impreſſa vbique veſtigia, notare liceat. Vix poſſumus victorias numerare, & ſcribendo perſequemur? Niſi tantæ felicitatis curſum inhibes, non licet, non poſſumus, quodque grauiſſimum eſt cupienti, poſſe olim

búsque suis consideret; non repellere modò bellum, auderet, sed inferre, & excursionibus crebris vim eius omnem, in Alsaciam Gallicam importare. Cùm interim nostri non hac vrbe tantùm, sed omni spe eius capiendæ sibi deiecti viderentur: Sic autem existimaret Europa omnis, eam vrbem, quam constaret hoc belli turbine inconcussam stetisse, non iam armorum vi, sed diuturnitate temporis, neque tam fortitudine, quàm patientiâ tentandam. O improuidas hominum mentes, qui hac imbecillitate nostri iudicij, vim diuinam Ludouici metiuntur! Non nouit ille fortunam regiam, qui ad calculos recepti moris eam reuocat, eiusque consilia his momentis expendit. Id nuper frustrà fortissimo duce tentatum fuit, quis alius idem aggrediatur, nec eandem famæ aleam subeat? Valeant ista in imperatoribus cæteris; quorum offensionibus, fortuna, gloriæ nostri heroïs allaborat. Nec enim quicquam adeò ad dignitatem illius facit, quàm quòd eiusmodi res perficit, quæ ab aliis ante susceptæ infeliciter, cuiusuis alterius felicitatem retardassent. Anteà quidem Brisacum stetit, sed Vvimarius Ludouici auspiciis non obsidebat. Capi non potuit, quia Ludouico non paruisset. Post decem menses re infectâ discessum est, neque enim tùm illuxerat tempus illud, quo tempore Dei benignitas, Delphino velut obside, perennes triumphos huic regno, eiusque fœderatis oppignerauit. Quòd quidem illi vt intelligerent, vix tertium mensem viuendo compleuerat, & arxea, quæ triumphanti Succorum audaciæ superioribus annis

frænum

frænum iniecerat, viciſſim recepto fræno, ipſis tandem in manus venit. Creuit Vvimario hæc laurea ad Gallici ſolis exortum, tribus omnino menſibus, quæ annis totidem non ſperabatur. Num præcocem dicas victoriæ fœtum? Quaſi illa feſtinaret approbare alumno fidem, & hoc obſequio conteſtaretur, futurum vt cuius principis cunas, tam illuſtri laureâ decoraſſet, cum aliquando ætate militari, triumphiſque maturâ, orbis imperio coronaret. Neque verò fallet promiſſa, quæ fœderatorum in promiſſis conſtantiam, tam nobili præmio compenſauit.

Erat vrbs illa, vt accepiſtis Auditores, in edito colle cuius alterum latus prærupti ſcopuli, ingens foſſa, palus difficilis; alterum firmiſſimi muri, crebræ munitiones, depreſſæ, extantes, hemicycle, inciſæ angulis pari laterum interuallo, tum obiectus vaſtiſſimus amnis, & ferox Rhenus, toto vt ita dicam flumine propugnabat. Ita cum agger altiſſimus, vrbis domos, ceu quodam dorſo tegeret; ipſe, murorum mole; muri, aut rupibus aut propugnaculis; vtraque, altiſſimâ foſſâ; Hæc autem hinc interiecto fluuio, inde reſtagnanti palude tegeretur? vim omnem hoſtis, dolos, conſilia Briſacum intercludebat. Quem enim locum relinqueret, aut agendis cuniculis, humus vliginoſa; aut inſidiis & ſubitæ impreſſioni, munitionum altitudo, aut vi apertæ & admouendis machinis, vaſtiſſimus fluminis alueus, vrbem ab vlteriori ripâ longo interuallo ſeiungens. Quid ergo facias illi vrbi, cui pro foſſâ Rheni gurgites; pro muris ſcopuli; quæ impoſita continenti,

non

non continenti,hoc eſt lubrico ſolo nec admittente veſtigia,non obſidendi modò, ſed adeundi, ſed conſiſtendi facultatem adimebat; cuius muros ante belli furor quàm oppugnaret,Rhenus ipſe quàm vaſtus eſt, & ante Rhenum firmiſſimæ muniriones, quibus tùm vtraque ripa, tùm ipſe alueus inſidebatur, expugnandæ; Luctandum poſtea cum palude, eò magis infeſtâ quòd vbique cedebat; diſiicienda caſtella pluribus locis circum diſpoſita; & quæ omnia cùm perrupiſſes,Briſacum adhuc ſupererat, ſic apparatu bellico tormentíſque munitum, vt officinam Martis: ſic refertum prædâ ex diuturnis excurſionibus, vt Pluti ſedem: ſic inſtructum præſidio militari,tectúmque propugnaculis, vt crederes fatum imperij eâ arce contineri. O fortitudinem tuam Heros Maxime, Saxoniæ tuæ lumen, quam tot impedimenta à conatu pulcherrimo non retardarunt!

Et illum quidem vt id tentaret impellebant multa;cauſa communis,proprius dolor,fortiſſimus miles; experta ſæpius fortunæ benignitas; & vt illa deeſſet, conſcius ſuæ virtutis animus; tùm vis inuicta neceſſitatis, & in perſpicuo metu amittendi parta, niſi vnâ victoriâ reliquis prouidiſſet,nihil non auſura deſperatio.Hæ inquam ſuberant tentandi cauſæ, ſed vt ſperaret, vt perficeret in tantâ copiarum paucitate,oſtendit res ipſa eius fiduciam hoc vno niti, quod regis inuicti auſpiciis dimicaret Neque vero dubitarim, quin illum dies noctéſque obſidionis inſtituendæ, tùm promouendæ conſilia agitantem, operiſque magnitudine addubitantem nonnihil, ſæpius hæc cogitatio confirmarit.

Per

Pergeret porrò quò illum fortuna Galliæ de ducebat. An hæsuram in Rheno, vel palude, quæ victrix ex Oceano emersisset? Frustrà rupes opponi & propugnacula, post Rupellam & Alpes. Aduersari naturam, sed fauere Ludouicum. Oppugnandas esse arces inuias, sed alatæ victoriæ nihil inuium; altissimas munitiones, sed è cœlo illam defluere; numerosos exercitus, sed eam, veluti Ludouico sacramento militari se obligasset, hactenus solitam eius signa sequi, sæpè etiam præcessisse.

Atque hinc nimirum extitit incredibilis illa virtus, quâ non modò capiendæ vrbi, sed tot exercitibus debellandis, cum exercitus parte suffecit. Ad nuntium obsessi Brisaci, repentinique belli flammam, eo protinus suis conuulsa sedibus tota Austria conuolarat, vel in lucro positura, si multo suorum sanguine, tantum incendium restrinxisset. Vndique haberi delectus, conquiri militem, qui iam essent in armis, cis & trans Rhenum deportari. Et quanquam vbique venientibus, obuia cum victore Vvimario eiusque auxiliaribus turmis, cædes & mors occurreret; properare tamen acriùs alios, insistere in vestigiis cæsi exercitus, emergere velut è mediâ suorum strage, & penè sub cædentium ferro crescere. Diceres reuiuiscere occisos milites, hicque fidem reperisse quod de hydrâ mentiuntur, vt tantus is labor nouum orbi Herculem approbaret. Quinquies profligati; tot victoriis enim vni prælusimus; cùm iam satis audaces videri possent, si Vvimarij nomen, si vocem, & illud formidabile carmen, vrge miles & feri;

ſi alacrem inceſſum equitis, ad pugnam de more, ad gloriam euolantis; ſi peditum ora, neque teli modò, ſed oculorum iactus ſuſtinerent: auſi ſunt; & optabamus: O eximiam fortitudinem noſtri & fœderati militis, qui aliud timeat nihil, quàm ne quid hoſtis minùs audeat: auſi ſunt inquam & pedem conferre, & conſerere pugnam, calentéſque adhuc à cæde ſuorum, vix bene cruore deterſo, enſes laceſſere; idque eò ferociùs, quòd iam illis in deſperatione ſpes omnis, & pro virtute, pertinacia Nam quis ille fuit, non impetus dicam, ſed turbo; cùm decretoriâ illâ nocte, quam lætiſſima nobis dies, Briſaco fatalis, proximè eſt conſequuta; hoſtes diruto vallo, ſuperatis propugnaculis, diſiectâ parte munitionum, oppreſſâ geminâ ſtatione, occupatis duobus præſidiis, reſciſſo ponticulo qui cæteris legionibus prębebat tranſitum, læti & alacres, tantùm non extortâ nobis è manibus palmâ, in noſtris caſtris volitarent. Cuius irruptionis tam fœda tempeſtas, cùm lauros collectas ſuperioribus bellis, prope vi ſuâ afflixiſſet; Quęro, Auditores, cuius fuerit felicitatis retinere auolātem victoriam, tam pulchro ſucceſſu ſuperbū hoſtem, in ipſo non tam certaminis quàm gloriæ curſu reprimere, obruere fœditate cladis quam intentabat, vbique cædere vbique fugare, delere illius ſanguine, quæ impreſſerat caſtris veſtigia, replere mole cadauerum diſiectas munitiones, & quo victori ſuauiſſimum, Briſaco potiri poſt ancipitem pugnam, & iuſtiſſimos metus, cùmque illius potiundi pænè ſpes omnis, hoſtili ferro acciſa eſſet.

Et

Et eius quidem deditione, cùm fœderatis optabiliùs nihil euenire potuisset; vt tamen in communi lætitiâ, Gallis esset iucundior; quia Ludouico gloriosa, non dubitauit strenuissimus Imperator, qui tantâ fortitudine eius auspiciis bellum id administrarat, rei confectæ gloriam, Regis felicitati acceptam referre. Et vero, an aliunde militis Galli; toties hoc bello probata virtus; patientia Rheni, quasi memor victi Oceani, etiam ipse aggerem reueretur; & in partibus fames, iam olim hostes Ludouici punire solita? Quibus ille argumentis inductus, quo die magnificentissimo apparatu captam vrbem triumphans subiit: At enim ô commutabilitatem humanarum rerum! Eóne Brisacum, fortissime Princeps; calere tunc plausu festísque vocibus victoris exercitus, vt post aliquot menses eiusdem lamentis & gemitu personaret? Siccine tibi triumphum instrui, quem funebris pompa exciperet? Vicisti igitur vt obrueret mors victorem? Ergo cùm tanta contentione arcem inuictam expugnabas, laborabas de sepulchro; vt ne qui viuus à charissimâ patriâ proscriptus fueras, ab eâ mortuus æternùm exulares. Quanquam vt exilium viuo indici nullum potuit, qui clausa quæque aperiebas armis, ita nec poteris claudi tumulo mortuus, cuius nominis gloria totum orbem latissimè peragrabit Brisacum stabit, non tam corporis tui monimentum quàm industriæ, fortitudinis animi, fidei in Galliam tuæ; Ibique sepultus inter trophæa, quæ tibi Gallis auxiliaribus erexisti, admonebis inde Germaniam tuam,

tuam, illorum conſpectu, ſi gloriæ ſuæ conſultum velit, eius principis gratiam ambiat, cuius fide & patrocinio, tot triumphos ipſe & immortalitatem nominis es conſequutus, Atque id ille ſæpius de Ludouico cùm dictis & ſcripto declararit, tùm illo die vt inſtitueram dicere, quo Briſacum victor ingreſſus, Regi, illius deditionem litteris laureatis ſic gratulatus eſt, vt ex iis intelligerent omnes, eum ſic conſtituere, obſeſſum à ſe Briſacum, fortunam regiam expugnaſſe. In quo vt facta cum dictis conſpirarent, militaria ſigna tot pugnis capta, ad eum miſit, vt inſignia victoriæ ibi defigerentur, vnde illa profluxiſſet.

Veſtiam fidem gentes exteræ, Principes, populi terrarum vltimi; audiueritis vnquam, vnquam legeritis, è principibus veſtris aliquem extitiſſe tam rarâ fortunâ, vt ſic tanquam gubernaret ſuâ authoritate incertos bellorum motus, ei cauſæ quam amplecteretur, gloriam & triumphos ſtatim adiungeret! Id nimirum Ludouico reſeruabatur, in cuius clientelam qui ſe contulerint, palam conteſtati in ſummâ partium proſperitate, ſe omnia ſua illi debere, ipſas etiam laureas triumphales, quas olim offerre numinibus vnis moris erat, in eius purpurâ, velut alter eſſet à Deo Bellorum Præſes, ſinuque deponunt. Triumpha Gallia tanta Principis tui felicitate; & eò quidem triumpha iuſtiùs, quod ne aliquando te illius deſiderium caperet, eam optimus pater Rexque melior, cum virtuti[illegible] cæteris, in filium tranſmiſit. Vt enim intelligerent om

omnes, ad ortum Delphini velut benigni ſyderis, res fœderatorum lætiùs ſe extuliſſe; ille idem eorum clariſſimus imperator, cùm ad Regem allegaret certiſſimos nuntios victoriç ſuç capta hoſtibus ſigna? nominatim fatale illud imperij vexillum in quo impreſſa aquila, Delphini cunis, vt ſoſpiti rerum ſuarum votiuum anathema, appendi voluit.

Ita ne vero ad Delphini cunas aduolet aquila, & ne effugiat, captiua? Creſce hac ſpe tenelle heros, hoc augurio creſce! certè ſi quid rectè coniicio; capi voluit, vt olim tecum in vltimum Orientem reuolaret. Geſtiit in conſpectum tuum venire, quia ſol aquilæ, præſertim oriens, in amoribus eſt. Imo ſe paſſa eſt ad pedes tuos abiici, quia lumen paternæ virtutis tibi ingenitæ, non ferebat ſatis, quæ ad radios ſolis non conniuet. Neque tamen vnum te, ſed & cunas tuas amauit imperatoriam ſedem, vbi hæres ſederet Ludouici. Hic enim ſentiant aliquando noſtri Principis hoſtes, quid hac belli flammâ quam alunt tam pertinaciter, fortuna Galliæ illis producat. Si enim aquila Auguſto ſæpius in manus veniens, ludenſque cum infante familiariter, imperium orbis verè portendit: diſcant ex hoc augurio, non explicantis ad ludum pennas aquilç, ſed ad cultum & reuerentiam demittentis, niſi cum Ludouico, ad æquas pacis conditiones confeſtim veniant, hoc belli motu, Delphino fructum paternæ virtutis, hoc eſt imperium florentiſſimum parari.

Et verò vt fortes ſint & bellicoſi, quid obtinue

tinuerunt hactenus, quàm vt à Galliæ fœderatis in Germaniâ vincerentur; à nostris autem exuerentur eâ Galliæ parte, in quâ Belgium olim constituerant. Dùm enim hæremus ad Rhenum, reflectit cursum victoria, & ne qua vitæ pars serenissimi Delphini, parentis triumpho vacet; ne qua regio lauros ipsi non ferat, vt nulla non debet; inuictum exercitum, ad vberrimam gloriæ segetem in Flandriam educit. Quæ illa Dei tam constans in nos benignitas, vt maximæ lætitiæ sensum, maiori obruat? Desinant Principes de instabilitate felicitatis humanę queri; in illâ constantiam non desiderabit, quisquis merebitur. Parcant inquam illis suis vitiis fortunam onerare. Leues ipsi in omni vitâ, leuem faciunt. At certè constantem in beneficiis Ludouicus experitur, quia ex quo virtutes omnes in intimum pectus admisit; admisit autem, pænè ante, quàm nosset; vitæ perpetuitate, hoc est continenti morum sanctimoniâ, sibi consistit. Itaque cùm hactenus sic fortuna certarit cum eius virtute, vt expedire nemo possit, vtrum melior Ludouicus aut felicior, crediderim eo consilio diuinam mentem, tot honoribus illum cumulauisse, vt intelligerent principes cæteri, deflorescere quidem citò eam felicitatem, quam improbitas alat; quæ autem virtutis radicibus sit innixa, eam florere perpetuò, & se lætius in dies efferre. Ecquam enim partem huius anni quem percurrimus, victoria nostri militis ad Rhenum implet? Ibi Brisacum ouans ingreditur; & aliquot menses vix intercedunt, cum in

Flan

Flandriâ de Hesdinio triumphat. Obstupescebat Germania munitissimam vrbem, Regis auspicijs expugnari potuisse; cùmque adhuc admiraretur vim sibi fatalem, quam tantopere reformidat, Belgium experitur, auditque obsessam arcem è suis, eam, quæ inuictam se se inscripserat, vim nominis impletura, nisi Ludouicus oppugnasset.

Nolite Auditores: hic expectare dùm ad illustrandam victoriam nostri exercitus; Hesdinij propugnaculorum molem, firmitatem muri, altitudinem aggeris, fossarum latitudinem, non angustâ aquâ, vt solet in sicco, sed velut è mediis terris educto fluuio altissimè redundantem, molitionum formam multiplicem, ambitiosâ oratiõne describam. Qualis fuerit arx ista, rectiùs licet æstimare; & ex sententiâ eius qui cœpit, & ex eius sollicitudine qui condidit. Namque excepta est victoriis ista vox, cùm diceret, hanc arcem omnium quas vidisset, sibi optimè ex artis disciplinâ descriptam videri. Quas autem non vidit qui tot in Galliâ, in circumiectis regionibus tot cepit? Qui verò illam extruxit cautissimus Imperator, is quàm inhians Galliæ, tam Belgio suo ab illâ metuens; cùm videret reliquas partes ditionis suæ, aut Alpium niue ac vi frigorum, aut tempestatibus ac procellis interiecti maris, aut Pyreneis iugis à Gallia tegi: hunc præsertim Belgij aditum nudum & inermem, nostris armis & vindictæ patere; gauisus opinor hanc oblatam occasionem, in qua naturam vinceret; excitatis propugnaculis in altitudinem montium, vbi

mon

montes nulli ; accersitâ aquâ admodum iusti fluminio , vbi tenuis riuus ; demum obiecto Hesdinio , ita existimauit , se illac Belgium nostris copiis obstruxisse, vt non amplius rupes & maria desideraret. Itaque quòd alpes Hispanico in Italia principatui , quòd Hispaniæ ipsi saltus Pyrenæi & Oceanus ; id Belgio ad montem Caroli Quinti Hesdinium erat. Quin & hac parte videri possit tectiùs reliquisse, quàm se natura muniuisset ; quòd natura necessitati seruiat ? is perpetuæ contentioni quę illi de gloria cum hoc imperio fuit , velificaretur ; necessitas autem angustos terminos habeat , ambitio, nullos. Quamobrem qui aspiciet hinc Oceanum & rupes , quibus communes terminos Hispaniæ & Galliæ natura diremit ; inde molitiones quibus Carolus V. illac nobis interclusit Belgij aditum , arcis firmitatem, multitudinem tormentorum, apparatum suppellectilis bellicę;aspectu primo is definiet;Naturam parentem gentium omnium, pro charitate communi priora opera excitauisse, vt vtrimque iniuriam propulsaret ; ista principem nobis infensum , vt inferret.

Neque verò diu eius conatibus & spei , arx ista defuit. Hæc immissis populatoribus vastare agros , alere frugibus nostris suorum audaciam , incendiis finitimæ regionis , nomini suo splendorem quærere , ferro passim flammâque grassari , quasi timeret ne videretur extructa temerè , nisi Europæ consilium fundatoris sui , Galliæ cladibus approbauisset. Quid arcem appello ; caueam diceres , è qua Belgicus Leo exertis vnguibus , in fines nostros ad

rapinas

rapinas & stragem exiliret. Hæc plusquam Nemea pestis, manum Herculea fortiorem requirebat Aduolauit Ludouicus, & animal bellicosum, in illo suo cruento cubili, non tam armis, & manu, quàm oris specie, & luce Maiestatis oppressit. Maiestatis inquam, quæ princeps virtutum omnium, principem locum pro iure suo in hac expeditione sibi vendicat: Et cæteris quidem fuit laus sua; Prudentiæ in delectu Legati, in quo fides singularis cum pari fortitudine coniuncta, vt altera exequeretur, quæ altera præscripsisset; Iustitiæ, in continendo milite, qui metuendus vni hosti, quàm in illum acer, tam inter se amans, ita ciuem agebat in castris vt in acie & foris militem reliquisse videretur; Pietati, in cura sacrorum & Religionis, cui vt seruiant sui, non minus exemplo præest, quàm fortitudine perficit vt gentibus cæteris imperent. Sed cùm Prudentia, Iustitia, Pietas, suos omnes numeros expleuissent; parcite, virtutes Regiæ; etiamnum adhuc Hesdinium stabat. Opinor vt agnoscerent vicinæ gentes, remotę, disiunctę montibus, diuisæ Oceano, Europa omnis, quàm esset orbis imperio digna Ludouici Maiestas in summa humanitate, cui vni arx inuicta cessisset. Quid enim illud fuisse causæ dicam; cur eo tempore quo partem vrbis, quâ disiecto muro ruina laxior, nostri oppugnabant audacter, illi feliciter propugnabant, vix pedem in castra Rex posuit, & continuò missus ab hoste est, qui de vrbe dedenda conditionibus certis transigeret? Neque verò me latet de bellico

com

commeatu aliquid defuisse; sed nec ipsi negauerint obsidionem, nihilo seciùs ad tempus longiùs extrahi potuisse. Idque vt auderent, auxiliaris exercitus, quanquam inani spe ferendi subsidij, spe tamen & præsentia sua commouebat; vt tutò facerent cauerant ipsi, quà fossâ intrinsecus ducta, quà multiplici obice oppilata murorum ruinâ; nostri vt paterentur, loci iniquitas, vix satis fermè cohærens ponticulus quo tentanda irruptio, & ingens ille pro muris telorum apparatus, vel ab inuitis extorquebat.

Nemo homines illos manu tantùm fortes existimet, vt toti vincantur etiam ingenio pugnant. Nunquam propiùs abfuit à fœdissima strage noster miles, quàm cùm existimatione sua, de victoriâ securus, ne eius fructu careret, se ad irruptionem in obcessam vrbem, ad eius direptionem comparabat. Quâ parte irrupturus videbatur, aream illius propugnaculi; vt est furor ad maleficium promptus; tristissimâ ferri messe conserunt, infixis vbique stimulis, prominenti cuspide, hamata, vibranti, vncinatâ, spissis ordinibus, implicato ductu, fallacique; vt quem eò detulisset præceps impetus & incauta fortitudo, nec consistere sine summo cruciatu, nec perrumpere ob materiæ firmitatem, nec euadere ob ambages ex illo ferali labyrintho, neque extrahi nisi lacer, inde posset. Et quia quò ardentius inueherentur, futurum erat, vt eò altius acuminibus illis se induerent, quod obsessi solent deprecari, id Hesdinij tunc votum erat, quam audacissimè nostri irrumperent.

Neque tamen in his operibus ſpes vna. Quà murus lacer immani hiatu labem duxerat,adiectæ machinæ,aſpectu, mole terribiles, & adhuc infra modum tam diræ peſtis,ille terror. Vt ne dubium eſſet quin ab inferis emerſiſſent;intendebantur enim aduerſus Ludouicum iuſtum;inde ipiſis accerſita appellatio,& inuentorem Dæmonem, nomen prodidit. Nihil eſt timore ſolertius, vel idcirco metuendi ſunt qui timent, quod quia minus fidunt ſibi,quaquà viâ ſibi caueant,magnitudine periculi, induſtriam euocante. Deuoluebant vtrimque rotæ duæ feralem accem,alto ſulphure nitroque oblitum, vt facilè ignem arriperet, & arreptum diu foueret. Crudelis machina (iam ſentio horroris neſcio quid,ex illâ in orationem influere)egeſto ligno natiuis ſedibus,víxque iam lignea,rigebat intus intruſo ferro foraminibus plurimis, & grandioribus ex ære globis,qui excauati, & anguſto ore facti affatim tormentario puluere, & inſidiis ſuis in lucem vi flammæ,ſine diriſſimâ ſtrage non proſilirent. Tum dirum ſtipitem; Megeræ trabem rectè diceres; filo ſulphurato medicatus fomes obliquo ductu vndequaque cingebat, per quem momento ſerperet admotus ignis, vt cum incidiſſet in concipientem comprehendentémque materiam, quæ totam machinam paſſim oppleuerat, ardore flammæ effracto ſinu fœcundæ peſtis, illa, partu vipereo cædes & mortes, longè latéque diſſeminaret. Namque vbi illam ignis impetus, facili rotarum lapſu, per ſubiectum tabulatum in noſtros deuoluiſſet,plurimorum periculo omnium metu;in illâ trepidatione, quàm multiplici ſtrage, eniten

enitentem in muros exercitum, malum multiplex oppressisset, obtriti, quibusque obuiis ipsâ mole, proximis absumptis gne. remotioribus obrutis globorum dissilientium, moxque diffractorum; & quale id malum cuius minima particula sit lethalis. Hoc est incensi ferri dirissimâ procellâ; cæterorum denique mentibus, quos præteriisset molis pondus, ignis furor, æris crudelitas, horrore luctu in tam fœda lanienâ, altissimè vulneratis Quid igitur causæ fuit, cur, cùm hostes iis machinis instructi essent, quæ murum defensoribus vacuum per sese tuerentur; bis mille milites illum acerrimè propugnarent, præsentia exercitus auxiliares animos faceret: sub id temporis punctum, quo Rex ad vrbem propius accedebat; illi calentibus adhuc animis à felici pugnâ, velut subito horrore perculsi ex præsentiá tanti Principis, de pace, medio in conflictu, & vrbe dedendâ pepigerunt?

Cuius facti rationem si liceret percunctari ex optimo Rege, vt facillimos habet aditus; quærerémque; num illud est tribuendum Regum Maxime, augustæ Maiestati, quæ ex congressu cum Deo familiari tibi insidet? quàm altus pudor, probum illud os, & tunc in eâ purpurâ verè regium, occuparet. Tacentis illud est. Nihil habet Rex sanctissimus, vnde in omni vita, nisi in suis laudibus erubescat. Sed vt dissimulet, res ipsa loquitur; Hæcque hostium insperata trepidatio rebus integris, satis significat, dedendæ vrbis eo die causam, in personâ Clarissimi Principis, augustæque Maiestatis vi propè diuinâ, constitisse.

O te fortunatam Gallia, id memoriæ prodi, id mandari litteris, id in omnium gentium ore verſari, tibi principem cœlitus obtigiſſe, tam excellenti virtute, vt eius ſplendor inuictas arces expugnet! Hoſtiles muros baliſtis ingentibus laceret Alexander, Cæſar cuniculis euertat, igni corrumpat Attila, Cimon aqua diſſoluat? Et quidem bellicis artibus, quot Poliorcetes noſter diſiecit vrbes? hoc ſupererat quòd ipſi proprium, aſpectu ſolo, tacitáque præſentiâ Heſdinium caperet. Hincque iam inter machinas militares, Maieſtas Ludouici. Excitent excitent illi muros in immenſam altitudinem, agere fulciant, tegant obiectis munitionibus? En nouum genus tormenti bellici cuius vim nullus obex debilitet, Ludouicus accedens vel non viſus.

Atque inde incredibilis illa veneratio, quâ Heſdinij ciues factâ deditione, ita Principem noſtrum exceperunt, vt nunquam ſuos. Ingredi placuit ruinâ muri, vt illac Heſdinium ſubiret ſalus, quâ vaſtitatem metuebat. Hiabat ille, diſiectus vndique, ingenti labe. *Hac iter ſternitur.* Sic quondam tibi Princeps inuicta, ſic, olim inuicto filio, orientis vrbes, ſolyma pateat? Neque verò neceſſe fuit, ornare viam magnifico cultu, quâ ſe tantus heros inferebat. Ludouico, quiqui ſit via quam ingreditur, triumphalis eſt. Reſonabant caſtra victricia feſtis vocibus, neque minor lætitia vrbis captat. Qui armis inter ſe anteà, tunc in optimum Regem reuerentiâ certabant. Par gaudium & ex eius aſpectu, victos prope cum victoribus commiſcebat. Omnibus

bus in diſſimillimâ ſorte eiuſdem fortunæ vultus. Vtrique ſibi videri felices, vtrique viciſſe. Et rectè videri. Noſtri quidem, quòd vrbem firmiſſimam ad imperium Ludouici adiecissent. Illi, quod Rex Iuſtus, rara felicitas, ſibi clade ſuâ obtigiſſet. Ergo illi vt ad ſpectaculum inſolens vndequaque conuolabant. Inſidebant muros conferta multitudine, iam Plebs Gallica; & vt oculos diuinus Princeps, vt manum, vt pedem mouerat; ita nihil illi non ex regiâ dignitate; obſtupefacti inſolitâ maieſtate, admirabantur, exclamabant. Iamque illa omnium erat vox vna, non ſibi Libertatem, aut opes, ſed vitam duntaxat Ludouico precabantur, quaſi ſecuri bonorum omnium, ſi viueret. Primum illud fuit infantium votum, quod ætas reliqua dolebat tam ſerò concepiſſe. Ibant in verba parentum; atque inde iſtorum maior lætitia, dum ſuam hanc vocem, tenella proles, amoris magiſterio ſponte refert, & ſubſequens præeuntes, feliciſſimum illud carmen Viuat Viuat Ludouicus, balbutienti linguâ accinit. Et quos ego currus cum tam felici gratulatione componam. En triumphus Rege optimo dignus; ſeruare ſuos; ab hoſte diligi. En pulcherrima pompæ fercula; non captiui duces, non ad ludibrium traducta in vinculis hoſtium multitudo, non ferri ſtridor, non in vultu captiuorum mœror altus, & miſeriæ ſuæ color, oraque vel metu, vel pudore deformata: ſed feſti plauſus nulliſque querelis interrupti, eorum ſalus qui perire voluerant, vnus hoſti in ſummo gaudio, ex pertinaciâ dolor,

lætitia manantes lacrymæ, & eadem in victis species, quæ victoris esse solet. Anne illa est hominis virtus? efficere vt ne victi, miseri sint; ne peccarit in illos fortuna; ne obsit captis sua clades; ne victoria sit insolens; illam exigere ad seuerissimos mores victoris; fastidiosum & arrogans ingenium felicitatis, ad modestiam erudire; hacque re vnâ lætari præsertim, in clarissimo triumpho, quod nullius incommodo sit felix; denique cùm hostes, vix nomen illud infestum vnà cum armis posuissent, iam erga illos Principem, hoc est in Ludouico, iam patrem agere. Itaque & permissi sunt viuere legibus suis, & relictæ immunitates, hocque vnum victis detractum est, vt quia Regi inuicto se dediderunt, ne amplius vinci possint.

Laudamus autem quòd vrbi captæ pertinaciæ pœnas, & pudorem cladis suæ remiserit; sed illud eidem quàm honorificum, cùm vti contestaretur quid de illâ sentiret, virtutem ducis, qui tam fortes viros adiunxisset ad imperium suum, honore amplissimo cohonestauit. Ingens illud acceptæ calamitatis victis solatium. si victoriam suam laudet victor; & penè tristior omni clade fastidientis illa vox; non erat tanti. Debent id Ludouico Hesdinienses, quòd ante illorum vrbem quàm lustrauisset, declarauit munificentiâ regiâ in Legatum fortissimum, quàm sibi viderentur digni, quos tanto labore ad Galliam adiecisset. Sciebat nimirum optimus meritorum æstimator, quid is perfecisset totâ obsidione, vigilantiâ, fide,

con

consiliis, manu, sæpè appetitus hostium telis, semel etiam vulneratus, vix ereptus alias, occiso eo qui ad latus erat, vbique quàm laboris & operæ, tam sanguinis & vitæ prodigus. Pœnè interfuerat præsens factis omnibus, & quòd ei viro longè illustrius, iam ante cùm imponebat Legati partes, hæc omnia perfecturum iudicarat. Apud principes vulgò, non alia merces rectè factorum, quàm in facientis conscientiâ ceu quia, cùm sciant sibi à subditis deberi omnia, illud etiam eos debere existimant, quod soluerint; ceu insito hominibus vit o, quibus si industriâ tuâ quid contuleris, vtilitatem ex eâ perceptam amant, industriæ inuident. Illud ceu principatus, ceu naturæ nostrę vitium, Ludouicus summo virtutis bono natus, suâ iampridem humanitate correxit. Videbat Hesdinij disiectos muros, fortitudine strenuissimi ducis sibi patere; ex illorum ruinis excitat munificentiæ suæ theatrum ingens, atque in illo ipso vrbis aditu, inspectante pro muris ciuium coronâ, in præsentiâ victoris exercitus, circũfusus ingenti turbâ primariæ nobilitatis; huc mentẽ, huc oculos Europa omnis? Augustus Princeps è ruderibus illis, nã quid ei solio opus, vt Regem agnoscas, quem tanta virtus orbis imperio dignum indicat? amplissimum magistratum inter militares, si ab vno discedas, eo gestu, eâ facilitate vultus blandissimi illi detulit, ac si ipse beneficium accepisset. Quis autem nisi obtimus Princeps se beneficium putet accipere, cùm ponit? Neque omnis in dono munificentia. Auxerat oris hilaritate, sermone ornat; cùm vti fertur Iuppiter aliàs ad monstrorum interitum, clauâ Hercu-

lem armauisse visus est dicere Rex Iustissimus, se idcirco ei deferre magistratum illum, cui claua pro insigni, vt si diutius grassari pergeret in regni fines hostilis leo & suum esse Herculem Ludouico sentiret. O te felicem, Eminentissime Richelæe; aderas enim pars magna celeberrimæ pompæ; atque vt ante Ludouici tui laborum socius; ità nunc facti pulcherrimi testis & admirator. Te felicem inquam! non illis quidem, tuorum, honoribus, quos nec aspernandos si in ills sit virtutis significatio, nec expetendos existimas; sed quòd tuis, ad honores amplissimos, sua virtus, aditum patefecisset. Tibi enim omnem felicitatem reuocanti, ad Ludouici tui gloriam, qui, vt hostibus huius imperij consilijs tuis terribilior videtur, ita suo in te amore iustior; tibi inquam quid optatius euenire poterat, quàm si is excitaret subditorum industriam ad pulcherrima quæque amplitudine præmiorum, & suis factis pulcherrimis, illa præmia mererentur. Neque verò magis te oblectabat quòd dux sanguine tibi coniunctissimus, virtutéque propinquior, honorificentissimum munus sic acciperet, quàm quòd optimus Princeps sic conferret.

Quid enim in eo facto non regium, & ex altissimâ quadam animi prouisione? Bene, bene Rex Iustissime, quòd in ruinis vrbis captæ, vt esset idem campus gloriæ, qui laboris. Bene quòd inspectante ciuium turmâ, vt agnoscerent recentes subditi, vigere in Galliâ munificentiam; nec id tantùm pro præmio, si aliquid de supercilio Princeps remiserit; esse meritis locum apud Regem; & eum, quàm in

ig no

ignoscendo, hominem se meminit, tam in remunerando Principem agere. Bene quod citò, ne quid deflorescceret de gratiâ, omnésque admirarentur in summa sapientia, parem vim mentis, vt quæ illâ acutè prouidit, hæc celeriter impleat. Benè quòd in præsentia Galliæ nobilitatis, vt intelligeret labores suos apud te, non minore cum fructu, quàm gloriâ collocari; sanguinem suum tibi charum esse, cuius pretium amplissima dignitate persoluas. Verbo dicam; id beneficium quod in sinum vnius effudisti, tibi vberrimam laudum & gloriæ messem afferet. Testimonium illi rei bene gestę, illustri præmio reddidisti, plures olim merebuntur; adcóque in summâ tuorum conditione benemerendi de beneficentissimo Principe, id eueniret aliquando quod optas, estque in principatu felicissimum, vt quanquam sis in largiendo liberalissimus, munificentiam tuam, subditi meritorum amplitudine superent.

Neque verò hîc aberro à suscepta materia, qui dicturus, de prospero cursu rerum nostrarum toto anni curriculo, ad commendandam liberalitatem Principis nostri me conuerto, quàm enim hoc loco magnificè me iactarem, si esset animus singula persequi, quo plausu hæc oratio exciperetur, si exclamaré, nobis eum regem obtigisse, qui rebus iis quas gessit hoc anno feliciter, ea velit accenseri quæ liberaliter suis contulit; ratus, quòd vtinam Principes cæteri audire vellent, nullâ re propius ad Deum Reges accedere, quàm si bonis subditos augeant, faciantque felices. Sed quàm multa necesse est præterire, Ludouci virtutes, & victorias enumeranti.

Iam enim hac in victoria, nunquid ipsâ Hesdinij deditione pænè maius, intra quadraginta dies quibus obsidio tenuit, in summa pertinacia hostium, vix trecentos è nostris militibus desideratos fuisse, tùm illud aliud quàm supra fidem. cùm Legatus idem ad sanctum Nicolaum in hostilia castra irrumpens, Galliæ pretium recens acceptæ dignitatis, fœdissima hostium strage persoluit. Huc adde quæ mari gesta sunt. Illic obsessa naualia, vbi cùm hostis pugnæ deesset, pro victoria, is ipse illorum timor fuit. Ibi occupatos portus, intercepta nauigia, direptas vrbes. & quòd pretiosius omni præda, in ruinis vastatæ prouinciæ, erecta Gallicæ fortitudinis trophæa. Adde oppressam à fœderatis numerosissimam classem, adhucque eius incendio fumantem Oceanum, incensis pænè omnibus nauibus nisi fortè quas naufragium, vel seruitus peste vtráque peior, igni subduxit. Adde quæ cæteri socij & à Galliâ procul, terrâ fecerunt. Iis enim tantùm insistit oratio quæ Gallo duce vel milite, sunt confecta. Quanquam illorum rebus secundis, peræque lætetur Ludouicus ac suis. In quo quàm eximia virtus? siquidem boni Principis est res afflictas sociorum subleuare, nonnisi optimi amare florentes; hoc hominibus innato vitio vt amicos neque miseros videre, neque beatos ferre possint. Adde tot expeditionibus attritas hostium copias, quàm minimâ nostrorum iacturâ. t quantæ illud felicitatis? cùm præsertim nihil paulò commodius ab illis hoc anno gestum sit, quin eos suæ felicitatis pœniteret. Iactent se in incommodo Thionuillæo;

quâ autem conſcientiâ noſtræ felicitatis, retracto vulnus, vel altum eo nomine, quia inſolens & nouum? ſed nihil diſſimulabo; nam fortuna hanc iniuriam tam prolixo fauore obliterauit, vt videri poſſit, id ipſis quaſi quadam præuaricatione conceſſiſſe. Dicant è legionibus aliquot interceptis iniquo loco, impari numero ſine equitatu, nonnullos interfectos, nonnullos captos; pari vtrorumque laude quòd hi, nollent ſupereſſe cladi ſuæ, illi, poſtmodùm vlciſcendæ ſe reſeruarent; dùm fateantur, quòd ipſa res cogit, non pauciores è ſuis in eâ pugnâ cecidiſſe; moxque victorem exercitum, obſeſſo Mozomio infirmâ vrbe, & cui tantùm pænè pro muris ciuium pectora; ô verè Galli! pluribus ſuorum occiſis, quàm haberent in poteſtate è noſtris captos, funeſtam ſibi victoriam, ad eius muros reuomuiſſe. Neque verò in Italia ſibi de quorumdam proditione impenſiùs gratulentur, cæperint aliquot ciuitates, non illarum muris, ſed fide venali pæfectorum auro & præmiis expugnatâ. At recepto Ciuacio fati quoddam omen ineſt, quid paret vrbibus reliquis, noſtrorum hominum fortitudo, ibique accepta ſtrages admonere videtur, parum fidam eſſe felicitatem quæ fraude nititur, & qui nonniſi auro vincant, ferro facile expugnari. Et verò ſe iam opinione ſua victos faſſi ſunt, cum in medio curſu victoriæ, de induciis tùm ineundis, tùm prorogandis, ea egerunt contentione, qua victi ſolent. Nam quid hîc attinet commemorare quæ ab illis geſta in comitatu Ruſcinonenſi, cuius expeditionis nunquam ipſis in men-

tem veniet, quin meminerint ſupra decem militum millia neruos ac robur Italici, Belgici, & Hiſpanici exercitus ſibi in ea periiſſe, præſidij Gallici eiuſque permodici patientiâ aut ferro conſumpta.

In quoquidem ſi res ipſas lætiores tot incommodis fortuna perſperſit, victiſq; ſimiles videri poſſunt, vbi vbi vicerunt quid de illis ſtatuendum, mentem ad initia huius expeditionis reuocanti. Quanta lux effuſa ex illis partibus, repente dicendum circumfundit? Quis ille ſplendor armorum victricium ſereniſſime Condæe, vt ab eo Biturigæ tuæ tot interiectis regionibus ſic colluceant? Nemo iam dicat Pyrenæos montes immani rupium altitudine prominentibus Saxis, ſolo non ſolo, ſed ſilice & ſi quid durius; in ſumma ſterilitate, ipſis incolis horrorem duntaxat metumque gignere. Fertiles abundè ſenſimus, in quibus victor exercitus tot lauros collegit. Diceres ex auguſto Condæi vultu, effundi ſubinde in ſubiecta ſaxa, ferax gloriæ ſemen, quòd ſtatim efflorceſceret in palmas. Equitatus hoſtilis, ſe montibus ſuis abdiderat excepturus venientem; prima congreſſione profligatus eſt, nemo vt iam dubitare poſſet de felici exitu expeditionis ſuſceptæ in hanc prouinciam, cuius aditum, ipſa victoria, ſuis veluti manibus, noſtris copiis reſeraret. Quàm autem felix illa congreſſio, cuius præmium fuit arx opulenſis, altiſſimo monti inſidens, difficili viâ, anguſto aditu, non tam armis, quàm armorum metu ad deditionem compulſa.

Atque ex eo altiſſimo iugo, cùm Sereniſſimus

mus

mus Princeps, tam firmis copiis, hostili regno immineret; quis omnium terror, quæ trepidatio? cùm præsagirent, quàm fœdam procellam, nubes illa Gallicæ nobilitatis, breui esset effusura. Et verò vbi detonuit, prorupitque ex illis montibus; euersæ statim vno impetu obuiæ vrbes, vastatus ager, direpti commeatus aut corrupti, obsessæ Salsæ, omnis pænè prouincia quàm latè patet, Schombergij aliquo facinore illustrata. Ibi imminet hosti, ibi congreditur, & dùm vnum omnes sæpè conferti circumsistunt, vnus confertissimos ordines, manu illâ victrici, quam ad Leucatam haud dudum senserant, sibi & suis aperit; vbique cædit, vbique fugat; vix inhibet cursum victori Oceanus ipse; vix satis Perpinianum victos tuetur, ad cuius muros vbi semel se receperunt, velut obstupefacti metu, vel quòd vtrique gloriosius, admiratione tantæ virtutis, ità se continuerunt per aliquot menses immoti sub firmissimis munitionibus, vt inde nec agrorum depopulatione, nec villarum incendiis; quis iam illos neget patientes; nec Salsarum excidio auelli potuerint; rati benè consultum rebus suis, quæ fuit illorum de ducibus nostris opinio, si cladem exercitus sui, quouis pretio, adeóque vel iacturâ munitissimæ arcis redemissent.

Et in eius quidem expugnatione, vt tua Condæe, fortitudo triumphauit? Atque vtinam illi tantùm in te iuris non esset! Quàm enim propè vota nostra decepit, interuertitque innixam in te spem victoriæ, cùm tot periculis, augustum id tuum, nostræque rei, & totius

exercitus

exercitus caput obiiceret Quoties hę auditæ ſunt de illa querelæ amantiſſimi exercitus, nùm tibi abundè laudis eſt ex virtutibus cæteris, vt militibus tuis audaciam permittas? Noli periculo noſtro fortis eſſe. Quid vnus omnia tibi aſſumis? Manus noſtras ſolemni Sacramento tibi deuouimus, & pugnas pro nobis? An prouidentiâ ſingulari tot quotidie à ceruicibus noſtris auertis pericula, vt in maiora te coniicias? Vetas propius muris ſuccedere,niſi tuto loco,& iniquum tibi deligis? Grandis illa ex ære pila,quæ non ſine cæde in tentorium tuum irrupit, adhucque fumat tuorum ſanguine, pænè quin vno vulnere nos confecerit. Quò tua illa ſollicitudo de noſtra ſalute, ſi ſtas ſub ictu, & per latus tuum patemus vulneri: Patere tibi tantùm timeamus, ac tu nobis. Vigilantia tua, omnes hoſtium conatus eludit, belliſſime prouehit noſtros ſolertia; vnum hoc ad laudis cumulum tibi deeſt, nos ſecuritas tua, ſecuros præſtet. Atque iſta dùm illi coram; ingeminabat hinc eadem, quæ perpetuò pro te excubat noſtra ſollicitudo, eoque magis anxiè, quod abſentium timori, quia nihil certi obiicitur in quo conſiſtat, humana omnia illi metuunt. Vt iſta nuntius ad nos attulerat cohorreſcebamus totis artubus, nec cuiquam tanta lætitia ex ſalute tuâ, quàm ex periculo metus. Et videbas quidem duces tui quantopere commouerentur; quàm autem hæc nos cura tangeret, ex amore in te noſtro,& tuis meritis intelligebas. Neque tamen illorum noſtræque preces obtinuerunt, vt de audaciâ tuâ quidquam remitteres? Vnum eſt

quòd

quòd à facillimo Principe non impetremus, vt ſibi caueat in communi periculo, vt nos, vt hoc imperium minus amet. Ergo vbi diſiecto muro anguſtus in vrbem aditus, ruinâ patuit, quaſi minus illud eſſet militum animos, ad rem bene gerendam verbis, incitauiſſe; facundas etiam manus habere voluit: Perorat ingenti pecuniâ, atque vt ne minus vitæ prodigus videatur, vix irruperant primi ordines, vt irrumpens ipſe, cæteris quòd ſupererat, exemplo præeſt. O Principem nominis ſui! O verè Regij ſanguinis! O verè Primum! Quô enim interuallo Principes reliquos fortitudine ſuperat, qui tanto ſpatio pœnè totum agmen, in conflictu tam periculoſo anteceſſit?

Et hoc quidem factum eò illuſtrius; quòd illud in oculis ferociſſimæ gentis defixit, & dùm enititur in aduerſum murum; dùm ad anguſti aditus modum, auguſtum corpus componit; dum ferit hoſtem, & referientem obtruncat, prope quin illo fragore armorúmque fatali ſono, totam illam prouinciam perterrefecerit. Hactenus in regiones procul inde ſemotas huius belli tempeſtas detonuerat & ſi quid ibi à nobis geſtum feliciùs, illud non tam fortitudini Gallicæ, quàm illarum gentium imbecillitati & ignauię aſcribebant. Audiebant ſæpè prima impreſſione captas vrbes, fugatos exercitus, ſed audiebant. Nuntiabatur quot annis è Belgio noua aliqua ſtrages, & prouincię illata vaſtitas. ſed nuntiabatur, & quòd ſolet ærumnoſis euenire, miſeri Belgæ, non ad miſeri

ſericordiam ſui ſuperbos ſocios, ſed velut in illis obſtupefacto quereli s aſſiduis miſericordiæ ſenſu, ad contemptum adducebant. Oportebat vt illi tandem cladibus propriis atque vulneribus, non lachrymis & gemitibus fœderatorum, de nobis crederent. Vt miſſi eminus teli cuſpis, ita timor omnis è longinquo, minùs altè deſcendit. Non ſaits abſentium mentes, exercitus noſtri terror, præſertim Pyrenæis montibus interiectis commouebat. Quando nuntij perferebantur de rebus à Ludouico terrâ marique præclarè geſtis, partim diſſimulabant, partim exiſtimabant, aut ea in maius augere famam, aut falſa veris metum affingere. Oportebat arma noſtra propius intuerentur, vt bellum odiſſe diſcerent, vt è Duce Imperatorem, è Prorege Regem, ex Henrico Borbonio, Ludouicum metirentur; vt cernentes heroëm regij ſanguinis, enitentem in diſiectum murum, nullâ habitâ dignitatis ratione, imo habitâ, nam ante ſuos enitebatur; agnoſcerent inde, quàm infeliciter in ſe concitauiſſent Ludouici arma, pro cuius gloriâ, illuſtriſſimi Principes, euſmodi pericula ſibi depoſcerent, ad quæ ſuſcipienda, vix è ſuis ipſi gregarium militem compuliſſent.

Ex quibus cum pulcherrimum facinus tantopere commendetur; ibit ibit in longa ſæcula. Condæum dum Salſas expugnat, murum inter primos conſcendiſſe; oſtendénſque ſera poſteritas quà fecerit irruptionem, quàm muri partem victor preſſerit, facile patietur obliterari, quæ in Hiſpaniâ quondam ab Annibale

nibale fortiter gesta ad Saguntum, ad Carthaginem nouam à Scipione Maiore, à Minore ad Numantiam, à Pompeio ad Calagurim, quòd vnus heros, tot retrò sæculis, facto simili, eorum gloriam longo interuallo superari. Vt enim par illorum fuerit fortitudo, at causa dispar; & in isto quidem eò laus maior, quod ab illis ita perfecta sint, vt inferrent bellum, à Condæo autem vt propulsaret, vt facinore tam illustri, ad pacem cogeret fortissimam gentem, quæ si positâ contentione, nobiscum aduersus Barbaros armorum societatem inire velit, felicius eorum cladibus, quàm suis experietur, tam eos vti beatâ conditione, qui se Ludouico victoriarum administros præbere velint, quàm illorum est luctuosa qui eius in se vim, & arma conuertunt

Id autem vt aliquando sibi persuaderi patiantur, si minus ab illis impetrat pacis amor, ac commune bonum Reipublicæ Christianæ: at extorquebit omnino felix ille cursus rerum secundarum, in Germaniâ, Belgio, Hispaniâ ipsâ, hoc anno primo ab ortu Serenissimi Delphini; qui cùm æquè faustis initiis alterum ineat, iam exercitu nostro, in Italiâ, quòd defuerat vnum adfelicitatem anni superioris, triumphante; profectò verendum ipsis est, ne si diutius, ad honestas pacis conditiones venire nolint, mirum quantum Fastos Gallicæ Felicitatis, cladibus suis amplificent. Quàm enim illis id ominosum, quòd anno vertente nati Delphini, occupato Brisacho, Hesdinio, Salsis; tam feliciter nobis patefacti

cti sunt tres illi aditus, quibus Germania, Belgium, Hispania claudebantur, ac si ipsemet Carolus Quintus, qui has regiones ad Austriacum dominatum adiunxit, iam nobis æquior, in hæredem adoptasset Augustissimæ neptis filium, eique ad imperium orbis è cunis euolaturo, iam inde suas omnes prouincias reseraret. Vulgò creditum est transire vrbes in eorum fortunam, à quibus extructæ fuerint, neque verò quicquam Athenis & Romæ, ad opinionem inuictæ magnitudinis tantùm contulerat, quàm quòd eas olim heroes inuicti condidissent.* Quid ergo crediderim fuisse causæ, cur intra annum quem regius puer ortu suo consecrauit, hæ potissimum vrbes ex hostili regione captæ fuerint, quas eius auus ex Augustâ Matre, olim in nos excitarat; nisi vt intelligeremus omnem felicitatem fati Austriaci, in prolem regiam Annæ Austriacæ transferri. O te felicem, hoc filio Augustissima Regina, quo suscepto, id olim tibi debebit gens tuas, vt eius sanguis, quòd dudum spectat: orbi imperet: cùm enim eam, felicitatem Borboniis reseruari, tot oraculis Deus significarit, eamque Ludouicus noster pridem suis virtutibus promereatur; quidni tibi iam effusè gratulentur, tot stirpis tuæ potentissimi Principes, hærede Delphino paternæ felicitatis, sanguinem Austriacum quem ex te hausit splendescentem per se se, longè illustrius ex infuso Borbonio, quondam orbis dominatu, & Florentissimi imperij purpurâ colorandum. Cresce, Serenissime Princeps, non hac spe magis Galliæ tuæ, quàm communi Europæ voto Vt

hono

honoribus ætatem, ſic virtutibus honores antei. Nulla ſit gens quæ te Principem habere non velit, & cùm habebit, non impenſius amet. Majores omnes rerum tuarum amplitudine vince, Patrem exæqua; cùmque omnia fauſta, ad ſatietatem tibi euenerint; ita vouemus; ita precamur; vbique in regno tuo alta tranquillitas; incruentæ victoriæ de nationibus barbaris quales noſter Ludouicus maluiſſet, triumphi in quibus dolendum nihil; imperium paterno maius; hoc vno metire magnitudinem tuam, quòd tantus pater tibi obtigerit, hoc vno feliciſſimum te prædica, quòd Patri Maximo quàm ſimillimus iudiceris. Dixi.

PANE

PANEGYRICVS HENRICO BORBONIO PRIMO PRINCIPI

dictus Academiæ nomine ſub Finem Studiorum

ILLVSTRISSIMI ENGVIENNENSIVM DVCIS LVDOVICI BORBONII EIVS FILII.

Auctore N.

E SOCIETATE IESV.

ACtvra tibi gratias Academia Bituricēſis (Celſiſſime Princeps) nulla re aliâ reſpondere ſe putat meritis tuis ampliſſimis poſſe, quàm ſi ipſum beneficium ſuo reſtituat authori, mallet quidem immortaliter debere; nec quidquam gratius eſſet, quàm eum videre ſemper, propter quem ipſa ſemper ingrata videretur, ſed quoniam parere tibi æquius putat, quàm ſibi placere & ſtudere tuæ voluntati iucundius, quàm ſuæ lenocinari voluptati, depoſitum pignus reponit in

in ſinu tuo, vt quemadmodum terra theſauros ſuos ſolis radiis oſtendit, non ſine laceratione viſcerum, in quibus tam pretioſos fœtus incluſos habet, ac penitus immerſos. Æſtimare potes, quo deſiderij ſenſu ſuauiſſimum tibi filium reddat, ſi memineris, quo animo prius ipſe dederis. Scit quàm pauper receſſura ſit cùm pignus receperis: ſed tamen exemplo tuo carere ſuis deliciis didicit: Neque vnquam melius intellexit, quàm glorioſè paternum amorem viciſſes, cùm filium eius diſciplinæ traderes, quàm cùm eumdem repetere cœpiſti. Tunc enim admonita impetu deſiderij ex iactura in dolorem erumpentis mirari cepit, quàm acriter antea pugnandum tibi cum naturâ fuiſſet. Gaudet parentum amor conſpectu liberorum, quorum in tenera ætate delitias omnes quaſi pretium paterni laboris natura collocauit, hanc tibi voluptatem ademiſti. Prouocat eadem ætas indulgentiam ipſo flore pulchritudinis, quia nec laborem admittit imbecillitas, nec meretur Innocentia. Tu laborioſum filium habere maluiſti, quàm delicatum. Sepſiſti florem illum ſpinarum aculeis: remouiſti à te delicias tuas, filium è conſpectu, Principem ab aulæ luce abſtractum in ſcholam miſiſti, & vmbram, durus ex æquo tibi, filioque, non quòd cæteris patribus in amore cederes, ſed quia omnes prudentia, conſilioque ſuperabas. Accedit igitur hodierna die tibi Biturix Academia (Celſiſſime Princeps) quod glorioſiſſimũ eſt, imitatura Principem: ſed quod difficillimum, duriſſimumque, Principem redditura. Dederas illi amores tuos, reddit illa viciſſim ſuos: extraxeras velut è corde filium; quem traderes, hunc pari-

ter euellit è ſuo quem tibi reſtituat. Quanquam erro, cùm illuſtriſſimum Ducem in ſinu tuo reponit, in corde Biturigum reponit. Quare diſcedat omnis iacturæ metus, & magnus mœror maiori lætitiâ vincatur. Neque enim fas eſt huic ciuitati, quæ te velut ſuum cor diligit, mœrorem ex eâ re capere, quæ tibi ſummam paritura eſt voluptatem. Ita eſt, læta tibi ſe ſe offert, quia tua portat gaudia: diues quia magnæ fortunæ hæredem: magnifica, quia plus tibi datura eſt quàm acceperit. Accepit nobilem principem, reddit ſapientem; accepit ingenioſum, reddit doctum, & eruditum; accepit Innocentem, reddit omni virtutum genere cumulatum. Sed tamen in eâ re nihil ſibi præter obſequij gloriam vindicat. Totam conſilij gloriam virtutes tuæ diuidunt: euentus felicitatem ingenioſus filij labor occupauit.

Et conſilium quidem tuum in educatione filij quam in opinione ſapientum gloriam, & admirationem habeat, vix pro rei dignitate ſatis explicari poteſt. Certè tamen ſi virtutum tuarum nullum aliunde nobis extaret argumentum: ſatis oſtendiſti qualis eſſes, cum apparuit, qualem filium eſſe velles, pium, doctum ſapientem, amantem patriæ, regique obſequentem. Nec enim alium filium velle poteras, ſi ſimilem tui, quod parentes omnes vehementer amant, eſſe cupiebas. Intelligebas pro tua prudentiâ priuatis hominibus commendari prolem, ſolá neceſſitudine naturæ: bonos Principes, ſi natos ſimiles habeant, non tam ſibi gaudent, quam patriæ; vtrumque iuxta glorioſum haberi, & eſſe bonum principem, & facere; nullum munus Re-

gi gratius offerre te posse, quàm filium, qui te moribus reddat, cuius fideli obsequio tam securè credat quàm tibi: nullum à Deo tibi concessum denique opus esse tuo ingenio, prudentiaque dignius quàm Principi moderari: nullum à Deo tibi concessum maiorem dominatum, quàm imperium, in duos Principes, quos ideo natos puto vt in eorum educatione instituendorum Principum luculentum exemplum posteritati relinqueres. Magni momenti est institutio Principum, quorum mores quamcumque in partem inclinent, publicam salutem aut exitium secum trahunt. Quamobrem ipsa natura satis conscia periculi quasi publicam inuidiam à se vellet amoliri, vix quidquam illis negare audet earum rerum, quibus ad omnem virtutis gloriam ascensus parari solet. Filio autem tuo Duci illustrissimo tam liberaliter omnes suas diuitias infudit, vt dubitare merito possimus, nobiliorne natus sit, an ingeniosior. Itaque sapientiæ tuæ fuit, eas omnes dotes sic exercere; vt nullam otiosam, nullam inutilem relinqueres virtuti, patriæ, & Deo. Occupasti celeriter teneram ætatem optimis studiis & nullam partem virtutis pœnitentiæ deberet: bonum Principem prius faciendum ratus, quàm ipse se malum efficere posset. Demisisti nobilem liliorum surculum pene ad priuatorum conditionem, & relicto ad tempus splendore fortunæ, solam ingenij lucem spectatius exereret, probaretque vel si ingenio certandum esset, se mereri principatum. Cauisti præterea prudenter ne prius nobilitatis suæ, quàm sapientiæ gustum acciperet. Neque iuuenem suæ fortunæ apparatu circundare voluisti,

luisti, antequam ipsam regere posset, non ignarus magnæ felicitatis sensum instar Basilisci nisi prudentibus oculis præuertatur necare. Nam quod publicis scholarum disciplinis imbuẽdum tradidisti , quid aliud agebas quàm vt plures eius virtutibus opponeres ? vel certè pro tuo in litteras amore, eximeres vulgo sapientiam cum filium vulgo immiscebas. Et vero cur publicis studiis non dares adolescentem, quem publicæ vtilitati præparabas, nihil erat in consilio parentis , nihil in indole filij quod hominum conscientiam metueret , nullum erat tegendum vitiũm , multo minus docendum , nullum innatum, nullum inferendum , cur igitur priuatam educationem esse velles quæ commune bonum est? vnum occurrit fortasse , in quo de seueritate tua esset aliquis conquerendi locus , quod ipsi adeo pueritiæ, studia virorum durus exactor imperaueris, nisi nos robustissimum ingenium filij omni rerum difficultate maius, à paternæ seueritatis opinione, in admirationem tuæ prudentiæ, suæque felicitatis detorqueret, & sane quis melius de viribus magnæ illius mentis iudicare poterat , aut quis dignior Iudex ingeniosi filij, quàm ingeniosus pater ? Magnorum fluminum nauigabiles esse dicuntur fontes , nec priuatorum legibus natura Principum astringit ingenia in quibus nihil non debet esse magnum, præter ætatem. Hæc causa est cur tam celeriter superauit prima literarum rudimenta , quia indignum erat principe diu in humilibus studiis hærere, statim occupauit arcem eloquentiæ , vnde sibi arma expugnandis hominum voluntatibus pararet. Arripuit historiæ facem, vt inter obscuri-

tatem

tatem præteritorum temporum pares sibi principes quæreret, quibuscum in illo secessu studiorum, quandiu à se aberat honorificè versaretur. Agere cœpit cum sapientia. cui tecum esse videbat familiare commercium, scilicet vt tuos mores ab ea disceret, addidit etiam literis virtutum studium, non modò vt tibi placeret, sed etiam quia in tuis moribus prius ipsæ placuerant. Nouerat quippe tuum illud esse consilium, non modò vt eruditum filium haberes, sed etiam pium, adeoque relinquendam à se optimam tui partem, sine imitatione. si de exprimenda pietate non cogitaret. Qua in re sane raró contingit prudentiam non labi parentum. Quàm multis enim incedit periculosus hic error? emolliri animum cultu pietatis, quo fit vt spem temerariæ fortitudinis, vitiis filiorum emant: Quasi vero nulla via duci posset iuuentus ad fortitudiuem, quàm per scelerum gradus, & corruptelam prauitatis. Accedit huic errori superbum quoddam fastidium litterarum quarum ignobile, vt putant studium, priuatis hominibus conuenit, nobile ingenium, & ad res altiores natum non decet. His si quis pœnam precari vellet, quid grauius optare posset, quàm vt vota consequerentur? talesque iis filij contingerent, quales ipsi volunt, improbi pariter, & imperiti. Enim-vero opus erat pio principe, sapiente, & ingenioso, cuius honorificum iudicium notam illam dedecoris literis inustam ac pietate deleret, cuius authoritas derogaret inolitæ consuetudini, cuius vsus, & experientia peruagatum dedoceris errorem emendaret. Tua hæc laus est (Celsissime Princeps

tuum in Ecclesiam, tuum in litteras immortale beneficium, tuus in filium non indulgens, ac mollis, sed prouidus amor, ac circunspectus, cui idcirco deesse eruditionem, ac virtutem noluisti, quia multis ante parentibus consilium in ea parte defuisset. Quid dicam de delectu virorum quos moderandæ adolescentiæ principis applicasti; neque enim te latebat adolescentum in magna fortuna candori ac simplicitati insidiari aucupes felicitatis innumeros, qui suæ improbitatis male conscij, nõ existimãt se dignos gratia principis nisi vitiosi, apud quem maiori se præmio peccaturos sperant, vnde oritur vt sæpe vitia sua dominos doceant, studeantque vicissim vitiis dominorum mali morum magistri peiores etiam administri voluptatum. Hæc nobilium labes, hic scopulus, hinc ambitio, hinc voluptates, hinc Dei contemptus, & ex contemptu Dei, perfidiæ scelus in reges. Vtrum in ea re satis filio tuo prouideris, iudex & arbiter esto, sapiens pater, & circunspectus: an fœliciter res euenerit, testis filius eruditus ac pius; quàm gloriosum, & honorificum ijs fuerit, quorum opera, & obsequio vsus es, omnium est certe indicium. Fremant licet quotquot eorum vel eruditioni inuident, vel virtutem oderunt. Non potest sapientibus deinceps suspecta fides eorum esse in Gallia, quos duo reges Henricus, & Ludouicus, duo principes Henricus, & Ludouicus pariter fidos, & charos sibi esse voluerunt. Circonspice quæso, quàm multis hominibus vno consilio profueris, quàm multos beneficio vno deuinxeris. Intuere primùm in filium tuum, numera artes, & disciplinas,

quas

quas tam exiguo ſpatio temporis comprehendit, Eloquentiam, geografiam, hiſtoriam, linguarum cognitionem, politicam, moralem, rationalem, naturalemque ſapientiam: ſubeant memoriam ornamenta magnæ mentis, modeſtia, religio pietas, innocentia, caſtitas, generoſus animi virgor, aliæque virtutes propemodum infinitæ; paſce oculos tuos pulcherrimo illo pulchritudinis flore, quem natura venuſtate, virtus modeſtia, eruditio grauitate, nobilitas maieſtate perficit. Hoc tuum opus eſt, transfer te ab eo ad publicam famæ gratulationem. Quæ iam Academia, qui locus, ac domicilium muſarum tuis laudibus non perſonat? quam tibi gratiam habet tota Gallia, quam ipſa Eccleſia, quam Populi omnes ac Nationes quarum intereſt non ſolùm naſci principes: ſed etiam fieri bonos ac ſapientes? Fruere igitur tui laude conſilij, cuius gloria ad te pertinet, memoria ad poſteros, exemplum ad nobiles, vtilitas ad omnes plane nationes. Quid eſt quæſo quod in educatione principis non modo ſperare, ſed etiam optare poſſes, quo tibi aliquid maius contigiſſe non gaudeas. Dignus eras profecto cui omnes talem filium optarent; nec metuerent, ne parenti ſimilis eſſet. Merebatur etiam exemplum tuum tantum imitatorem, ſed prouidentiſſimi cura conſilij effeciſti, vt puderet quodammodo fortunam communibus votis ac meritis tuis quam maximis exitus felicitate non reſpondere. Et certe ſi prudentia ipſa cum omnibus virtutibus deliberaſſet de principis inſtitutione quærerem libenter, an potuiſſet aliquid melius ſtatuere, quàm quod ipſe perfece-

ris. Quid aliud pietas postularet in Principe quàm dei metum, & amorem innocentiæ filij cui candor & innocentia lilijs similis est, surgit quidem cæteris virtutum floribus altior: sed ita tamen vt caput deo submittat. Quid fortitudo requireret nisi excelsum animum,& creatum? habet ille quidem docile ingenium, sed timorem numquam discere potuit. Sapientia verò quid aliud inferret moribus principum, præter absolutam rerum omnium cognitionem? Vis scire quid ignoret filius tuus? Hoc vnum cuius misera cognitio est, viuendi(si quæ inesse potest) peccandique voluptatem: Quam quidem parenti filius debet, nos parentis virtutibus. Neque enim filius perfici absoluique sic poterat, nisi à perfecto,& absoluto patre. In educando Principe nobilitatem inter, & eruditionem vinculum ac nexum fidelem reperire, sapientiæ fuit: Excellentem naturam, virtuti regendam pietatis: Candidum lilij florem excolere diligenti manu, & obsequio regis ac reuerentiâ imbuere,summæ in eundem fidei,& amoris in Galliam. Principem inter priuatos & humilis fortunæ pueros emittere in scholas sine priuilegio dignitatis, sine vllo præterquam ingenij discrimine, modestiæ singularis. Quid cæteras laudes commemorem? non potuit aliunde consilium tam prudenter susceptum, affectum tam diligenter, tam feliciter confectum, quàm à summis virtutibus proficisci. Quare petimus à te hanc veniam, vt ijs omnibus agere liceat immortales gratias & ab optimo patre ad optimum Principem,quæ duo coniunctissima sunt, orationem traducere.

Et quidem gratulandum nobis est inprimis pietati,quam qui hoc loco prætermitteret, faceret non ingratè modo, sed etiam impiè, nec religionem tantum,sed etiam dignitatem tuam iniuriosè tractaret.Est enim hæc principum virtus,princepsque virtutum, quæ nobilium virorum simulacro velut fundamentum substernitur.Cæteras fortasse communes habet,hæc vna propria principis virtus: decet enim,quod optimum est (vt aiunt) ab optimo coli, & quod imperat,ab imperante cæteris humanum iugum imponit. Tam libenter diuinum accipiat, & quo, maior est, eo reuerentius habere magnitudinis suæ authorem debet. Est enim principis non tantùm in sacris,locis sed etiam pro sacris mori tanquam deo consecratum. Cæteri mortales principibus militant, principes deo, cuius hostes vlcisci, quia christiani sunt, velle debent; quia principes possunt. Verum igitur pietas tua religionis amore, an hæreticæ prauitatis odio insignius apparet? notum est quantum omnem erroris prauitatem oderis: non ita fortasse cur tantum oderis. Dicam id quod mihi aliquando cogitanti obuenit inter ingenium tuum, & hæreticæ pestis naturam, fatale quoddã dissidiũ interest Coalescit illa ex tenebris ignorantiæ, tibi altissima rerũ cognitio vel magistris inuidenda.Pascitur odio regiæ potestatis,tu nescio an regi propinquior sis, an fidelior. Gliscit contemptu Apostolicæ sedis,huius in obsequio summam dignitatem collocas. Iam ego mirari desino seueritatem tuam cum arecomicis oris fulminares, cum edicta illa gladij capulo vt olim Constantinus, consignares. In-

telligo quam efficaci odio tartaream illam pestem tuâ manu profligare contenderes, qui tam sincere vel alienâ prostratam esse afflictamque gaudeas. Ergo in eius ruinâ fundamentum tuæ pietatis, in eius odio communem amoris flammam excitasti: vt iam qui te non amet nemo sit, nisi quem etiam odisse gloriosum est. Quisquis enim Ecclesiam amat, quisquis Galliam amat, quisquis religionem amat, is & te amet, & tecum in amore conueniat, necesse est. Neque enim melius odium, quàm amorem collocasti, & si quidem, alterum ex altero nascitur, qui te tam infestum impijs nouit, poteſtne dubitare quin pari amore religionis fidem complectaris. An est quisquam qui hoc non intelligat Chrstianos illos sancti Ludouici surculos in tua pietate crescentes? Quatam enim verò voluptatem capit! cum in tuam domum intuetur, cuius hæc propria laus est, vt quemadmodum natiua vis quarumdam terrarum nascentes belluas, sic malos, & improbos diu alere non possit. Vbi ergo tutius suos fauores, & diuitias reponeret? quàm ibi vbi prædones nulli latent? cuius locis securitati libentius inuigilaret, quàm vbi nihil videt quod oculos suâ fœditate absterreat? quis vnquam tibi placuit, quem deus odisset? quis diutius tuam gratiam quàm dei retinuit? nam fraudulentis istis hominibus quorum est ars amare magnatum vitia, vt amentur, tametsi inter ipsa satellitum præsidia sæpe animos principum prædentur; si tamen adrepere ad fauorem tuum velint, tam difficile est fallere prudentiam tuam, quàm placere pietati. Habes alia quippe præsidia

virtu

virtutum,quæ dolos huiuſmodi atque inſidias eludant,graſſentur adulatione,modeſtiam oſtendent, amorem ſimulent, laruam detrahet prudentia. Calumniæ laqueos tegant, ſolertia deprehendet. Suſpiciones,& metus miſceant:fortitudo repellet, ſola innocentia aditum habet ad gratiam principis, nec quidquam animus tuus capit niſi virtutes, aut capitur niſi virtutibus. Hinc illa ſingularis in te numinis indulgētia, cuius munificentia nuſquam liberalius ſe ſe explicat, quàm cum inuenit illuſtre monumentum,in quo ſua beneficia collocaret.Sentio hoc loco prætermittenda eſſe permulta, vel hanc vnam ob cauſam quod pulcherrima pars pietatis in animo latet:nec ſe vult ab alio conſpici quàm à deo, præter quem nihil ipſa quoque intuetur, veruntamen fieri non poteſt vt memoriæ præteritis excidant diuinæ illæ tuæ voces, quas olim modeſtiæ tuæ vehemens impetus pietatis extorſit,cum tibi propugnandæ fidei cauſa mori glorioſum diceres, imo etiam votis vltro optares.O mortis amorem immortalitate dignum! tu pro fide princeps mori non dubitares? deprimo ſententiam tuam, tu pro fide mori glorioſum duceres? video nondum adæquare mentem tuam: tu pro fide mori ſummis votis expeteres? ita vero me deus audiat, vt ego pro tua pietate, viuere æternum precor, atque efflagito! tuere per deum precor, tuere hanc vitam, cuius incolumitas ad tam multos pertinet, hoc, vnum quod viuis, ſi tantæ lætitiæ ſeges eſt, quid quod deo, quid, quod omnium tuorum ſaluti viuis? quid quod ſapienter viuis? viue Henrice, cuius vita diuini in nos

amoris pignus eſt. Viue quem poſt tot in Eccleſiam merita, vitæ non poteſt pœnitere. Viue niſi Bituricenſes tuos miſeros eſſe velis, Viue ex te enim multorum pendet vita ſaluſque populorum Viue eſt enim vita, publicum Biturigum votum, cœli munus, virtutum opus, naturæ cura, pax & viculum elementorum: Viue nam vt cætera ſileam, maxima tibi viuendi cauſa deo primum ſeruire, deinde vero regi, illi pietatem, huic fidem, vtrique honorem, obſequium, animum denique probare Principis.

Mirantur omnes incorruptam in regis obſequio conſtantiam tuam, præclarè id quidem. Nam quæ virtus admirabilior quàm quæ magnum principem maximo regi ſubmittit? dicam tamen liberè quod ſentio, mirarer equidem qui deum non timent, qui nullum habent pietatis ſenſum, ab ijs regem, dei vtique, imaginem ſincerè coli. At pium principem quem deo coniungit, morum integritas adhæreſcere conſtanter regis imperio tantùm abeſt, vt ego mirari poſſim, vt potius mirum mihi videretur, ſi regiæ voluntati non conſentiret propemodum eadem fide qua, deum colit. Magna ſunt profectò quæ te cum rege coniungunt vincula, arctiora ſane quàm vt vlla vi, fatalique diſſidio perrumpi poſſint. Nulla rebellio ſine miſtura ſtultitiæ, quomodo enim ſaperent, qui caput non habent? nemo de tua ſapientia dubitat, niſi qui ipſe deſipiat. Qui fidem in regem exuunt, publicam ſalutem odiſſe neceſſe eſt: cor enim appetunt populorum, vnde vitalis ſpiritus reipublicæ corpori infunditur. Tu in Communi erga te omnium ſtudio nihil habes,

quod

quod odiſſe poſſis. Quid quod ipſa natura nutrit amorem tuum, in regem eodem ſanguine quo,ſe ipſe diligit?cuius ſplendoris patrem ambitio colorem non habet, cuius nobilitas tuum pectus totum impleuit. Ecquid eſt igitur quo diuelli poſſit à Rege princeps? quem neque in conſiliis errare prudentia patitur, nec in amore Natura,neque in ambitioſa cupiditate nobilitas. Quid enim tibi vnquam glorioſius contingere poteſt quàm publica illa fidei tuæ laus, & opinio; Inſanus eſt,qui vt lucem accipiat à fonte luminis diſcedit, omnis à Rege in ſubditos gloria tanquam à ſole ſplẽdor exiſtit. Et verò nuſquam mirabilius emicant virtutes tuæ, quàm cum ad eius voluntatem ſe ſe adiungunt, vbi enim glorioſius ſe ſe exerceant, aut qua in luce meliori collocari poſſunt, habes quod reuerentiam, amoremque mereatur. Amamus Principes iuſtos,nemo innocentior:amamus fortes Quis generoſior?amamus prudentes, quis ſapientior,fatale eſt Francorum coronæ inſidere capiti ſanctorum: eodem Dei munere Regum noſtrorum manus eſt cõſecrata miraculis vita virtutibus,eodem Deo, & Reges & iuſti fiunt: ſed tamen hanc gloriam præcipuo iure ſibi vendicat Ludouibus Rex Chriſtianiſſimus, cui iuſtitia nomen & mores fecit, cui vultum, & animam compoſuit, nullam partem video in eius vita quam non aliqua virtus moderetur, nullam in moribus virtutem, quæ monſtrum ſceleris aliquod libero ac dominanti pede non calcet: Habent ſingulæ ſuum in rege dominatum, nec ſinunt eum qui omnibus imperat, vlli vitio ſubeſſe. Ecquis igitur meretur tot flammas amoris

ardore tuo in pectore (Princeps Celſiſſime) aut tantam ineſſe fidem in animo, ſi meminerit ab optimo Principe in optimum Regem proficiſci? O iuſtum amorem quem in te omnes virtutes exhibent! omnes in Rege merentur, ô præclarum obſequium! cum ipſa ſapientia exequitur in principe quod in Rege imperat. Poteſtne aliqua animorum eſſe diſſentio in tanta conſpiratione virtutum? ſuſcepiſti nihilominus admirabilem quandam cum Rege contentionem, certas amore cum eius innocentia, obſequio cum maieſtate, obedientia cum fauore, fide cum fiducia, ſed ex diſſidio tam amabili, quæ poteſt oriri flamma niſi mutui amoris? cuius luce recreata Gallia pacis fructum deguſtare poſſit, dum belli fulmina mutuus ille ignis in hoſtiles Prouincias fortius, & validius intorquet. Habes igitur in Ludouico Regem Chriſtianiſſimum, cui nihil obſequij deferre potes quod non ipſe mereatur, habet in te viciſſim virum, cuius conſilium, & auxiliū mens & manus, animus, & gladius, ſolis hoſtibus metuenda ſint. In quo ſane mirari ſoleo, quod cum in te ſumma ſint ornamenta, nullum tamen vſum habent, niſi cum de ſalute patriæ & honore regis agitur, alioqui hæc omnia decora modeſtiæ velo tegis atque diſſimulas. Nota eſt omnibus eloquentia tua, qua nihil diuinius, ſed eam ignorarent homines, niſi linguam tuam laus maximi regis acueret. At cum in hanc materiam incidit, cum accedit ad aures regiæ voluntatis interpres, conſiliorum adminiſtra conſiliatrix amoris, cum in ſenatu, in comitiis, in cœtu publico vel ſuadet edicta, vel pronunciat, quos enim verò triumphos agit? quando

do enim victoria arctior, tum lingua non dimicat cum corde tuo, nec cum opinione hominum, quorum animos prius capis humanitate quàm aures eloquentia: nec cum æquitate: non enim res iniusta aut te patronum, aut regem habere poteſt. Sola igitur tibi vitia frãgenda ſunt, ſed in eo bello reliquæ virtutes victricem eloquentiam amant, oritur popularis tumultus, lenitate mitigas: inſoleſcit audacia rebellium, fortitudine frangis: opprimitur innocentia, æquitate ſubleuas: graſſatur ſcelerum impunitas, iuſtitia coërces: abit in mala conſilia præceps ignorantia, prudentia errorem emendas. Quid multa nullã omnino virtuté neglexit animus ille tuus ingens, nullam ſcientiam non cœpit ingenium, mirantur in te Theologi rerum diuinarum, iuris periti legum iudices, cauſarum ciuilium cognitionem: nullum eſt ñogotium tam intricatum, quod non peruadas, tam multiplex, & varium quod non complectaris, quodque maximum robur ingenij prodeſt, cum tam multa ſcias, tam multa audias, tam multa tractes, cum tam multis agas, nec memoriam premit rerum multitudo, nec confundit ingenij lucem; nec claritatem inobſcurat, nec peruertit, ordinẽ, nec ſerenitatem, pacemque perturbat. Quid dicam de prudentia quæ longo vſu confirmata ſic cum fortitudine ſe miſcuit, &apud Principem, quemadmodum bellandi virtus ſine dolo, ita ſine vitio ſtet gubernandi prudentia. Quare tua conſilia omnes homines amant. O quantum eſt inſtrumentum magnarum rerum bonum ingenium, vbi tot tantiſque virtutibus ſic præeſt vt vni in regis imperio famuletur. Sic ergo tuas

virtutes admirabili plane iudicio dispensas, emicat in consiliis prudentia, eloquentia in comitiis, celeritas in nogotiis, fortitudo in periculis, sed vbique fides & amor in regem: huius imperiis prudentiam tuam, ingenium, iustitiam, vota, gaudium, amorem, consecrasti. Amas magnitudinem imperij, amas quos ipse diligit, quique ipsum diligunt. Quid dicam, quantum eius inimicos oderis, qua fortitudine bellicum fulmen ab eius manibus acceptum intorqueas? tuum est (Inuictissime Princeps) hanc materiam tuarum laudum ferri mucrone tractare. Nos eam spem duntaxat, & votis attingimus quibus interea rerum praeteritarum recordatio clauditur. Apamea biduo capta, Realmontium decem dierum spatio: Mazametũ, Brassacũ, Castronouum, Calna, Cabareda & arces reliquæ Gothicæ Franciæ, eodem die opugnatæ, & expugnatæ, simul monumenta sunt fortitudinis, simul futuræ felicitatis argumenta. Quare ab hoc strepitu armorum, quo te formidandum hostibus præbes descendo, ad extremam partem laudum tuarum quæ te populis amabilem facit. Est enim fortitudinis affinis humanitas, atque inter se quodam arcano societatis nexu cohærent. Crudelissimæ quæque belluæ natura sunt timidæ, vel maximè, sic etiam in humanis moribus euenit, vt quisque est imbecillus maximè, ita & suspicacissimus ad accipiendã iniuriam & ad vlciscendam atrocissimus. Quare grassantur illi plerumque aperta vi ad authoritatem, & quam mereri non possunt, seueritate extorquent, neque enim aliter honorem, aut amorem consequi possent, nisi à deceptis. Verum nec fraude tibi est opus, qui veras virtutes

habes,

habes, nec seueritate cui natura lenocinatur ad amorem, nec suppliciis, quia parcendo emendas vitia, nec metuis improborum voluntatem, quantumuis nocendi cupidam, quam longe scis abesse à potestate. Itaque non sine causa totum animum clementiæ dedisti, illa tibi pectus, illa vultum fingit, illa linguam, oculos, manum, figurat; pectus quidem latum, & capax vbi subditis prouidentiam, amicitiam bonis, amorem, etiam hostibus, seruas. Quid dicam de serenitate oris & frontis, quæ nunquam tonat, nisi cum vitia percellenda sunt. Sic planè se res habet, seueritatem, fulguris instar rarò vibras, lumen humanitatis semper diffundis, neque tibi difficilius est bene de hominibus mereri, quàm lucere soli. Nullum est in supercilio tuo fastidium, quod homines absterreat: sed maiestas quæ tacitam reuerentiam animis insinuet. Quin & ipsam maiestatem sæpe modestia cohibet, vt accessum omnibus præbeat ad principem. Imo quod mirum est principi, solem imitatis, qui suam lucem ad communem vsum circunfert, nec minorum astrorum domos dedignatur. Non metuis interea iacturam authoritatis tuæ, cui si quid perire posset, comitas tua lucro apponeret, sed nimirum à sede sua sol non excidit, semperque imminet capitibus mortalium, tametsi intra terram radios vt eorum etiam sub pedibus aurum excoquat. Cœlo nihil altius est, licet infra solum vndequaque descendere videatur: arcus ille cœlestis quo magis deiicit se se atque in terram exporrigit, eo altius in cœlum incuruam etiam frontem attollit. Præclara est artificis ingentis opera, & sua mole vasta contrahere, & angusta

vir

in angusto loco spectanda proponere. Sic est omnino ingenium tuum, quotiescumque enim accedis, vt sæpe soles, ad pauperes, & tenuissimæ conditionis homines, teque cum illis familiaritate quodammodo adæquas, quantum Principẽ, & in vno Principe quot stemmata, quot titulos nobilitatis contrahis, imitaris videlicet hac arte authorem magnitudinis tuæ Deum, qui suam Maiestatem Humanitati coniunxit, vt omnium amorem alliceret. Das equidẽ omnibus, totumq; impendis, sed pretium tamen accipis quo nullũ dignius Principe, omnium scilicet tuorum amorem, & pectora. O si arcanos sensus penetrares! si priuatis adesses colloquiis! si votis, & precibus interesses! nihil amplificandi studio dico, vocem meam ab adulatione tantum abesse puta, quantum abest à necessitate. Alios placendi studium corrumpit, eorũ vanitatem non capto, alios ficta calliditas artificio simulationis erudit, personam mea non habet oratio, vis scire quantum te viri boni omnes diligunt? vide quantum hæresim oderis, quantum Ecclesiam, quantũ Regem, quo maxime studio gloriaris, diligas. Diligant vero quantum possunt, nunquam, tamen tuorum meritorum magnitudinẽ adæquabũt. Habent enim in te non modo optimum parentem, sed Principem piissimum Regi fidelissimum. humanissimũ in omnes, habent, inquam iustissimũ Principem, docet hoc sceleratorum (statim vt te ostenderis repentinus, terror ac fuga, sapiẽtissimum, cum sapientiæ tuæ nihil lateat nisi quod ipsa cogitatio sine vestigio reliquerit. Fortissimum, sensit hoc fulmen profligata rebellio. O præstantes uas Condæe virtutes! quas nisi possideres

ad

adderem in idea tantùm aut ſpecie verſari, ſed eam gloriam iam pridem tibi publica fama aſſeruit, non ea quã ſeruilis genuit adulatio, quam educat artificium, quæ pretio venalis: meliorem originem ducit communis de te opinio, naſcitur inter egregia tua facinora, eorum eſt beneficium quod viuit, quod vbique colitur per omnium ora volitat, eamque ob cauſam virtutibus eius non extortam metu, non redemptam pretio, ſed amore voluntariam, & fidelem operam præferre. Vnam duntaxat video in tanto tuarum virtutum numero, à quâ diſſentiat, modeſtiam intelligo, quæ me tacita quodammodo admonere videtur ſatis indulſiſſe nos amori noſtro erga cæteras tuas virtutes, nihil dum pudori dediſſe, qui quia ſilentio colitur, & amore implebimus, vtrumque amorem ſic miſcebimus ſilentio, vt dicendi quidem artemque amandi, Principem nullum nobis finem faciendum eſſe iudicemus.

PANE

LVDOVICO BORBONIO ENGVINENSIVM DVCI ob fœlicem ſtudiorum exitum.

PANEGYRICVS.

Auctore N.

E SOCIETATE IESV.

PAtitur in diſceſſu tuo Liturienſis Academia (Princeps Illuſtriſſime) propemodum id quod euenire ſolet in orbe terrarum, cum occidente die ſolem in alienos orbes obeuntem ſalutat: fit enim ſæpe numero, vt lætior ante puriorque naturæ vultus nubem contrahat velut indicem mœroris, quæ ſimul atque extremos ſolis radios excepit, continuo in lachrymas reſoluitur: atque in ipſis lacrymis & caduco rore pulcherrimam fugitiui ſyderis imaginem, non modo ad ſolatium, ſed etiam ad ſpectaculum, & triumphum exprimit, quandiu te complexu ſuo tua Bituris fouit, duxit lætiſſimos, puriſſimoſque dies, quales nullos ante viderat, nullos deinceps habitura eſt: nunc verò ſtudiorum tuorum curſu feliciter emenſo, perculſo

metu

metu imminentis orbitatis, fugam sui solis agressum non potest non lugere vehementer, tametsi oculos ipsi eripias. Verumtamen quo propius abes à discessu, eo auidius haurit extremos tui vultus radios, atque vt fallat quodammodo desiderium suum, vicariam imaginem tui, quam in ipso pectore semper incluserat, statuit in lucem educere ad solatium oculorum. Habet illa vt arcus in nube aliquid mœroris at triumphi plurimum & gloriæ: nascitur è lachrymis Academiæ tuæ, hoc mœroris est: sed principis sinceram effigiem exprimit, qua nihil lætius aut pulchrius excogitari potest. Quare in isto conflictu certantis inter se doloris, & voluptatis, æquius censet silentio premere dolorem iacturæ, quam fecit, vt studiorum, quibus finem, imponis felicitate gratuletur. Neque enim potest non affici præcipuo sensu voluptatis, cum exercitatum à te tuo quidem in solo, sed suo certe in cœlo sapientiæ templum augustissimum perfectum tandem & exædificatum videt. Et verò cum in tuos mores intuemur studiorumque susceptum laborem, quid aliud in mentem venire potest, nisi in optimo principe partim à natura, partim ab educatione pulcherrimum esse dissimilium immortali sapientiæ præparatum. Proposuit in aditu veluti atque vestibulo natura faciem eximiam, ac dignitatem oris: educatio integritatem, & pudorem addidit vnicum pulchritudinis præsidium, atque ornamentum: illa nobilitatem collocauit in atrio inter infinita maiorum tuorum stemmata; hæc pietatis erexit imaginem, cui nobilitas ipsa se se submitteret: illa

præstan-

præſtantem indolem,hanc hæc indoli virtutem induxit: denique feliciſſimum ingenium prope ad miraculum natum tribuit educatio omni ſcientiarum cultu liberaliter ornauit atque inſtruxit. Fuit illa Ambitioſa contentio naturæ cum educatione tuæ gloriæ toto conatu adlaborantis, vtra vicerit, nihil intereſt, quia ad te vnum triumphi, & victoriæ gloria pertinet. Damus tamen primum naturæ locum, quia prima manum operi admouit, & quidem illa tuæ frontis maieſtas, quam primum oculis obijcit, ſatis oſtendit ſanctiſſimos receſſus hoc aditu claudi; vſque adeò mentem ſacro quodam ſenſu venerationis implet atque occupat. Nec mirum ſi vultus principis ſpiret maieſtatem, & amorem inſpiret, pulchritudo tua, ſi recte ſentire volumus, imago virtutis eſt in vultu tuo ſe ſe pingentis. Etenim ille candor fuſus æqualiter in omnes oris partes,ac molliter intermicanti rubori ſubſtractus innocentiæ color eſt, ſed viuidus & nitens quia nulla conſcientia ſuſcepti dedecoris vnquam polluit: niſi forte lacteum ſuccum plurimo è flore liliorum manu ſua nobilitas expreſſerit, aut certe, quod ego facilius crediderim, niueum illum colorem fœlix comunxit, vt eſſet in te eo nobilior innocentia, quo ſanctior ipſa nobilitas. Neque vero minus feliciter candori ſe ſe rubor infudit, vt colorem oris temperaret, ſiue hunc pudor, ſiue modeſtia, ſiue animi vigor accenderit, ſiue hæc ſimul omnia; Cuius rei argumento eſt, quod omnibus pro rerum opportunitate ſeruiat. Inuenit hunc colorem pudor non ignobile velum,

quo

quo ad animum tuum velut ad sanctissimum templum malignis oculis aditus clauderetur. Tinxit hanc purpuram modestia, cuius in lumine omnis splendor laudum tuarum delitesceret, admonereturque omnes, qui adulatorum arte ad fauorem tuum grassarentur, ipsa similitudine coloris erubescere: sæpe etiam accendit hunc ignem acerrimus animi vigor, qui dum erumpit è pectore ad altiora nititur, fugeret conspectum oculorum nisi conatus sui breue vestigium, sed insigne, & luculentum in genis expressum relinqueret. Quid dicam de conformatione corporis? cui pondus, & tarditatem ademit celeritas ingenij, molem subtilitas, maturitas inconditos motus, venustas indecoros. Quidquid agis decet, idque eo magis, quod cùm ab arte nihildum acceperis præter animi culturam, totam palestram corporis, naturæ debes. Nimirum illa sui operis conscia in structura membrorum tuorum, non ausa est vitium facere quæ tot virtutibus domicilium elaborabat, aptabat manum gladio, linguam imperijs, frontem maiestati, oris totius suauitatem velut aram amori publico consecrabat. An igitur errare potuit in tam egregio opere, quæ similitudinem pulcherrimæ mentis sequabatur, in qua nihil intueri poterat præter lineamenta virtutum? hinc illa scilicet tam apta descriptio partium strenue sibi cohærentium, & præstantiam animi figuram corporis exprimentium. Hinc lætissimum ilud lumen oculorum, orienti soli similium, cuius eō pretiosiores sunt radij quod nondum adultus ignis, & maturus fulminibus, nihil præter aurum gignit, & rosas.

Nec

Nec tamen molliorem habes idcirco coniectum oculorum!poteris, cum voles adducere supercilium exerere seueritatis telum, & iacere fulmina:nunc partem ætatis, in qua es pulcherrimam sequeris, plurimumque lenitatem, clementiam, beneuolentiam promittis. Dicerem libenter in fronte tua omnem veris pulchritudinem efflorescere, omnes in ore gratias innatare velut in portu. Taceo reliquos tui vultus ductus, tam ingeniosos, & delicatos, vt nulla manu satis feliciter exprimi ne dum linguâ ad aures afferi possint. Itaque principis forma numquam qualis sit noscitur, nisi cum ipsa in oculis se pingit, quin expressam imaginem subitus amor in animum tanquam in tabulam referat. Videris:amares inter aspectum, & affectum, spatium deliberandi non relinquit ille crebresa quædam, atque arcana rapacitas, adeo omnes ad amorem aditus celeriter occupat, vbi semel in oculos ingressa est. Quę res sane mirabilis est, vna re omnibus ingeniis placuisse: sed nimirum vnicus ille flos pulchritudinis ex omnibus rebus, quibus amorē natura vectigalē fecit, tam commode coalescit, vt omnium accedentium studiis mirifico quodam artificio consentiat, militaribus animis martius nescio quid spirat vibrantis oculi iactus acer, & grato quodam fastidio frontis imperiosa seueritas, ingeniosi ipsa oris alacritas, vegetusque modus indicium affert actuosæ mentis corpus suum fatigantis. Neque verò speciosa hæc ostentatio quæ sita vitiis, plus enim boni latet in recessu, quàm emineat, non indiget artificio simulationis, quia vitia quæ tegas, non habes; sola modestia

destia animum tuum tegit, & pulcherrima vestibido custos assidet, quam idcirco in ingressu revereri plurimum decet, atque hanc veniam petere, vt ab hoc aditu veluti patefacta liceat introspicere ipsa mentis penetralia, domiciliumque sapientiæ cui tamen animum consecrasti, ac primum in ipsum velut atrium ingressis apparent dispositæ maiorum tuorum imagines opere sane magnifico, cuius vel ipsa species plurimum metus ac reuerentia intuentibus imperat. Quis enim aspectu tuo cõmoueri se non sentiat ad reuerentiam, cum in hac aula augustissima numerat Ludouicus, quorum non mortua, sed viua simulachra moribus tuis expressa miramur. Ecquis, nisi maiorum tuorum virtutes ignorat, non statim animaduertit vnius cuiusque laudes, mirifico nexu in te vno colectas: Quis cum ardorem tuæ mentis cernit, non illico tacitus apud se dicit, talem magni illius Roberti adolescẽtiam fuisse dicitur, eodem penitus igne micuisse, cùm magnitudinem animi. Sic erat ille Ludouicus Dux primus Borbonius, cui magni nomen animus verè magnus dedit. Cum facilitatẽ morum ac comitatem: hæc illa Ludouici secũdi laudata bonitas, cuius ex æquo mansuetudinem amarunt ciues, arma Mauri ipsi timuerunt, cùm prudentiam, & maturitatem: imitatur Petrum secundum caput olim consilij publici, Prudentiæ, iudicijque singularis, cum pietatem: hœres est Ludouici illius Borbonij erga sanctissimam Virginem piissimi, cum eloquentiam, & liberalitatem: habet hoc ab Atauo Ludouico non minus diserto quam forti. Hæc verò omnis aliaque ornamenta, quæ à maiori-
bus

bus tuis ad te velut hæreditario iure peruenerunt, quem non percellant opinione nobilitatis tuæ cum meminerit te in nobilissimo regno Principem, Reges & Imperatores efflorescetem, quænam igitur regio Gallia nobilior?cui ditandæ, vel excolendæ natura plus indulsit vbi meliora ingenia, vbi maior fortitudo cum maiori Comitate coniũcta!oportuna est portubus,virorum ferax, diues vbertate glebæ, pecunia locuples, digna imperio terrarum, nisi quam ipsa libertatem amat, cæteris populis date mallet, quam extorquere seruitutem,in hoc florentissimo regno Princeps es.Tu lucem affers,& splendorem,vbi felicitatem incolæ reperiunt,socij securitatem, Ecclesia fermissimam arcem,veræque fidei munimentum.Quid quæso ad nobilitatem insignius ? age vero potest quidquam illustrius Gallicis Liliis reperiri?si originem spectas, defixas in cœlo radices habent,si magnitudinem,triplici flore tripartitum orbem tegere possunt, si felicitatem,nota sunt inter victorias.Ex quo vigent Lilia penè omnia vniuersi regna,vel florem amiserunt,vel mutarunt. Quantum igitur. Tibi splendoris accedit ab hoc candore liliorum: quàm spectatè emines in hac radice flos pulcherrimæ nobilitatis Ludouice, cui præsertim à tam bona stirpe succus infunditur. Quàm generosos impetus ad omnem laudem honestatis accendit tibi, sentis in pectore ab illo sanguine qui tuis in venis ebullit.quantas hic ipse sanguis virtutes accepit à maioribus tuis, per quos transiuit antequam ad te perueniret. Nam si sanctitatem traxit ab ipso fonte, quibus incrementis auctus est per tot Duces, ac Principes
for

fortiſſimos, ſapientiſſimos, clementiſſimos, piiſſimoſque. O nobilem vitam! cuius papulum eſt ille ſanguis tam purus tam innocens: nobiliorem! quod tuis in venis nihil ſui vigoris admittit, non frigeſcit metu, non ardet libidinibus, non ebullit iracundia, non ſuperbia intumeſcit, non torpet ignauia. Sic enim maiorum tuorum ſanguine viuis, vt iidem ipſi tuis in moribus videantur: præclarum eſt nobilitatis ſtemma, cum non modo ſanguis, ſed etiam virtutes ad poſteros tranſeunt. Hoc ſtudium adoleſcentiæ tuæ hactenus fuit, vt nobilitatem tranfunderes, ad mores, ſcireſque optimè, quibus authoribus tibi viuendum eſſet. Non ignarus nullam tibi virtutem deeſſe poſſe ſine dedecore, cui nullum virtutis exemplum à nobilitate negatum eſt. Quãquam vt cætera tibi defuiſſent, audeo dicere ſatis ſuperque eſt quod in Ludouico, Chriſtianiſſimum Regem habeas, cui obſequi; Henrico, parentem quem imitari ſtudeas. Exemplum ille Regum eſt cui parere prima pars vitæ tuæ ac ſtudij eſſe debet. Perge verò feliciter, Ludouice nomen tuum mereri ſingulari erga eum obſequio, vnde illud accepiſti. Nullum breuius iter ad ſapientiam, quàm tanti Regis contemplatio, neque vllum ex ſapientia fructum ferre maiorem poteſt, quàm in eius admirationem frequenti admiratione deueniat. Creſcat magis, ac magis in animo tuo reuerentia magni illius Regis, quam licet ſummam merito credas, ſemper tamen creſcit quia nouis ſemper factis famam ille ſuæ virtutis amplificat. Ab obſequio Regis confer te ad exemplum parentis cuius ſimilitudinem, ad quam te rapit auidiſſimè excellens

tua

tua natura, cum absolueris, puta te simulacrum perfectæ virtutis effecisse. Cernis in eo omnis Auorũ tuorum expressas laudes, quorum si decora spectes, partem aliquam illius faciunt, sed ne omnes quidem totum à quo se ad posteras natura transferret si diuidere rursus velit quæ in eo collegit, tot Principes præstantissimos ex eius virtutibus faciet, neque virtutibus posteri, ne posteris vltima mundi senescentis ætas satis fore videatur. Tu quando primus in hæreditatem tot virtutum, etiam viuo parente à naturâ vocatus es, vide vt iam inchoactam imaginem perficias aliquando nec mutilam, aut imperfectam ad nepotes transfundas, tam nullius author posteris vitij, quàm nullius hæredem fuisse te vides. Et quidem in hac effigie optimi parentis ducenda quàm feliciter hactenus laborauerit ingenium tuum, Bituricensis Ciuitas vidit, mirata est Gallia, stupuit Orbis vniuersus. Iam pridem notum erat in tua familia hæreditatem esse laudem ingenij neque vsquam nasci altiores Principum animos, siue hoc regio sanguine debetis, cuius media pars in vestrum modum effluxit, siue cœlo, in quo illa ipsa astra quæ sapientię pręsident nomen vestrum acceperunt, siue cuidam naturæ felicitati, quæ cum in aliorum corporibus hæreditarias sæpe nobilitatis imprimat notas, maluit Borboniorum familiam ex ingenio, quàm ex nota corporis agnosci. Sed profecto quãcumque de te opinionem fama per orbem sparserit, qui te non viderunt, qui de rebus altissimis deserentem non audierunt, quantumcumque erigant admirationem ingenij tui, nunquam adæquabunt, quod enim sibi ingenium, & si ipsi inge

ingeniosissimi sint, fingere possunt, quod habere mauis quàm tuum; fingant celerrimum, promptissimumque, non assequentur motus, atque impetus mentis tuæ: addant expeditæ, celeritati parem iudicandi moram, deprimentur pondere maturitatis tuæ, attollant cogitationem suam, & altissimum sibi proponant ingenium, iacebunt infra tuum longissimè. Nulla pars optimę mentis, nulla virtus ingenij, quam non sis à natura nactus supra omnium opinionem ac fidem. Quid vrbanius tuis salibus, cum in familiaribus colloquijs placet ingenio tuo exire, atque eminere velut in vestibulo? Quam acute lacessi sine offensione! Quàm subitò vibrat velut micantia fulgura, sed tamen innoxia, neque enim maligna lux est tui ingenij, qualem aurorę lucem esse dicunt, quæ cùm Diei partem pulcherrimam ostendit, alcitos tamen populos tingit colore noctis, nulli colorem, nullius fama sermonibus obscuratur, & licet acumen habeas, apes tamen imitaris, quæ florem aculeo pungunt, sed sine vulneris vestigio, tantum vt sucum mellis exprimant. Huic felicitati subitę & veluti sub manu natæ solertiæ pondus maturitatis adiungis, quæ non minus sciat tacere, quàm loqui. Amas silentium non quasi velum quo stuporem, & ignorantiam tegas, nonquasi latebras, vt aliorum linguis insidias tuis in auribus collocas; sed quia vel repręsentant grauitatem morum tuorum, vel authoritatem decet. Tum si à communi vitæ consuetudine animum colligis ad studia litterarum quas tum enim vero virtutes explicas. Versaris in rebus subtilibus, ingenium mucronem exerit, non tenui

tate sua vanescentem, sed robustum, & validum quali quondam erit acies armorum tuorum quæ non modo penetret, sed etiam consistat. Luctaris cum difficilibus, & arduis; tantam facilitatem offert vt communis illi ludus esse videatur cum sapientia, terrarum orbem velut ipsam versare ingenio. Dicerem ad animum tuum rerum omnium imagines accedere tanquam ad speculum, in quo statim se ostendunt, exprimuntur imo, & redduntur. Pari enim facilitate loqueris, & intelligis, quia in te satis ostendis quàm pacatum, & sedatum habeas ingenium, quod ad sapientiam valde necessarium est; simul tenebricosa quædam damnas ingenia quæ vitio obscuritatis sæpe opinionem sapientiæ profundæque doctrinæ ab imperitis extorquent. Nimirum illi dum effata quædam magnifica ad speciem, obscura ad intelligentiam, mirabilibus verbis sed ægrè sequentibus exprimunt, percellunt vos stupore quodam, instar machinarum, quibus lentus incessus maiestatem, occulti rotarum lapsus admirationem artis conciliant, longe melius ingeniũ accepisti, profundũ sine obscuritate maturum, acre sine tumultu, pacatũ sine inertia, in colligendis rerum formis rapax, in conseruandis tenax, profusum in dispensandis verè dicam. Natus es in ipsis naturæ diuitijs, tuum illa ingenium tã perita manu figurauit, vt nusquam sibi videatur ingeniosior: Credo experiri voluisse an haberet in suis operibus ingenium, cuius amplitudo omnes sapientiæ partes capere posset, vel certe vt amat illa spectari artificium suum indulgere voluit suæ cupiditati. nec

passa

paſſa eſt diutius latere maximam partem operum ſuorum; nam ſol ille ſpectabilis tametſi immenſam naturæ pulchritudinem ad oculos afferat, ſolam tamen ſuperficiem rerum illuminat, cor ipſum ac penetralia ſolem ſuum requirebant, hunc vero in capite tuo accendit velut in cœlo, cuius in luce nihil abditum, nihil difficile, nihil tectum ad intelligentiam aut obſcurum eſſe poſſet. Et vero cui mirum videri debet, ſi mentis tuæ claritatem, cum ſolis luce componam. An ego naturæ imo ſolem ſapientiæ verear dicere? qui pene in ipſo ortu ſuo, vix annorum duodecim adoleſcens, iam totum cœli, terræque globum intelligentiæ lumine peruaſit, occupauit, impleuit? An ego ſolem verear dicere, qui vel in ipſa ſcholarum vmbra, ſic fulget, vt ad omnium famam populorum miraculo ſcientiæ dimanarit? An ego ſolem verear dicere, qui nuper intra duarum horarum ſpatium tam expeditè ac celeriter, ſinus omnes, parteſque naturæ percurrit, vt non tam curſum ſtudiorum abſoluere, quàm totum illud quantum eſt ſapientiæ ſtadium emetiri videretur. Prædicent quantum volent aliæ nationes ſolem apud ſe quotidie naſci: hanc occidendi gloriam aſſerit Gallia, vt in eo tractu ſoles ingeniorum oriantur, & numquam occidant, quod ſi primos ipſos radios tam efficaces oſtendis, etiam cum adoleſcentiæ tenebras viuidum erumpit ingenium, quod cum adultam, & corroboratam mentem exerceris in cura rerum maximarum: cur enim non liceat ſpei noſtra in arcana futuri tēporis mittere, & ad expectationē & fidem excitare ſuperiorum memoriam, vel præſentium

felicitate metiri Quantum ab illo ingenio subsidium Gallia, quantum ornamentum Ecclesia sibi pollicetur. Quam fidelem operam, atque obsequium Magnus ille Ludouicus semper Iustus, semper inuictus cuius amorem ac reuerentiam non prius potest, quàm tui nominis felicitatem obliuisci. Auget verò tam votorum alacritatem, quàm securitatem adipiscendæ spei optima tua indoles ad amorem virtutis arcana quadam rapacitate incumbens omnino par ingenio tuo, neque enim videris scientiæ magis natus quàm virtutibus, quarum semina iecit artifex natura, & veluti summa lineamenta duxit intra quæ veram absolutæ virtutis speciem includeres & certè tametsi aliunde non eluceret splendidior nobilitatis tuæ ex generoso illo impetu, ac veluti pondere ad virtutes omnes, quæ nobilem decent properantis: satis intelligi posset cum tuam fingeret indolem natura, optimum principem facere voluisse, quid enim aliud spectat profusa illa dandi voluptas' quam priuata fortuna implere non potet. Quid amor tam sincerus in tuos? quem tibi indidit, vt eos exciperes, qui se tuis obsequijs adiungerent. Quid magnum illud pectus, & capax, nisi vt votum influentis fortunæ fauorem admitteres? Quid denique modestia, comitasque singularis demittens se se ad omnium affatus. Nisi vt altius in omnium animos descenderes. Nam quod nudum, & apertum esse voluit ingenium, & in tanta rerum cognitione nocendi solum fallendique ignarum, satis prouidebat imbecillitatis subsidiũ dolum esse solere, nec latere velle nisi qui suæ infirmitati timeant. Ecquis
iam

iam miretur tam facilem, & tractabilem pueritiam tuam fuiſſe, curæque patientem? cum moderatorum manus nihil inuenerit in indole tua quod emendaret, aut euelleret. Anticipauerat omnia præcepta, diſciplinæ natura & aſperſa neceſſarijs iucunditate, aut aſperitate honeſtis detracta, vitiorum omnium, aut cognitionem negauerat, aut amorem. Agnoſce Ludouice, Dux illuſtriſſime, liberalem in te naturæ manum, cuius dotes ac munera eo libentius in tuis laudibus numeraui, quod honeſtiſſimo vſu, cultuque optimæ educationis feciſti vt maxima rerum illarum gloria ad te perueniret: magnum quidem eſt haurire vitam in eo ſanguinis fonte, quo nobilior eſſe non poteſt. Maius eiuſdem ſanguinis ardore ad omnem virtutis præſtantiam exardeſcere. Glorioſum eſt principis ſortiri nomen; ſed implere bonis moribus glorioſius: beatum eſt in poſſeſſionem optimæ indolis naſcendi conditione vocari: hanc vbertatem ſoli ad omnem fructum virtutis prouocare. Hæc verò tua laus eſt, ſic excoluiſſe omnes naturæ dotes, vt ignoremus pluſne illa tibi debeat, quàm tu ab illa acceperis, ergo conceſſis ab ea muneribus, vt reſponderes cepiſti initium, vnde decebat à pietate raptus vſum tot diuitiarum meliorem non eſſe, quàm ſi eas in ipſum authorem grati animi ſignificatione refunderes. Hic primus ſenſus animi tui fuit, dignus certe principe, vt nobilitatem ipſam pietatem nobiliorem faceres, tantoque propius te cum deo coniungeres, quanto longius à communi mortalium conditione recedebas. Hac mente ſuſcepiſti conſuetudinem, quemli-

bet diem velut quandam imaginem totius vitæ intra duos terminos pietatis claudas. Lucem exosus, sic Deo gratias agis quasi tum primum ab eo vitam acciperes:exactè rationem sic ponis cum Deo, quasi desineres non laborare, sed viuere : quotidie tibi duo soles oriuntur, alter ad oculos, alter in animo lucet, sed non vterque pariter occidit, tametsi noctem oculis accipias, tam innocenter viuis, vt semper in animo luceat. Imo sol ipse numquam nisi inuitus à tuo recedit aspectu:vellet semper diem efficere, nisi tu ipse cum oculos claudis noctem induceres orbi terrarum quasi sole subducto. Taceo quàm frequens, & assiduus sis in templis, quàm exactus & diligens in obeundis christianæ disciplinæ sacramentis, quàm auidus diuini sermonis tum audiendi, tum legendi, quàm facilis & tractabilis iis quos ætati tuæ imperium parentis adhibuit. Neque verò id tribuendum censeo, vel adolescentiæ, quæ flexibilis est, vel eorum qui tibi assident diligenti industriæ, pietatem quod rarum est in adolescente, amas non tantùm naturæ bonitate, sed etiam iudicij rationisque consilio. Scis enim quia posses luce ingenij plurimum debere cœlo, qui plurimum accepit; errare qui meticulosam pietatem credant; non posse esse timidam virtutem quæ regi, quæ tuo parenti placeat; debere te non modo exemplum hominibus, sed etiam cœlo spectaculum: personã, principis Deo sacrã esse, cui quidẽ nulla re similior esse potest quàm innocẽtia præclarisque virtutibus quibus optimam indolem, animumque vere principem exornasti. Hic ille animus vitiorum imperiosus domitor,

tor, qui non haberet parem suæ magnitudini principatum, nisi etiam tibi imperaret. Hoc demum imperio Princeps es, nec tanti facerem plurima hominum millia, quanti te vnum animi tui subesse arbitrio: in aliis enim populares effectus, in te principis moderaris. Quàm multi in magna fortunæ licentia, dum operto imperio populos torquent, oculis, auribus, totis denique sensibus occultam seruitutem accipiunt: sed hoc ab animo tuo vitia cernimus abesse longissimè, ex omnibus enim animi motibus solum metum non pateris. Cæteros incredibili quadam ratione dispensas, audaciam laboribus, spem victoriæ, fugam sceleribus, dolorem alienis miserijs, iracundiam impiis, virtuti lætitiam impendis, amorem patriæ, & Deo. Quid de sensibus dicam? oculos habes libidinis inimicos, qui nullas insidias ponere, nullas pati didicerunt: voluptatis gustum non accipis, nisi quem aut virtus obtulexit, aut innocens studiorum quæsierit labor, iniuriam faciunt auribus adulantium voces, & merito quia veris laudibus abundas, reliquas demum corporis laudes sic componis, & tractas vt ex ipso oris & pulcritudine & dignitate facile pulchritudo mentis intus dominantis appareat. Et verò, vt ingenuè fatear quod sentio, huic venustati, præcipuè verò ab integritate, & pudore qui tanto in te laudabilior, quanto in aliis rarior. Rarum bonum esse dicunt castam pulchritudinem. Addam ergo rarius esse diuturnam pulchritudinem sine castitate. Quare si tibi aliæ causæ deessent, cur castitatem amares hęc vna satis esset, quod non modo inuigilat sanitati

tuæ, quia immortalis eſt, ſed etiam pulchritudini fauet, quia florem habent concolorem oris dignitati. Itaque non potes, ſine magna iactura non odiſſe voluptatẽ, tametſi ſolius pulchritudinis amittendæ periculum incurreres. Sed nimirum altiùs quoddam odium contra libidinem concepiſti. Parum tibi odiſſe videris voluptates, ſi tantum odiſſes duntaxat, quantum pulchritudinem amas. Tantum odiſti, quanti facis ingenium tuum, quantum innocentiam, & eruditionem diligis, nimirum tuus ille animus ingens tam liber ab omni concretione materiæ, tantos habet impetus ad res diuinas, vt vix perfunctoriam operam tradat vitæ neceſſitati, tãtum abeſt vt adhæreſcat voluptati. Meminiſti dictum illud ab oratore fieri non poſſe vt animus libidini deditus, amore, deſiderio, copia rerum affluentium impeditus, litteris operam dare poſſit, nec eſſe aliam cauſam, cur in tanta gloria, tantô honore, tam pauci ſint, ſemperque fuerint, qui in hoc labore verſentur. Omittendas eſſe voluptates, relinquenda ſtudia delectationis, ludum, iocum, conuiuium, ſermonem etiam familiarium deſerendum, quæ res in eo genere homines à labore ſtudióque deterret. Sapiens oratoris oraculum exemplum optimi principis approbauit: quid enim tibi temporis vacat à labore? Cum (vt ſoles quotidie) horam & eo amplius, ſæpe tres pietati, domeſticis ſtudijs quatuor, publicis ſcholis totidem tribuiſti: quid ſupereſt quod non dico noxiis voluptatibus ſed propemodum aberrationibus, ludiſque iuuenilibus indulgeas. Quem aditum reperire poteſt ad animum occupatiſſimum voluptas,
ſegne

ſegne illud & iners otioſanum negotium. Quod eo magis mirum videtur, quod in tanta laboris contentione nihil video, vnde vrgeri poſſis, niſi generoſam quandam, & nobilem in in omnibus excellendi voluntatem. Quoſdam inopia compellit ad laborem, tu Princeps es: quoſdam ſeueritas ſupercilium magiſtrorum, qui te docent numquam ita magiſtros agunt, quin ſæpius te Principem eſſe meminerint, & tamen cum princeps ſis, cum parendi niſi voluntaria neceſſitate compellaris, ad ſtudia ea tamen aſſiduitate litteras coluiſti vt priuatos omnes non minus diligentia quàm dignitate ſuperaueris. Poteras ſane parcere labori tuo, nec erat opus magna diligentia pro felicitate ingenij quo vales, vt reliquos omnes eruditionis gloria ſuperares. Quàm multos reliquiſti ad carceres, qui tecum in ſtadium ingreſſi fuerāt, reliqui qui te ſecuti ſunt quàm lōgo interuallo veſtigiis tuis inhæſerunt. Ante annum duodecimum, quis credat? Grammaticorum, Pœtarum, Hiſtoricorum, Geographorum, Rhetorū officinas omnes peruaſiſti, tanta celeritate vt innatæ tibi, & inſitæ ſcientiæ, non partæ labore atque induſtria viderentur. Quid dicam, qua facultate in ſtudio ſapientiæ verſatus ſis? ea præſertim ætate, quæ florum inſtar quàm pulchra, tam tenera eſt & imbecilla, & tamen in tanto ingenij miraculo ſic vacare ſtudiis voluiſti, quaſi ſcientiarum gloriā labori malles debere, quàm ingenio. Quid cauſæ putem fuiſſe cur tanto ſtudiorum amore flagrares? Dicam id contra omnium opinionem, non tamen contra veritatem. Omnes non ingenio tantum, quod facile

creditur, sed etiam labore, & diligentia vicisti, quia magis intererat tua studere quàm cæterorum. Quid ita? Quoniam priuatorum studiū in vsū priuatū redūdat; ex tuis laboribus nemo est in orbe terrarum, quin fructum aliquē percepturus sit vel vtilitatis, vel honoris, vel voluptatis. Voluptatem capiet Rex Christianissimus cuius in regno illud feliciſſimè euenit, vt ne meliorem regē in Gallia principes experti sint, nec ingeniosiores, prudentioresque principes, quisquā aliis è regibus in officio ac fide cōstātes habuerit, refert singularē gloriā Celcissimus Parēs tuus qui nō modo assecutus est vt esset optimus princeps, sed etiam vt in optimum principem efficeret: sument exemplum nobiles à principe, nec odisse poterunt amplius sapientiam quam reconsiliasti nobilitati. Denique tota Gallia maximam de te spem concipit, nec immerito, quia nihil reipublicæ saluti, & incolumitati, bonis, & sapientibus principibus vtilius Celebrarem hic etiam Aulicorum tuorum felicitatem, nisi iam vni ciuitati prope vniuersus orbis inuideret. Audire mihi videor reliquos populos apud se conquerentes: Ergone semper in sinu suo publicum orbis lumen, & communes delicias Bituris vna retinebit? Ergo ne principem illum, in quo pietas cum nobilitate certat. pudor, & integritas cum pulchritudine, scientia cum virtute, vtraque cum ingenij, & indolis felicitate, sola Bituris vidit? Illum inquam principem, cuius ingenium naturæ miraculum est, doctrina miraculum ingenij, cuius vultum omnium oculi appetunt, virtutem animi mirantur, amant ipsi cœlites pietatem. Sola Bituris vidit. Luce Ludouice

douice ſolis inſtar ex vmbra accademiæ ad lucem omnium nationum:imple ſinum maximi patris vnde egreſſus es. Exhilara oculos Galliæ flos liliorum noſtrorum, da te etiam aliquando, ſiue armatum, ſiue pacatum exteris gentibus, omnium animos vel ferro domabis, vel amore allicies. Ita eſt Illuſtriſſime Princeps, oſtende te quibuſcumque voles, ſtatim atque acceſſeris, omnium ad te animos rapies. Habes enim hoc ſimile parenti, vt omnium oculos, & mẽtes, quocũque pergis, ſequaces habeas, neque verò dubito quin ſibi vnaquaque regio ſæpe videndi principis blandiatur, ſed te quocumque obtineat, totum certe nobis non eripiet. Manebis ſemper in corde Biturigis, & vt ſperat ipſa quoque te quò perges ſequetur; quorum alterum à te ſtudioſiſſimè poſtulat vt eam ſemper in animo geras. Alterum fideliſſimè pollicetur, nullam vmquam perennius aut gratius fore in ciuium ſuorum memoriam quàm tui nominis & amoris ſempiterni monumentum.

ILLVSTRISSIMI DVCIS

ROGERII BELLEGARDII FRANCIÆ PARIS LAVDATIO.

Auctore

BACIO E SOC. IESV.

VIXIT immortalitate dignus ille Rogerius (Aud. Amp.) nobis, etiam ad mortem, præiuit Dvx fortiſſimus: tanti nominis inclyta Securitas, communi mortalibus neceſſitati ſuccubuit : Equidem illum mors deiecit : Torquem collo detraxit:

traxit: Armigerum exarmauit: Parem omnibus parem fecit. Flos ille Nobilitatis exaruit: Aulicorum lumen extinctum est: Regum deliciæ abierunt: Noster olim Pro-rex fuit. Vbi nunc illa oris Maiestas? vbi oculorum fulgor? vbi sermonis gratia? vbi manuum liberalitas ac munificentia? vbi totius corporis habitus imperio dignus? in regione mortis; Spectaculum, Scena, Theatrum vermibus: cadauer, cinis, vmbra, pene nihil, euanuit: donec iterum instaurato partu terra, præter naturæ vires fœcundata, Diuino imperio velut obstetricante, suum orbi miraculum reddat. Vbi verò animi vigor, Prudentiæ officina, Fortitudinis armamentarium, Iustitiæ tribunal, Honoris & Gloriæ sedes, Fauoris regia? Mentem huic Regno commodatam, pro suo iure, Cœlum repetiit; interim dum nos ipsi reuocemur, illâ deinceps æternùm fruituri.

Nisi fortè, vt corpori, sic animo Tumulum apud nos arte quadam elaboremus; amoris, obsequij, doloris Monimentum: vel potiùs excitatum ab eo pridem, præcipuis parentalibus hodie celebremus. Videlicet corpori suo Monumentum lapidibus extruxit: Animo Memoriam beneficijs posuit: Sepulchrum corrupto corpori, corruptibile; immortali animo, immortale. Quid ita; nimirum redivivis posthac futuris ossibus, temporaneam nunc habitationem assignasse, non modò nihil ad præsentem vtilitatem obfuerit, præteritâ postmodum vsûs commoditate: quin etiam ad honestatem proderit vel maximè, destructo tandem humanitatis probro. Pijs verò Manibus magnum immortalitatis lucrum obuenisse

uenisse omnes intelligent, si vel huiusmodi memoriæ nostræ tumulo vitam duxerint, ne minima quidem obliuione vt fit, interruptam.

Age ergo, consentaneum Heroi Mausolæum erigamus (Aud.) animorum vestrorum velut aream, opinor, vltro exhibetis: materiæ apparatum omnem extruendæ Moli necessarium ipse omni vita studiosissimè tanquam vnum in locum adportauit ex familiæ suæ fundo, indolis aptitudine, virtutum operâ, indefesso rectè agẽdi exercitio. Mihi verò pluribusde causis designandi dumtaxat rudioris cuiusdam vestigij studium fuit: cui educendo, vel industriam ipsi vestram, si vacat, dabitis: vel ingenium mihi, si potestis: vel negotium nauo, si placet, redemptori, cuius solertiam huic consilio non prorsus imparem iudicetis.

Sed nec excogitati quidem operis authorem me profiteor: primam enim animo informauit imaginem, vulgatum pridem Illustrissimi Ducis Elogium, quo de tot Galliæ proceribus stirpe inclytis, vitâ illustribus, fauore gratiosissimis, vnus hic fortunæ ac meriti excellentiâ, Aulicus etiam æmulorum consensu audiit.

Hunc igitur Aulicum memoriâ conditum teneamus (Aud.) contractum pulcherrimi nominis velut Epitaphio Encomium, Laudationis huius quasi latiore paulò ambitu receptum complectamur. Verbis, quoad licet, exprimamus simulachrum viri, cuius magnitudinem ac præstantiam, vix, ac ne vix quidem ipsa cogitatione assequimur, quo facto, idem erit vitæ ac mortis Titulus; idem plausus ac næniæ argumentum, idem quodammodo Epinicium at-

que Epicedium; idem gloriæ decus & figmentum. Vſque adeo parum intereſt, rerum caducarum vmbram inter & corpus! vſque adeo ingenita eſt ignis ac fumi affinitas! vſque adeo quidquid hîc malignè interlucet, de caligine in caliginem vertitur ac reuertitur! vſque adeo totius vniuerſitatis Pompa de nihilo cernitur in nihilum reuolui.

Breuiter loquar; verè Aulicus fuit Rogerius Dux Bellegardius. Cui laudi præſertim aſſerendæ, *Genus* idoneum, Natura multò ante prouidit; ſingulare *Meritum* Virtus poſtea contulit; ac demum *Fauorem* neceſſarium ſua conciliauit Fœlicitas.

Ac de *Genere* primùm vitæ Aulicæ, Regijs congreſſibus, Procerum conſuetudini peridoneo; non probandi gratiâ dicam, ſed honore commemorandi; quàm illuſtris ac generoſus fuerit ille ſanguis, quàm nobiles animæ, quàm ſupra communem vulgi tenuitatem Heroes illi, quorum perpetua dudum propagatione tranſmiſſus ad nos Rogerius ſuperiorem huius atque alterius ſæculi ætatem auita luce cohoneſtauit.

Tametſi neſcio, luctúmne leniat, an magis exaſperet recordatio longiſſimæ fœlicitatis, hoc miſeriæ ſenſu, quo ſpes omnis deinceps ſucciſa deploratur? Iuuat tamen etiam dolori morem gerere: indulgentiâ miteſcit aliquando, qui ſeueritate exacerbaretur: exaggeratus mœror ſaltem obſtupeſcit: & nonnulli delectabiliter triſtes, ægrè ſolatium admittunt, obſtinatè exulcerati: profectò frequens ac celebre neceſſitatis huius exemplum, ſortis acerbitatem familiari-

tate

tate mitigat; decessorum turbâ solemnem reddit; superstitum temporanea tantùm solitudine tolerabilem.

Scitis (Aud.) Diui Ludouici militem in expeditione sancta Baronem Terminesium, mille Vasconum Ducem, pro Deo ac Rege, forti animo vitam & fortunas olim deposuisse: quot putatis ex Palæstina palmas, distinguendis Stemmatibus; Nepotum imaginibus coronandis stirpe insignienda reportauerit?

Legistis obsidem apud Anglos pro Ioanne, huius nominis primo, Sanlariensem Toparcham, captiuo quidem, sed Regi comparatum; Gazis Regiis æquiparatum fuisse.

Audistis Rogerij Auum Tolozanæ ditionis Senescalum, annos natum septuaginta duos, per apertam muri Mazeresij labem, Religionis hostes insequentem; dum cruore proprio generosam canitiem inficit, famam sempiterna, immortalis lauri viriditate coronat, naturali morte obita ciuilem sibi posterísque vitam præstitisse, nulla temporum iniuria violandam. Vt magnifica Vrbis gratissimæ Parentalia, Pompam deducentibus, præter Magistratuum ordines, ac vulgi propemodum infiniti multitudinem, mille Nobilibus viris, virtutis inuictæ testibus omni exceptione maioribus; vt huiusmodi Iusta, inquam, non funebria, sed oualia; non Exequiæ, sed Triumphus; non humatio, sed Apotheosis, recepto in Cœlum Indigete censerentur.

Suspexistis eiusdem nostri quondam Pro-regis Auunculum Franciæ Marescalum, cuius in prouerbium abiit *Terminesiana sapientia*, cuius fortitudo

titudo in terrorem, cuius fides in miraculum. Neget hoc Pedemontum, si potest, neget omnis Italia, neget Mare Mediterraneum, neget Oceanus, neget Continens, negent Insulæ: reuocabo in memoriam Gallici exercitus, vltramontani Imperatorem, Parmæ Gubernatorem, Imperatoris Germani copias omnes suam in perniciem coactas dissipantem. Excitabo Corsicæ Pro regem, inuitis licet, pugnantibus nequicquam repugnantibúsque Genuensibus, tunc Cæsarianis, extortæ. Gaditanum fretum præteruehi iubebo inuidiam: vestram rogabo gratiam (Aud.) vsque in Scotiam cogitando nauigare: tum, lustratis omnibus facinorum omnium vestigiis, soluere ex Britannia, Caletanum in portum cui præest, exscendere, peragrare Picardiam totámque adeò Galliæ Insulam, quàm vocant, cuius etiam in Præfectura, tam gloriosè suum hominis diem octogenarium obiit, vt publico tumulatus, bonorum inops, honoris locuples, Elogio sepulchrali laudaretur.

Patruum Illustrissimi Ducis Marescalum Bellegardium, strenui illius Senescali primogenitum, nemo nescit, producendis præter Salussianæ Marchiæ fines Regni limitibus, eam dedisse operam Armorum & Consilij, quæ dignissimam tanto genitore prolem ostentaret.

Fratrem verò huius ignorare quis potest? Rogerii nostri Patrem, initio Marescalum Castrensem in militia Gallica: postmodum in agro Metensi Regium Legatum Generalem, sic domesticâ virtute, sibi suóque sanguini constitisse, vt Regiæ prærogatiuæ iudicium simul & sub-

dità

diti rem ſtrenuè gerentis meritum ex æquo laudarentur.

Nuperum denique Baronem Termineſium Ducis Bellegardij fratrem, Vrbis & Caſtelli Diuionenſis, Caſtrorúmque Regiorum fiduciaria poteſtate Præfectum, necnon vtriuſque ordinis Torquatum Equitem, etiamnum videre videor Henrici Magni auſpiciis Tyronem in obſidione Rotomagenſi: paulò poſt contento ad gloriam curſu, properantem apud Laodunum & Guiſiam, mediâ debilitatum tibiâ, non tam aduerſo caſu retardatum, quà vſurâ laudis propoſitâ incitatum. Ac deinceps, adhortante tanti Regis conſpectu, Stabuli Comitem Caſtilium, primus ante omnes, paſſibus circiter centum progreſſus, aggreditur ad Fontem Francicum: mox Regiæ fortunæ continenter comes apud Ambianum, Leuioris Equitatus Signifer, confoſſo equo deiectus in terram, lanceâ ipſe, aliíſque telis quatuor aut quinque tranſuerberatus, erigitur è veſtigio in confixos pedes, commilitonis in equum conſcendit, Tormentis, ne obſtruantur, adeſt, per mediam plumbearum ænearúmque glandium grandinem, ad Hiſpanum Legatum penetrat. Sclopi exploſione traiectum conficit, & brachiis licet vulneratis, nuſquam tamen debilibus, opima ſuum ad Regem ſpolia reportat, detractam hoſti pretioſiſſimam mitellam.

Integro pares exercitus totos non putat certaminum præſes, victoriarum moderatrix, honoris arbitra Prouidentia: en iterum tormentario globo mancum fieri ſinit in obſidione Firmitana: credo vt triumphum vendat, quem negare

gare non vult : vt incertam prælij aleam aliquamdiu. pro more, libret;vt contra hominem pugnare se aduersarij non dubitent : vt strenuitatis extare in posterum indicia possint. Ac nihilo segniùs properat in Belgium, vt Comiti Mauricio Clusam Belgicam obsidenti opituletur. Ad Pedemontanas lauros, post Maiores, pergit; Primam Ducis Sabaudi aciem Felissanum in suburbium immittit; Vrbem ipsam ad ad deditionem cogit. Loci naturâ, labore artis, hominum propugnatione munitissimum Nonense præsidium circumuallat, triduò quatit, præter omnium expectationem inuadit atque expugnat. Nec mora quingenti Heluetij, cùm se in Castellum Roguense clam reciperent, persequenti cum exigua fere domesticorum turma Terminesio manus incruentas dederunt; gloriosiùs arbitrati Terminesio cedere, quàm alteri cuiuis resistere : Nam ita populares illorum Parisiis postmodum profitebantur, actis reipsa Terminesio gratiis, quod turpem alioqui suorum fugam, honestè adeo repressisset.

Reuocat in Patriam fani Engeriaci redigenda in ordinẽ rebellio;neq;priùs comparet,quàm effusos ex mœnibus rebelles usq; ad muri fossã repellit,ereptis præsẽti periculo Nobilibus ducentis,recuperataCastrorum altera regione,quæ oppidanorum eruptione occupata priùs fuerat, bellicis tormentorũ Regiorum Machinis oscillatione vindicatis, ac subinde Volonum Antesignanus propugnaculum obtinet, Vrbem eas in angustias redigit, quæ quidem perduellibus Persuadeant, vice oraculi sumendam esse,communem

munem tunc populi vocem, alludentis ad gallicam Terminesij appellationem; terminum peruicaciæ, terminum furori, terminum vesaniæ augurantem.

Cæterùm clarissimam tot tantísque facinoribus Terminesij vitam, mors longè honestissima terminauit: siquidem accepto ad Cleraci septa læthali vulnere, Regis properè accurrẽtis complexu receptus, cohortantis voce subleuatus, lachrimantis fletu quasi ablutus, desiderio prosequentis quodommodo deductus ad æternitatis limen lucis huius vsurâm fœlicioris possessione commutauit.

O stirpem Bellegardiam! ô gentilitiæ arboris truncum! ô prosapiæ ramos! ô fructus! ô surculos! quid, amabo, huiusmodi radice fondatum firmius? quid scapo stat robustius? quid brachiis longiùs latiúsque porrigitur? Quid vbertate proficuum magis?

Ac ne Chabotianas, Colinæas Sanserranas insitiones laudẽ: Gondrinas verò Mõtespanas, Antináſq, propagines vt omittã: suppares demum Coronis Ducalibus Infulas Archiepiscopales aliò reseruem, quæ germanam Nobilitati Sãctitudinem, mirificè apud Senonas fruticantẽ, magno publicæ gratulationis argumento præstãt; ne digrediamur inquam, sed in vno hæreamus, quidnã indole Bellegardij fundi delicijs Aulicis natum magis? quid eiusdẽ ingenij cultu dignius? quid prouentûs fœlicitate cumulatiùs? Hac nimirum hac generis aptitudine commendabilis Dux Bellegardius, facilem sibi ad Aulam patere aditum initio statim expertus est. Non irrepsit vti solent viles vermiculi, terræ filij, putida

tida dumtaxat ambitione Gygantes. Non mouit admirationem velut hominis noui momento turbinis conſpicui. Non violenta vſurpatione locum ex alieno ſuum fecit. Non vulpina calliditate quempiam circumuenit. Non prenſauit affectatis largitionibus honoris gradum; aut flagitio rite commodato aſſequutus eſt, aut fortuita temeritate prouectum ſe nec opinantē pene ignorauit: verùm ſuis ab omni retro memoria familiare natalibus Regiæ lumen oculo irretorto conſpicatus, niſu non degenere contendit in eam Cæli Gallici plagam, in qua propioribus radiis quaquauerſum pertundi ac ſplendere illuſtriùs poſſet.

Hoc ipſo indignā caſtigans aliquorum ignauiam, qui tranſmiſſam à maioribus dignitatem extorqueri ſibi ab hominibus per ſe notis patiūtur. Quanquā obliteratum vitio ſuo priſcæ virtutis ſpecimē fruſtra fortaſſis, vt inepti ſunt, reformare molirentur; atq; idcirco, ſibi iam indebitum ordinem teneri ab aliis meritò ſinunt, qui ſi minùs naſcēdi conditione, ſaltem viuēdi nobilitate auos illos ac tritauos referunt, quorū ſpiritus in externo magis, quàm in domeſtico ſanguine habitat: potiùs vbi viget, quàm vbi langueſcit, vel ipſorum conſenſu hæredum, colendus. Nam genus & proauos, & quæ non fecimus ipſi, vix ea noſtra voco: niſi acceptam ab parentibus cōmendationem filij perēniter perpetuā quod in ipſis eſt, facere ſtudeant. Etenim qui numero diſcretas reipſa perſonas circumferunt, animo & corpore ſingulares, locis aliquandò, temporibúſque ſemper diſſitas, quo pacto meriti excellentia conueniant, niſi ſi mo-

rum

rum continuam quasi celsitudinem repræsentēt non iidē profectò esse possunt; at similes videri debent, vt eodem pretio cēseātur: aliqui sibi plus hodie nihil sumāt, quā tunc obtinuissēt, cum generosi tātùm, Nobilitatis titulos erexerunt, desidiosis infamia laborantibus ac prostratis. Enimuero non annis antiqua est mihi vllius dignitas, sed animi dotibus; nec vereor hesternam probitatē vetustissimi nominis nequitiæ anteponere: Nobilitas sola est atque vnica virtus etiam hodierna: imo & illa quæ post ætatum interualla ridiculè iactatur, iam senio delinquit, ac miserrimè incumbit alterius famæ, quæ cùm primò nata est, tunc verò maximè valuit: quid enim est quod lapsu temporis non debilitetur? Præsertim autem sublatis Heroibus, quis adulterinam eorum progeniem, tōmemoratis parētum facinoribus non vituperet potiùs quàm exornet? Quàm enim turpe est ex vbere solo infœlix lolium luxuriare inter medias segetes? quàm turpe est ex Aquila Columbā nasci, ex Leone Ceruū, ex Achille Thersitē? Quàm turpe est in medio Astrorum choro feralē Cometam, aut fatuum ignē erubescere? Sed quàm honestum est, fortes creari fortibus & bonis. Quàm honestum, propria molitione alienam Auorum altitudinem ad fastigium perducere? Quàm honestum primis familiæ syderibus lumen addere? quàm honestum ita viuere, vt, si non accepisses, tuis tradere generosam Nobilitatem potuisse videaris!

Rogerium alloquor (Aud.) quem si plebeium sui parentes procreassent, Aulicum mores procul dubio fecissent: Duabus præsertim virtutibus

bus, quarum exercitio negotium Aulicum agi prorsus necesse est: Vrbanitate videlicet ac Fortitudine. Quippe Aulicum non diuido, vti vulgus solet; sed integrum propono, vmbræ ac solis officio duplici constantem.

Iam quod ad vrbanitatis munus pertinet, ita fere constituitur; vt assiduitas Regiæ, cultus Regi, Magnis fidele obsequium, mediocribus grauis humanitas, infimis facile auxilium, omnibus prudens comitas exhibeatur: cum sermonis lepore quodam, habitus elegantia ingenua vultûs liberalitate, atq; his consentanea equitandi, venandi, saltandi, studiorúmque id genus aliorum eruditione: quibus omnibus simul ac semel vnū in hominem conuenientibus, mirificè Principium amor ac beneuolentia conciliatur, æmulorum certè inuidia, multitudinis veneratio. Ac si sanam Religionis persuasionem, vsumque constantem addideris, præter humanam, diuina insuper gratia consensione optabili. Quam consensionem fauoris vtriusque in defuncto Pro-rege sic animaduertistis (Aud.) vt commemorata communiter ornamenta, priuatim illi omnia verbis à me vestris tribui facilè possint.

Ita est Lupara domesticum, Reges quatuor Asseclam, proceres socium, Nobilium turba Ducem, Clientum frequentia Patronum, totis sexaginta nimirùm annis habuerunt: siquidē septendecim dumtaxat natus, Henrico huius nominis tertio adesse cùm cœperit, vix ab Henrici quarti, Ludouici decimi tertij, ac decimi quarti fœliciter modo regnantis conspectu abfuit vsq; ad octogesimum tertium: corpore tam vegeto,

animo

animo tam grandi,congressu tam exquisito,tota viuendi methodo tam bene prouisa atque perspecta, tam generosis habilibúsque exercitiis,vt vnus inter innumeros Aulicus singulari cognomento appellaretur.

Neque verò solùm celebrare assuetus, sed etiam celebrari. Quàm enim illustrē huius comitatum vidit Diuio?quàm ornatas ædes?quā splendidum mensæ apparatum?quàm magnificos priuatim & publicè, suis quoque temporibus ludos?quàm profusas Equitatus venationis, armamentarij expensas? quàm ingens authoritatis pondus?quàm addicta Prouinciæ totius officia?quàm propensa plebis vniuersæ obsequia,erga hominem, cuius dum honori seruiebat Burgundia, ipse huius vtilitati vicissim, otio,deliciis studebat.

Testes ego vos alibi appellarem(Aud.)Vrbem hanc in exemplum adducerem cohonestatæ ac locupletatæ ab Præfecto suo Præfecturæ:dictis factísque singulatim omnia confirmarem:stupidos exstimulare ad sensum conarer;ingratis memoriam refricare,hebetibus inculcare omnia Aulicæ Vrbanitatis indicia:sed quid opus est in re omniū experimento testatissima diutiús immorari; vel,quoniam,vt video,tantopere delectat?Cogitate florem illum iuuentutis in Conclaui Regio deliciosissimum:ætatis corroboratæ præstantiam in Castris:senectutis canos domi forísque venerabiles.Repetite animo indolem viri commodissimam, modestiam inuidiā superiorem, moderationem obtrectatorum calumniis intactam,gratiam nemini non obuiam. Veniat in mentem illa cuiuslibet excipiendi

bl**a**

blandiſſima procliuitas, audiendi patientia, dimittendi ſuauitas, demerendi conſtantia. Quis aſperiùs habitum ſe ab eo recordatur? quis contemptim appellatum? quis ſuperbè repulſum meminit? quis nõ manu dicã, ſed vel oculo truculentiùs deterritum? Hilaris fuit, ſine diſſolutione; facetus, ſine petulantia; iocularis, ſine procacitate: grauis autem, ſine arrogantia; dignitatis retinens, ſine faſtu, ſerius, ſine moroſitate. Quoties amicos ſalutationibus anteuertit? quoties æqualibus deceſſit? quoties etiam cum ſubditis officio certauit? Nam appoſitis ſcitè congrediendi formulis nemo diſertior erat, nemo in hemicyclis ornatior; ac ne minutiora perſequar, nemo in Principum conceſſu deliberando, conſulendo, decernendo ſapientior.

Quæ, non timeo, vt quaſi per locos communes declamatoriè recitata contemnat aliquis: potiùs vereor vt imprudentem irrideat Oratorem, qui vt omnium, ſic maximè Aulicarum virtutum expers, de Aulico rudis dicere ſuſcepit. Sed quantumuis multa prudens vel imprudens prætermitto tum Aulici ornamenta, tum ornamentorum teſtimonia; intelligentibus & peritis loquor; qui quod huic orationi deeſt taciti ſupplent: quod vtcumque in concionem profero, probant apud ſe ſinguli. Prætorquam quod iudicio ſtandum eſt tot Regum, qui niſi Rogerium merito ſingulari præditum agnouiſſent, cum ſuis amoribus beneficiis, honoribus, prolixè, vt paulò poſt dicam, delatis, dignum arbitrati non eſſent: aut in vſu atque adminiſtratione minorem opinione

ſua experti, pro more, muneribus amouiſſent. Quem porro alium tot annis æmulus liuor non deieciſſet? quis euectus ad eiuſmodi gradum tandiu ſine inſolentia perſtaret? nec propria ſaltem vertigine in præceps deuolueretur? ſed extolli ſe patitur, vt alios erigat: ſuam aliorum emolumentis authoritatem impendit, totum ſe communibus negotiis impertit: vt vnius poteſtate tota Reſpublica polleat; & priuatus quiſque ſentiat ſe, in alterius fœlicitate propriam nanciſci, quam alioqui numquã fortaſſis conſequeretur. Vectigalibus populos eximit, reos, infortunio magis quàm improbitate noxios, pœnæ ſubducit: aditum ad Regem ſupplicibus munit: Nobilibus beneuolentiam conciliat: Principum ſimultates abſtergit: & miremur vniuerſam ampliſſimi Regni conſpirationem in vno capite æſtimando tantam, vt vbique laudatores, vbique amicos, vbique clientes; nullibi obtrectatores, nullibi hoſtes, vix vllibi aduerſarios, etiam aduerſis quandoque temporibus ſenſerit.

Ac ne hominibus tantùm gratificari voluiſſe vitæ inſtituto ciuiliter dumtaxat morali putetur: Mentem profectò ſincerè Chriſtianam probat: quod affixus lateri Regis ſupra modum Chriſtianiſſimi, propenſionum conſcius, arcanorum particeps, Religionis affectator, tam Diuini cultus obſeruantiâ quàm Regij fauoris communicatione proximus ad eum Achates accedebat, adeò vt etiam affectantis ſuſpicione, nõ ſecus ac ipſe Rex laboraret apud os, qui vel intimos pietatis ſenſus non capent, vel mediocritatis adhibendæ prætextu

on

consilium extirpandæ conciperent. At ex animo pium se ac religiosum præstitit, cùm traditus in amicitiam Regis alterius nondum Catholici, nonnullum excidendi Regia necessitudine metum fidei diuersitas fortè ingessit:non obtinuit tamen vt vacillaret is, qui non homini vel tempori,sed Deo & conscientiæ seruiret; vel potiùs vtriusque obsequium ità coniungeret,vt quæ Regis essent, Regi committeret; vires, ingenium, sanguinem : quæ Dei Deo retineret;mores,animum,pietatem;quin & ipsum Regem, pulcherrimam Dei possessionem huic omnium legitimo Domino totis animi corporísque viribus restituendam procuraret.

Iam verò si Charitatis Diuinæ constantissimum obseruatorem, non ætatis leuitas, non temporum turbæ, non fauoris aura circumtulit:quis ætate firma, quis æquitate temporum, quis adeptæ authoritatis pondere dimotum putet?Henricæis turbinibus resistat,in Ludouicæa tranquillitate titubet; in Iustitiæ Regno, in Sanctitatis aula, in virtutis dominatu, Aulicus accommodè consentiens non degat? penè absurdum est, vel sic interrogando proponere. Quasi verò Christianam Aulici huius prudentiam ignorare quisquam possit, æquanimitatem,tolerantiam, liberalitatem?Quasi verò modum secundis rebus impositum, coercitas habendi cupiditates, frænos libidinibus iniectos nesciamus? Quasi verò secretæ in egenos profusiones nos lateant! dotatæ virginis,locupletata Nosocomia; quasi verò condonatas iniurias,compositas lites, restitutas in integrum familias nusquam audierimus! quasi verò sacra-

mentorum certam ac præstitutam vsurpationem, ceremoniarum exactos ritus, mysteriorum omnium curiosam diligentiam, exstructas ædes sacras, aureis argenteisque vasis adornatas nemo viderit, aut etiamnum videat; Ac ne longiùs abeamus; numquid non Templi nostri, vel tacente me, lapides loquerentur; Sacrarij supellex, vestis serica, argentea Dominici Corporis ædicula, cæteráque id genus, tum perfecta, tum animo designata, saltem rudibus quæ adhuc visuntur marmoribus insculpta retinerent huius beneficentiæ, ac nostri pariter ingrati animi monimenta? Quo loco admiratione dignum illud est, quòd munificentiâ simul & demissione Christus & Rogerius quodammodo contendunt. Hic enim argenteam illi domum ponit, sibi sepulchrum tantummodo terreum: ille Cœlestem huic habitationem parat, sibi eiusdem pectus, gratissimum in terris domicilium: vincit tamen Rogerium Christus magnificentiâ vt par est, tantò gloriosiùs, quantò Cælum argento pretiosius est. Vincit demissione, quod stupendum, tantò illustriùs, quantò indignius Christo hominis pectus, quàm humano cadauere terrę tumulus. Et exornat humani pectoris tenuitatem hospes Christus; & ædiculæ argento pretium confert præsentiâ suâ vel maximum; & exigui temporis interuallo, quoad licuit, Christum honore prosequutus Rogerius, tota æternitate sempiternam ab Christo gloriam consequetur.

Hæc eum spes nuper demulcebat, cùm affixus lecto, membrorum pene omnium vsu destitutus, grauissimis ad mortem vsque doloribus

bus excruciatus, cœli desiderio æstuabat, cuius vel cogitatione, mirificis, vt asseuerabant deliciis perfundebatur, vt in omni vita liquidiùs nihil degustasse meminisset. Differri solummodo proximam beatitatem metuebat, subrepente nec opinanti ægritudinis impatientia, cuius impotentiæ culpam expiare per transennam oporteret. Quocirca frequenter illud ingeminabat Diui Augustini optantis suum vt dolorem augeret Deus, dummodo & amorem. Ac, præter introspectam penitùs, excussámque à fundo semel atque iterum totius ante actæ vitæ conscientiam, deponebat identidem apud Sacerdotem, si quid priùs effugisse aut in præsentia intercidere suspicaretur. Accelerabat autem illam ipsam fœlicitatem, cùm, adhibitis ad sustentaculum famulis, ægrè ad Sacellum non adeo vicinum adrepens, Deiparæ, quam in primis colebat interuentu, Deo suo se sisteret, paratus ad nutum, horis integris ac solidis, etiam biduo ante mortem, prouolutus in genua; vsurpatis per interualla Simeonis Christum suscipientis vocibus: donec viatico ad æternitatis iter munitus, oleóque sacro ad extremum euadendi agonem ritè inunctus placidissimè commigrauit. Videte (Aud.) quemadmodum emeritus Regum Terrenorum Aulicus, cœlestis etiam Aulici, vt aliàs Terreni Tyrocinium maturè ponit.

Sed quid ego maturiùs hunc ad metas deduco? quem vix in medio cursu contemplatus sum. Aulicum enim numeris omnibus absolutum, memini me fortitudinis æquè ac vrbanitatis partibus definire. Nam delicatos Re-

giarum palumbos neutiquá sane probauerim, si fouere nidum sempet, explicare alas in aprico, fœminis blandè obmurmurando circumuolitare studuerint. Cirratos barbatulos, lemniscatos, cyprio puluere consperfos ac bene malè olentes, vnguentis madescere, cuticulam modis omnibus curare ad tempus profectò patiamur: cantillent aliquando, choreas agant, lyram tractent: at, exercitum, vbi opus est, ducant, clangorem tubæ ament, armorum strepitu delectentur, equorum hinnitibus ferociant, signis explicatis, bombardarum explosionibus, globorum tempestati, telorum nimbis assuescant, igne ac ferro fortiter pro patria dimicent: alioqui dimidios Aulicos appellare non dubitem: cùm Regia dignitas, quam colere profitentur, pace ac bello tota consistat, vrbem & Campum, subsellia & arenam, togam & sagum, tentorium & conclaue teneat. Algere igitur discant, solis æstibus torreri, laborare inedia, niue ac pluuia perfundi: Martis puluere non indecoro sordescant, faciem viriliter toruam, tersâ muliebriter ac nitidâ pulchriorem putent; Gymnasium Gynecæo præferant; hoc necessitate, illud propensione animi frequentent: inermi Pallade armatam conditioni suæ aptiorem credant, Bellonæ terribilitatem Cupidineis illecebris nobiliorem.

Quæ profectò mens fuit perfecti quem laudamus Aulici, vrbanitate fortitudinem, fortitudine vrbanitatem ita temperantis, vt in eo nihil vsquam molle, durum nihil deprehenderes; quamuis totum domi Ciuilem, totum in Castris militarem se præberet. De ciuili homine

mine mox dicebam : de Militari ſequitur vt in medium adducam id quod bellicam laudem fortiſſimo Duci non vulgarem aſſerat, etiamſi verbo præcidatur. Neque verò circumſcriptione vlla opus eſt apud eos qui rerum momenta iudiciis potiùs , quàm ſermonis oſtentatione perpendunt & loquacitatem Laudatoris, pretij diffidentiam interpretantur : aut ſaltem natiui alicuius decoris honorem fuco inducto violari moleſtiſſimè ferunt : abſit autem vt orationis huius leuitate pondus arbitrio veſtro addi poſſe putem,aut in Rogerij gratiam , non ratione, ſed affectu iudicari velim.

Dicam igitur abſque circuitu virtute bellica præſtantiſſimum neceſſariò fuiſſe Ducem Bellegardium, quoniam Henrici ter Maximi Armiger fuit, non quieto dumtaxat primi fauoris munere,ſed actuoſiſſimo deinceps viginti quinque annorum exercitio Numerate nunc bellicoſiſſimi Principio exercitus,numerate pugnas, numerate Caſtra,numerate victorias & triumphos ; totidem recitabitis Rogerianæ ſtrenuitatis teſtimonia. Neque enim is erat Mars ille Gallicus, qui magni nominis vmbra contentus, ſegnem Armigerum pateretur : neque tanta vllius Commilitonis ignauia potuit quæ torperet , dum excitaretur magnanimi Regis alacritate : neque temporum illorum occaſio tam infrequens, vt ſuorum merita Rex oculatiſſimus probè non agroſceret : Neque huius tam timidè prudens authoritas,vt vnius neceſſarij minus vtilem operam diſſimularet. Sed neque tanta hominum inopia , vel animorum,vt in numero vim ſuam poneret , & pro-

miſcuo milite vteretur. Quantò iniquiùs in tanto fortiſſimorum Ducum comitatu, imbellem Armigerum, ſibi ex officio affixum, aliorum in uriâ damnóque proprio delegiſſet. Si tamen adſcitus inter tot Leones Ceruus, aut perſtaret, aut naturam non mutaret. Vt de magni Scutarij fortitudine, nemo niſi cum offenſa Regiæ ſapientiæ dubitet; etiamſi huius opinioni rectè illius facta quomodo reſponderint, nondum intellexerit.

Latus ergo Henrici vbique muniebat Rogerius, præibat aliquando, ſaltem ponè proximus nunquam non ſequebatur, ſeu figere, ſeu refigere ſigna oporteret: quoties autem oportuit? Caſtrametanti aderat, cingenti Vrbes, inuadenti, expugnanti: hoſtes compoſito agmine collatíſque ſignis laceſſenti, profliganti, fundenti, fugantique: in obſcuro puluereæ nubis globo, in medio tormentorum tonitru, in intermicantibus gladiorum fulgetris, in ignium miſſilium telis quaſi fulmineis: periculis inſultabat, diſcriminibus obuiam ibat, mille mortes momento adoriebatur, ſecurus aleæ, prodigus vitæ, honoris auarus. Vidit ex mœnibus coniurata Religionis obtentu rebellio, vidit cum vallum moliretur, foſſarum lineas deduceret, cuniculorum ſuffoſſionibus præeſſet, muros quateret, per apertas labes, & diſiecta propugnacula conſcenſu ſuperans, Vrbibus potiretur Recordetur etiamnum Lutetia, Rothomagus, Carnutum, Ambianum, Laudunum, aliáque olim fœderatorum præſidia. Vidit in aperto Campo Gallorum illius temporis aliquorum veſania, cum in ordinem redigeretur. Vidit

Auxiliaris

Auxiliaris Angli temeritas, cum reprimeretur. Vidit Hiſpani fautoris Leonina vulpes, cum vtraque pellis ſibi detraheretur, Vidit Parmenſis excurſor, cum in Flandriam retruderetur. Vidit Sabaudus audacior, cum Regiis armis cedere cogeretur: Vidit omnis pene orbis Francicus, Vidit vnâ cum potentiſſimo Rege non indecorem Armigerum, in acie, in alis, in primis, in extremis agminibus voce ac manu terribilem, Sinite (Aud.) vt hoc modo ſummatim omnia commemorem, ne, ſi percenſere omnia ſingillatim, ac dilatare voluero, tempus mihi, vireſque deficiant.

Quid enim? ſi Arquenſe prælium deſcripſero? vbi rei Gallicæ alea vertebatur; quàm cum aliis Heroibus Gallicis fortiter dimicans Dux Bellegardius præeunte Rege fœliciſſimum in exitum deduxit. Quid ſi Drocarum obſidionem expoſuero? vbi ſe in hoſtiles cuneos, tam præcipiti laudis auiditate, immiſit, vt plumbea glande grauiter ſaucio vix receptui locus fuerit, vix præcluſus morti aditus, vix publici luctus retro auerſa calamitas. Quid ſi Aumalienſem congreſſum repetiero? vbi tota Rogerij humeris Regiorum ſors incubuit: cùm Rex, vulnere accepto, certamini ſubductus, ſuas Armigero vices demandauit: cuius dexteritate Regni gloria incolumis euaſit; non tamen ſine aſſertoris periculo, cui equus ſuccubuit, globo vno atque altero interéptus. Atqui prçterire neque poſſum neque debeo Quillebouinũ oppidũ tumultuariis dumtaxat cçſpitibus, præcipiti triũ hebdomadum aggeſtione protectum, commeatu bellico vacuum, annonç inops, deſperatione auxilij la-

borans: quod tamen Rogerius propugnauit, contra sex Peditum millia terrestris exercitus, octingentos Equites, armatas naues duas supra viginti, tria tormentariarum explosionum millia, plures ex omni parte assultus; quibus ita restitit fortitudine ac prudentia munitissimus, vt Ducem Maynium, eiúsque omnes conatus fregerit, copias dissiparit, soluere obsidionem coëgerit dignus haberi meruerit, cuius capiti, Rex, manu propria Coronam Querceam, deficiente Lauro, imponeret: quibus procerum gratulationibus, quo militum plausu, qua virtutis commendatione qua honoris fama, quis ineptè amplificet? Occasionis momentum, facinoris magnitudinem, capitis coronati meritum, Mentis coronam decernentis iudicium, manus imponentis dignitatem, satis oppidò intelligimus, supra omnem cuiuscumque Oratoris captum excessisse, non iam admirando, sed stupendo Heroïcæ fortituidinis argumento. Ac si lubet, Querceam hanc, seruatorum tot Ciuium olim indicem Coronam, dicamus, Regio nunc instituto, tot Vrbium expugnatori etiam, Muralem: tot obsidionum, susceptori Castrensem: tot præliorum victori, Lauream? tot ouationum ductori, Myrteam: toties pacis ac tranquillitatis publicæ promotori Oleaginem aptari.

Nihil vt addi posse videatur his gloriæ militaris insignibus præter vltimam Triumphi Pompam qua, semper inuictum Regem per mediam Parisiorum Vrbem deduxit postquam hoc Regni caput, excusso præposteræ fœderationis iugo, legitimi dominatus libertati restitutum

tutum eſt. Cernere erat ſecundùm Sequanę littoreum aggerem ad Luparam victrix agmen, ad Deiparæ Baſilicam vti Rex iuſſerat, ordine purcherrimo procedens: præibat modico interuallo, Cataphractus Eques Dux Bellegardius, Armiger manu iaculum prætentans, cuius ſilicem, ante ipſum incedens, geſtabat Præfectus Prætorio: pone ſimiliter pedites quingenti ſupra mille Nobiles quaterni ſequebantur, ocreati, armis à capite ad calcem tecti, partim demiſſis in terram pilis, partim haſtis in humeros ſublatis: quorum in medio eminebat Rex caballo inuectus, tranſuerſa ſuper Loricam accinctus faſcia plumis candidis inſigniter galeatus: interim occupabant reliquas Vrbis regiones alij Duces, abſque vllo tumultu, continebantur in officio ſubditi, cedebat domita peregrinę factionis inſolentia: præteritorum obliuio, præſens reconciliatio, futura fœlicitas vicatim accitis tubę ſonitu populis denunciabatur: gratiis Deo ſolemniter perſolutis, actis decretíſque in poſterum ſupplicationibus propitium Numen fiebat: florentiſſimæ Ciuitatis facies exhilarata pacis aduentu ſubridebat, lætis Ciuium acclamationibus feſtiuitati proximæ præludentibus; quid multa Regno Henricus laborum fructu Rogerius potiebatur. Vt neceſſe non ſit iterum in bellorum ciuilium perſequendis reliquiis cōſtantem exhibere; vel poſtea regnante Ludouico Iuſto in Hæreticorum domanda per ſe ſuóſque peruicacia, nuſquam ſibi ſuíſque diſſimilem.

Supereſt igitur vt quemadmodum hactenus Generis præſtantiâ, morúmque Virtutibus;

ita Fauoris etiam fœlicitate Au[illegible]cum modo repræsentem; ne quid huius nominis amplitudini defuisse quisquam suspicetur. Fauorem appellant tenerrimi amoris delicatissimam propensionem, qua, Principes vnum aliquem è suis procliuiore animo diligunt; cui se suáque permittant omnia; eiusmodi copia, vt quæcumque possunt, ea in eius gratiam velint, & verò dictis, factisque omnino liberalibus contestentur. Locum hunc, aut non multò inferiorem obtinuisse, apud tres quatuorue Reges, Ducem Bellegardium, vox publica sensúsque communis cum gratulatione pronuntiat: nec temerè pronuntiari, probant profectæ ab Regibus singularis in eum beneuolentiæ, amorísque præcipui significationes.

Enimuero de Henrici eo nomine tertij prolixa voluntate dubitare non sinit Dignitatum multitudo quam in eum plenis, vt aiunt, manibus, atque exundanti corde profudit. Quippe, anno ætatis decimo septimo, Vestiarij Magistrum se, Primum inter Nobiles Regis Cubicularium, Magnum Franciæ Hipparchū de repente factum ipse admirabatur; cum, præ modestia, merito suo diffideret, suíque progressus accelerationem cohibere conaretur: nisi Rex prudentissimus moderatissimo Iuueni modum immodicum præscribi haudquaquam oportere statuisset; ne indoles generosa temporis iacturam faceret, totidémque Gallia vtilitatibus careret, quot momentis Genij huius actio substitisset. Siquidem maturitas animi, ætatis tarditatem anteuerterat: cordatum ab ortu Natura ediderat; neque annis egebat ad experientiam, quam

quam innata sagacitas ita supplebat, vt iuuenili voce, cana mens de omnibus rebus pronunciare audiretur. Manu autem non minùs fortem, vt dixi, quàm capite consultum sese agebat; cùm apud se reputaret, Consilio, vires; viribus, lacertos; lacertis, occasionem; occasioni, hominem; homini, fortunam; fortunæ, fauorem; fauori, gloriam; gloriæ immortalitatem subdi ordine quodam, iussúque rationis. Adde virilem in Adolescentis vultu pulchritudinem, totiúsque corporis eam compositionem, quæ charitibus perfundebat quidquid vsurparet: quotidianæ consuetudinis comitatem vsque adeo ingenuam, vt aptitudine innata proferret, quidquid alij studiosa exercitatione affectant. Quæquidem omnia si accelerare voluit Deus, potuítne Rex non maturè agnoscere? aut agnitam viri opportunitatem, sibi pernecessariam, nemini non gratiosissimam negligentiùs capessere. Quis iucundiùs longa discordiarum Ciuilium tædia leniuisset? quis firmiùs inuidiosissimæ tunc Religionis cultum retinuisset? quis constantiùs profugo Regi adhæsisset? quis optatiùs moribundo adfuisset? quis sanctiùs Regiæ pietati integritatem, scripto subsignatóque Sacramenti instrumento, certam ac securam in Posteros transmisisset?

Sed quod ad fauoris meritum attinet, iudicio Regio sanè acquiescamus; cuius tamen prudentiã in Achatis dotibus recognoscẽdis hactenùs abundè perspeximus. Signa gratiæ cuiusmodi fuerint, recordemur. Mihi porro illustrissimum videri solet quòd in extremis constitutus ille idem Henricus tertius, lethali vulnere propemodum

modum animam exhalans, subditorum alio-rnm cõiuratione exacerbatus, aliorũ trepidatione, luctu, periculo commotior, mortis horrore, Pontificalibus minis, Dei iudicio expauescens; has, inquam, in angustias redactus, quasi oblitus sui aliorúmque omnium, collegit vltimo conatu spiritus interceptos, oculos in Henricum Regem Nauarræum successorem suum coniecit, in Rogerium retorsit, húncque illi, tremula quidem voce, sed constanti studio commisit, Filium inquit, meum Bellegardium, tibi commendo. Cuius appellationis formulâ profectò insinuare voluit suas fuisse, delicias neque solùm amoris teneritudine, sed etiam æstimationis pretio carissimas; quas, vt in demortui gratiam, eodem in pretio haberet magnopere optabat: suum non naturâ, sed familiaritate filium: quem hoc saltem nomine orbitatis suæ solatium habuerat: non indignum qui, si minùs Throno insideret, sanè adstaret; idoneum verò non gestando quidem, sed tractando Sceptro; Coronę non imponendæ sed componendæ aptissimum. Quem filium obseruantiâ, pietate, Regni tuendi atque amplificandi studio perinde animatum experiretur Henricus quartus, ac si propriam hæreditatem excoleret: cuius in filij sinum curas omnes tutò deponeret, summa negotiorum traditâ, interim dum colligere vires relaxatione quadam oporteret; aut laborum consorte adhibito, fatigatum animum subleuare.

Euentus fidem postea fecit vaticinio: quod etiam peculiari quodam ritu prosequebatur Hen

Henricus ille Magnus, qui militiâ pene perpetua, vti iam comemmoraui, exhaustas identidem corporis vires, non aliter reparabat, quàm si, deposito capite in genua Bellegardij trium aliquando vel quatuor horarum somno altissimo indulgeret; sæpe non alibi, quàm in fossa & aggeribus pernoctās, Deus bone! quātū tanti capitis ceruical! quid Rogerij manibus Rex non committeret? qui se totū genibus permittebat: sed quomodo caput non daret? cordis possessione iam gaudenti: quàm verò exploratam fuisse dicamus fidem, talis fiduciæ conciliatricem? Patrem diceres, inter filij brachia familiariter dormitantem: filium diceres, vitæ suæ, post Deum, authori, vitam sollicitè confouentem. Quasi recens iterata hæc alterius Regis adoptantis confidentia, adoptati pietatem iterum argueret, non tam adscititio arbitrariæ beneuolentię indicio, vt reuera erat, quàm conditionis naturali quadam velut necessitudine, vt videbatur.

Sed Filij loco fuisse apud Henricum verè Maximum, Magnum nomine, Magnum officio, Magnum rebus gestis Rogerium, manifestissimè declarat Pro-Regis in Burgundia dignitas, quam Delphini vice obtinuit, repulsam patiente ambitu Procerum plurimorum qui Bironij Prouinciam fœliciùs administrandam in se confidenter recipiebant.

Neque indignum fuisse vicarium, aut fratrem ferè alterum, subinde testatus est, post obitum Henrici, Ludouicus, dum pro sua

æqui

præſtantià, quis ornatu vicariam Legati dignitatem,ſufficientis poteſtati vſque adeo conſentaneam repræſentauit ? vix vt Hylam inter & Herculem Gallicum,Achatem & Ænæam,Patroclum & Achillem , Hephæſtionem & Alexandrum diſcriminis aliquid intercedere videretur. Rogerius procul dubio vobis hic obuerſatur(Aud.)vt Henrici iuſſu Maſſiliam contendit,vt conſcendit nauem, vt velificatur, vt exſcendit in portu Liburnico , vt itinere pedeſtri mox in Hetruriam venit, vt ab Duce Proceribúſque excipitur,vt Mariam flexo in terram poplite ſalutat , vt Regiam manum in epiſtola exoſculandam offert,vt gratiâ literarum,in exponendâ Regij cordis amicitiâ mirificè appoſitus Legati ſermo ſubſequitur,vt datam vtrinque fidem Cardinalis Aldobrandinus ritu Eccleſiaſtico bene adprecatus recipit:iterum animo penetratis in Palatium choreis tripudians, vocum inſtrumentorúmque muſicorum exquiſita varietate deliniens, ciborum lautitia proritans:Equeſtres omnis generis ludos , perſonata hilaria,theatrales pompas cogitatione ſpectatis: auream abacorum,argenteam,gemmeam chryſtallinámque ſupellectilem admiramini;conuiuij nuptialis ſubductitias occulto artificio menſas , ſuccedentibus animalium plantarúmque omnium figuris diſtinctas epulas , tempeſtatum anni viciſſitudines,elementorum regiones,fluminum lapſus, montium altitudines,ſyluarum opacitatem, fontium gelidas perennitates,auium garritus,naturam omnem magnificentiſſimè vnum in Cœnaculum concurriſſe obſtupeſcitis , vt ſeſe Henrico interuentu Rogerij

gerij addicat: perpenditis aureorum ſexaginta millium ſumptus poſitos vnam in Machinam Parnaſſi Muſarũ choro perſonãtis, ſuperuolãte velut ad numerum Pegaſo: eminẽtis ex Olympo Iouis in Aquila, cuius nutu fama perniciter deuolans aureum gemmeúmque Reginæ lilium offerat: Neptuni Delphino inſidentis in liliato mari: quos quidem honores, ſibi & cõiugi delatos Rex Legati ſenſibus cum vſurparet, animo proprio acceptabat: ſic vt vnum ambo componere hominem diceres, aut vnum ex Ioue & Mercurio Deum cui ſua Iuno nuptui traderetur.

Sed quemadmodum quæſo feruebat Maſſilienſis portus? aduentante, cum Regia ſponſa, Regio Caduceatore: quàm anguſtus excipientium cuneis viſus eſt? quàm contractæ Maris mediterranei fauces? non dicam integræ Pontificis Romani, Hetruſcorum, Melitenſium, Genuenſium Claſſi, ſe vel vni quæ Mariam & Rogerium vehebat Naui ſeptuaginta paſſuum, viginti ſeptem hinc atque hinc remorum verſu actę gemmis intrinſecus extrinſecúſque radianti, Auro, Argento, Ebore, Ebeno, Pyropis, Adamantibus, Chryſtallinis ſpecularibus perſpicuæ; Sipariis Camerarúmque periſtromatis Attalico textili ſuſpenſis: quàm effuſæ in occurſum continentis Vrbes? quàm prompta ex omnibus orbis Gallici partibus præſertim autem ex aula Pariſienſi, Heroum, Heroinarúmque accurrentium obſequia? Lugdunũ vſque, vbi depoſitâ Regis perſonâ quam ad tempus impoſitam ſciebat Rogerius Dux

Belle

Bellegardius, Aulicum ſe gerere perſeuerauit, qualem, vt probaui, maturæ aptitudo ab incunabulis deſignauit: qualem Virtutum Dignitas haberi ab omnibus meruit, qualem merito conſentaneus Fortunæ Fauor vix interrupta fœlicitate promouit ad Honoris culmen; cuius in ſupremo vertice (quæ Ludouici Adeodati gratia eſt) ætate, gloria, fortunis integer, raro exemplo, expirauit; ſed expirauit.

Nimirum ea eſt (Aud.) corporeę molis huius concretio, quæ ſenſim in Elementa diffluat, ex quibus vnā in maſſam concurrentibus aliquādo coaluit: eiuſmodi eſt animi corporiſque vinculum, vt falcato Mortis enſe momentis omnibus præcidatur: ſolem hunc cernimus, non poſſidemus: hoc pacto cōuētum eſt de vſu rerum omnium, vt per manus inuicem traderemus, ad arbitrium Conditoris, ſucceſſiuè nos, tanquam in Theatrum, inducentis in hunc orbem atque educentis: vaſa hæc fragilia fecit figulus, ne nimiis tandem ſeſe anguſtiis coarctarent: fœnum hoc hodie floret, cras exſuccum marceſcet: fumus hic erumpit vt pereat: vapor hic aſcenſu diſſipatur, vel progreſſu in medio rurſus defluit: bulla hæc ſubito detumeſcit: ſpuma hæc, facilè reſoluitur: glacies hæc, primo ſolis radio colliqueſcit: vmbra hæc neceſſariò fugitiua eſt: folium hoc leui flatu abripitur: ſtipula hæc abit in exiguum puluerem: Lateritium hoc ædificium particulatim in rudera cumulatur. Vel ſi placet honorificentiùs hominem appellari; Honorum fulgetra ictu oculi diſparent: ſtrepitus bombi, tonitrua Poteſtatum, poſt aliquot mugitus, breui ſtupidè conticeſcunt: fulmina

ſeipſi

seipsis atteruntur: syluarum annosam canitiem, ingenita Roboribus Teredo prosternit: Diuites campos tempestiua messis exspoliat: Colossorum vægrandis proceritas, proprio pondere terram petit, casu & ruina multo ampliùs, quàm statu & mole mirabilis: suum etiam syderibus occasum natura præstituit: verbo dicam, omnes morimur, omnes, in cinerem, in terram, in putredinem imus. *Lux* in tenebras, domus in sepulchrum, nomen in obliuionem, frequentia in solitudinem, Laurus in Cupressum vertitur. Statua in Cippum, basis in tumbam, lamina in Titulum reformatur.

De Magistratuum Purpura, post obitum, quid superest? præter fuscam panni feralis fuliginem. De splendore dignitatis quid rutilat? Præter subluſtrem atratorum cereorum scintillam. De Maiorum commendatione, de arrogantia propria, de alienis adulationibus, & de posteritatis fama quid sonat? præter funestos campanarum tinnitus, lamenta, eiulationes, planctus. De Nobilitatis insignibus, de gentilitio scuto, de armorum ostentatione quid refertur? præter ea quæ præferri solent rudia quædam monogrammata, crasso in chartis adumbrata penicillo. Quid de pretiosis vestibus, peristromatis, tapetibus inducitur? præter vilem ex cannabi crassiore, si superis placet, stupa lacernam. Quid de laquearibus aureis secum optimates aufferunt? præter vnum atque alterum asserem, bracteâ plumbeâ concameratum. Quid de hortorum deliciis extat? præter tumulum modico cæspite aggestum. Quid de ciborum lętitia sapit?

Prętet

preæter id quod vermiculorum voracitatem expleat. Quid de tota pulchrorum & pulchrarum venustate ridet ? præter diductos larue cuiusdam edentulæ rictus.

Tiaras, Diademata, Coronas, Mors minimè reueretur : sceptra nequicquam intentantur. Prætorianos non timet : suis Torquibus Equites eam non vinciunt, aut equis persequuntur, aut gladiis mactant. Ipsa omnes omni loco ac tempore seriùs ocyùs interimit, mille conficiendi modis : post Equitem sedet, ad Peditis latus ambulat, Magistratuum tribunali adstat, præit ante fasces, in securibus eminet, in Pontificum Infulis, Pedo, Trabea, in conclaui Principis, in thalamo coniugum, in Matronæ Rheda, in Epulonis mensa, in Iuuenum cincinnis, in Virginum monilibus, in Virorum lacertis, in canitie Senum, in omnium sinu latitat, insidiatur; ludit, nocet; sæuit, palpat, ridet, percutit; palam, occulte; temerè, ex industria; violenter, blandè; otio, festinanter; confertim aliàs, aliàs singillatim.

Fœlix ! qui fortiter vim illam subit, quam subterfugere non potest. Fœlix ! qui cogitatione telum anteuertit, ne intolerabiliter feriat. Fœlix ! qui brachium nouit, vt contemnat ictum. Fœlix ! qui præsentit vulnus, vt procuret remedium. Fœlix ! qui viuendi normâ, Mortis genus, ad Immortalitatem erudit. Fœlix ! qui syderum more occidit vt resurgat. O te fœlicem ac fortunatum Rogeri ! quem, caduca secum in terram non traxerunt : quem, peritùra non perdiderunt : quem, fluxa non abripuerunt : quem, prærupta præcipitem non egerunt:

egerunt:quem, inania non inflarunt: quem, incerta non mouerunt: quem, vana non fefellerunt:quem, turpia non inquinarunt. Temporaneis Æterna; Terrenis, Cœlestia; Humanis, Diuina comparasti: Carnem & Spiritum; Aulicum & Christianum; Fauorem & Salutem, Regis & Dei Gratiam, conciliasti: Ortum genere genus virtute, virtutem honore nobilitasti: vitã factis, facta meritis, merita præmiis cumulasti: Obitum quiete, quietem gloria, gloriam Beatitate coronasti. Viue, viue, interim dum desiderio tui morimur. Viue Rogeri, dum amoris tui rogo accendimur. Viue Bellegardi,& adhuc ominatissimi nominis pulcherrimo præsidio tuos tueri perseuera. Fruere iam optatissimi fratris,nepotúmque complexibus;nósque filios olim amantissimos saltem oculorum coniectu recrea. Fruere fœlicissimo Beatorum cœtu; & ad orbitatis nostræ solitudinem, serenum tui vultus iubar identidem reflecte. Fruere toto Diuinitatis Oceano,cuius aliquas ad nos colliquias deriuabis, donec plena tecum capacitate perfundamur.

Viget enim profectò in Cœlis ille Animus (Aud.) cuius in terris Domicilium vetustate collapsum est sopitâ Corporis Custodia, carcerem fregit;aperta euolauit cauea liber spiritus; fatigato exilij Comite hîc subsistente, patriam tenet; morti addicto corruptore, purus atque innocens migrauit. Nihil est quod suspiriis reuocemus;nihil est quod querelis prosequamur; nihil est quod lachrymis teneri posse confidamus. Aspirare ad eum votis præstat,cursu sequi,ad metam consequi. Quippe miseriarum habere

habere socium malle, quàm in partem fœlicitatis quam consecutus est, venire furoris est; inuidiæque intolerabilis; petere, impium; sperare, dubium, conari stultum. Caueamus ergo ne in moderato luctu, sortem illius vel putare malam, vel dolere bonam videamur; iniurioso vtrinque vel amoris affectu; vel odij: caueamus ne, nos, nimio vtilitatis nostræ studio. parum eius gloriæ cupidos, vel diffidentia præreptæ ab illo, vel nobis communicandæ desperatio conuincat: caueamus ne qui nobis satisfacit vtcumque mœror, planè displaceat ei, qui lætitiæ argumenta vsque vsque suppeditauit. Lugeantur quibus benè agendi occasio defuit, vel industria, vel voluntas: Lugeant qui gratulari nequeunt, vel non debent: Mortui censeantur quorum nulla virtus vnquam vixit; quorum nomen obliuione deletum est; quorum fama in sepulchro iacet. At verò lętitia exultabundi, quibus decet encomiis efferamus eum, cuius Nestoream ætatem, Heroicis exactam facinoribus, Deus æternitati consecrauit.

egerunt:quem, inania non inflarunt: quem, incerta non mouerunt: quem, vana non fefellerunt:quem, turpia non inquinarunt. Temporaneis Æterna; Terrenis, Cœlestia; Humanis, Diuina comparasti: Carnem & Spiritum; Aulicum & Christianum; Fauorem & Salutem, Regis & Dei Gratiam, conciliasti: Ortum genere genus virtute, virtutem honore nobilitasti: vitã factis, facta meritis, merita præmiis cumulasti: Obitum quiete, quietem gloria, gloriam Beatitate coronasti. Viue, viue, interim dum desiderio tui morimur. Viue Rogeri, dum amoris tui rogo accendimur. Viue Bellegardi, & adhuc ominatissimi nominis pulcherrimo præsidio tuos tueri perseuera. Fruere iam optatissimi fratris, nepotúmque complexibus; nósque filios olim amantissimos saltem oculorum coniectu recrea. Fruere fœlicissimo Beatorum cœtu; & ad orbitatis nostræ solitudinem, serenum tui vultus iubar identidem reflecte. Fruere toto Diuinitatis Oceano, cuius aliquas ad nos colliquias deriuabis, donec plena tecum capacitate perfundamur.

Viget enim profectò in Cœlis ille Animus (Aud.) cuius in terris Domicilium vetustate collapsum est sopitâ Corporis Custodia, carcerem fregit; aperta euolauit cauea liber spiritus; fatigato exilij Comite hîc subsistente, patriam tenet; morti addicto corruptore, purus atque innocens migrauit. Nihil est quod suspiriis reuocemus; nihil est quod querelis prosequamur; nihil est quod lachrymis teneri posse confidamus. Aspirare ad eum votis præstat, cursu sequi, ad metam consequi. Quippe miseriarum

habere

habere socium malle, quàm in partem fœlicitatis quam consecutus est, venire furoris est; inuidiæque intolerabilis; petere, impium; sperare, dubium, conari stultum. Caueamus ergo ne in moderato luctu, sortem illius vel putare malam, vel dolere bonam videamur; iniurioso vtrinque vel amoris affectu; vel odij: caueamus ne, nos, nimio vtilitatis nostræ studio. parum eius gloriæ cupidos, vel diffidentia præreptæ ab illo, vel nobis communicandæ desperatio conuincat: caueamus ne qui nobis satisfacit vtcumque mœror, planè displaceat ei, qui lætitiæ argumenta vsque vsque suppeditauit. Lugeantur quibus benè agendi occasio defuit, vel industria, vel voluntas: Lugeant qui gratulari nequeunt, vel non debent: Mortui censeantur quorum nulla virtus vnquam vixit; quorum nomen obliuione deletum est; quorum fama in sepulchro iacet. At verò lętitia exultabundi, quibus decet encomiis efferamus eum, cuius Nestoream ætatem, Heroicis exactam facinoribus, Deus æternitati consecrauit.

ARMANDO BORBONIO

GRATIARVM ACTIO

PRO SCHOLIS CLAROMONTANIS DECENNI COMMORATIONE ORNATIS.

Auctore

COSSARTIO, SOCIETATIS IESV.

PRIMVS hic agitur ſolemnis Academiæ noſtræ dies (Princeps Sereniſſime) ex quo fuit conſpectu conuictúque tuo poſt annos decem perpetuæ conſuetudinis, mœrore ſuo ſummo tandem orbata. Nihil interim eſt ab ea prætermiſſum officij, quo proſequi abeuntem poſſet: effuſa eſt in ſenſus omnes gratiſſimæ voluntatis, pro tanto

tanto támque diuturno beneficio : dederunt amoris perinde doloríſque ſignificationes, exedræ atque ſcenæ : neque dies nobis locúſve vllus à laudibus vacauit, deſiderio luctúque temperatis. Sed priuata hæc erant, & domeſticis incluſa parietibus:publico beneficio publica gratia debebatur. Deſignauerant hunc diem expectabántque iamdudum Claromontanæ Scholæ, quo partem hanc implerent officiorum ; atque in celebritate ſua maxima,tanti debiti non ſolutione quidem , quod nullius opis eſt;ſed quod poſſunt vnum, profeſſione fungerentur. Quod dum à me huius Collegij nomine præſtabitur;erit id orationi meæ percommodum , quòd neque apud te , Princeps Sereniſſime , neque apud eos qui adſunt, notam aſſentationis vllam verebitur. Nam & eorum video neminem , qui laudes omnes tuas , quæcumque informari oratione poſſunt, ſuis de te iudiciis non vincat;& tibi , Princeps , notiores nos eſſe confido , quàm vt vani adulatores poſſimus videri. Noſti amorem noſtrum : ſatis hoc vnum eſſe ad tollendam fuci ſuſpicionem poteſt. Quidquid à me dicatur , peruidebis plura & ampliora multò in animis omnium noſtrûm,quorum tibi ſemper ſinus intimi patuerunt. Prodire toti non poſſunt noſtrorum pectorum ſenſus ; ſed nimirum eos à te videri malumus, quàm audiri : contineri non poſſunt iidem à nobis omnes ; ſed neque ſinceritati noſtræ iniuria, neque modeſtię tuæ vis vlla fiet, ſi quibus referendis gratiis impar eſſet ęternitas ipſa , iiſdem agendis hora vix vna deſtinatur.

Exigua hęc eſt mora temporis, Auditores, cuius à vobis vſuram poſtulo, vt Armando conſecrem: non quò delibare de omni genere laudum, & infinita illius decora perſequi operoſiùs cogitem: aut quò perpetua decem annorum beneficia moliar in horæ vnius anguſtias includere; quorum alterum ambitioſi, alterum ingrati conſilij foret, pleniſſimum vtrumq; temeritatis: ſed, quod erit huius loci, & inſtitutæ à me gratiarum actionis maximè proprium, huic vt inſiſtam vni: quid ab Armandi Borbonij dignitate ſumma, deinde quid ab excellenti eiuſdem ingenio Academia noſtra ſplendoris acceperit. Quòd ſi res tantas neque amplecti liceat iniquioribus ſpatiis, quæ ſunt huic orationi deſcripta; neque aſſequi facultate dicendi tenuiſſimâ, quâ me inſtructum intelligo; ita ferme de infinitis in nos Armandi promeritis ſtatuendum à vobis in præſenti puto, vt ſacris diuiníſque de rebus, quæ cùm nullâ poſſint vel ingenij, vel temporis amplitudine comprehendi; nullum eſt tam breue tempus, quo eas colere quiuis, gratóque animo ſalutare non poſſit. Non negabitis, opinor, huic argumento gratiam, cui reuerentiam quoque impertimini: captare hac in oratione ſtudia voluntatéſque ſine auditorum iniuria non poſſum, eorúmque offenſionem incurrerem, quorum gratiam aucùparer.

Hoc primum Scholæ noſtræ contendunt: nunquam munus vllum aut collatum eſſe in quemquam, aut potuiſſe conferri nobilius, quàm quo ab Armamndo Borbonio donatæ ſunt, Patrocinium iis ſuum non negare, ſingularis

gularis gratiæ fuisset: beneuolentiam præstare, summi beneficij: amorem totum impendere, incredibilis cuiusdam, & mirificæ largitatis. Nunc verò non tegere vmbrâ quâdam præsidij, sed toto splendore Regij nominis illustrare; non mulcere beneuolentiæ significationibus, sed fouere complexu perpetuo; non amoris sui modò copiam facere, sed totum semel, quantus quantus erat, tradere, dōnare, in sinum infundere, quæ demum isthęc fuit, & quàm infinita profusio.

Quanti enim faciendum munus illud sit, neque ij opinor estis, apud quos demonstrari oporteat; & id ego si susciperem apud alios, solo prolato nomine perorâssem. Quidquid est infra Armandum Borbonium, illius munere minus est. Cedo quidquam hoc nomine præstantius; huic accepti amplitudinem muneris Academia nostra summittet. Cedo rem vllam in Gallia nobiliorem Borbonio sanguine: cedo vllam in Orbe terrarum Regiæ Galliarum stirpis Principe clariorem. Hæc nimirum illa stirps est, quæ in omnes terrarum diffusa partes, effloruit in coronas, pullulauit in sceptra, surrexit in solia: cuius propagines sunt, omnes Principum Regúmque familiæ, & veluti surculi quidam huius exuberantiâ prognati. Fons est Regum hic sanguis; redundauit in Principum omnium venas, manauit in Regna, transiit in imperia: difficile dictu est, an pluribus seculis fluxerit, an regnis pluribus imperârit; Hispania, vnde tibi Reges tui? Italia, Britannia, Cypre Hierosolyma, vnde prodierunt vestri? ab hoc sanguine, tanquam ab Oceano riuuli exie-

runt. Lusitania Hungaria, Bohemia, hanc stirpem nostis? certè: si nostis Reges vestros, quos tanquam enatos ex ea ramos accepistis. Polonia, sceptrum tuum respice, solium tuum intuere, Sicilia, liliorum in iis impressa vestigia etiamnum agnoscetis. Enumera Imperatores tuos Græcia: tuos Germania Cæsares percense. Principes appellabitis ex illo genere oriundos, qui Orientis & Occidentis Imperia Gallico sanguini subiunxerunt: quasi aut dilutior esset omnis purpura, cuius fulgorem non exaggeraret hic sanguis; aut infirmiora solia, nisi hac stirpe niterentur.

Quid igitur fecisti, Armande, cùm Te his scholis tradidisti? Inclusisti vnum in locum, quod regendis fortunandísque plurimis gentibus satis esset. Dedisti vni Academiæ, quod si Prouinciis aliquibus dedisses, repetiissent regna; si regnis concessisses, inuidissent imperia; si imperiis omnibus partitus esses, orbis terrarum gaudio & gratulatione triumphâsset. O te, in liberales doctrinas sanè liberalem! Prodigum propè dixi: & hanc certè notam videtur à te res vna defendere, quòd sacrarum diuinarúmque rerum nulla sit prodiga largitio. Nihil amittit Princeps, qui se prodigit: non effluit cum iactura, sed incrementis quibusdam profluit: neque amplitudinem suam imminuit; sed auget alienam. Non est fons vllus aquarum egentior, cùm eas iugi quodam lapsu, & prodigâ perennitate profundit; sed nomine illustrior, cùm vberiùs easdem, latiúsque permanant. Non est Sol diminutus vllâ parte luminis, ex quo totus explicari mortalibus cœpit:

pit: perpetuis emissionibus non exhauriuntur radij, sed propagantur: neque fit ex eo sidus illud obscurius, sed omnes cœli, terrarúmque plagæ clariores. Nihil decessit Principi nostro de sua claritate, cùm eam Scholis nostris impertiit: non dem sit sese, sed litteras extulit; effecitque suo splendore illustres, affinitate nobiles, coniunctione regias; vsu, amore, necessitudine gloriosas.

Vbi nunc illi scurrarum Palatinorum greges, qui Musas omnes veluti sordidulas quasdam, & rusticanas virgines cauillabantur: vbi illæ rudioris seculi reliquiæ, illi homines inuito genio nati, qui eas à conspectu regum, ab aditu principum, à nobilium consuetudine arcebant? vbi illa tempora, quibus doctrinę omnes probro nobilitati vertebantur; quasi essent illæ vulgi propriæ, & degenerâsset à patria virtute, qui plus aliquid maternis litteris didicisset? Vindicasti, Princeps, eruditionem ab hac calumnia; eam tibi deuinxisti nexu amoris, atque societatis arctissimo; simúlque dignitatem, si eâ carebat omnino, tribuisti; si quam habebat, auxisti: neque potuit deinde nobilitati non placere, quæ coli à Principe potuisset.

Athenaïdem intueri mihi videor, eruditam illam virginem, quæ à iuniore Theodosio coniux adscita, ab humili & iacente fortuna, ad summum imperij culmen euecta est. Latebat illa sub obscuriore tecto nullâ re nisi virtute felix, vno ingenio clara, solis doctrinis locuples, paternarum opum, quamuis illæ modicæ forent, testamento exheres; spreta à suis, neglecta à ciuibus, alienis ignota. Venit in Palatium

deprecatura paterni testamenti iniuriam. Hic contempta scilicet puella tenuis, & duriùs habita in limine, vix vt admittatur exorat; sed admissa tandem, sequestrâ pulchritudine; tum conciliatricibus gratiis, aduocato pudore, patronâ eloquentiâ perorauit. Placuit Imperatori, quæ lictores atque satellites flectere vix potuerat; & dimissa cum gratia, breui summa cum gloria reuocata est. Coniux eligitur, designatur Augusta. Redit in aulam apparatu regio, solemníque pompâ: ingreditur maximis ordinum omnium gratulationibus: Imperatricem venerantur, qui modò sordidatam & squallentem contempserant: communicatur cum Athenaïde, Theodosij maiestas: tantúmque splendoris in obscuram puellam ab augusto matrimonio refusum est, vt deposito Athenaïdis nomine, gloriæ nomen ipsum ferre tum cœperit & Eudoxia nuncupari.

Quod Theodosio quondam Athenaïs, hoc tibi deinceps doctrina debebit, Armande. Extulisti eam in amplissimam huius regni lucem, cùm tenebris damnata crederetur. Deduxisti in Palatium, vt ibi eo cultu exciperetur ab omnibus, quo quidquid tuum est prosequuntur. Triumphat in purpura, quæ in puluere iacuerat: Reginam omnes fatentur, quæ fuerit Magistra Principis, neque iam vllus est ex ista gente trossulorum, qui litteras ausit vel calumniari impudentiùs, vel licentiùs ludificari, quas tuis coniunctas laudibus intelligat.

Est enim hic honos earum summus, quòd laudes auxerint tuas, & aliquam tibi nouæ claritatis accessionem adiecerint. Traxisti à maioribus

ioribus tuis nobilitatem generis, à litteris ingenij nobilitatem accepisti. Nam cùm ea sit communis omnium & contestata notio, vt nobilitas splendor quidam dicatur esse, quo prædita res eximiè fulgeant; critne qui nobile illud ingenium putet, quod non sit insigni aliquâ luce cognitionis ornatum, nunquám erigatur ad summa, sed quibusdam inscitiæ tenebris pressum sepultúmque iaceat? Vna est, quâ depelli hæ tenebræ possint, vera & certa lux, scientia: quæ tantum in animis lumen accendit, quanta in iis ipsa fuerit. Hæc mentium vita claritas est: hac nobilitate ingenia glorientur. Quam decoris laudísque partem cùm ad cæteros Armandi Borbonij titulos adiunxerint litteræ, non tam arbitrantur datum à se beneficium, quòd opes omnes suas eius in sinum congesserint; quàm acceptum profiteantur, quòd ipse ingenium illud commodârit, in quo exornando, tantâ suâ gloriâ versarentur. Fuit iis ad commendationem atque gloriam maius, illustrâsse huius Principis ingenium, quàm cæterorum huius & superioris ætatis Principum beneficiis, & honoribus inclaruisse; vt cùm maiorem nemini lucem tribuerint, tum à nemine acceperint ampliorem.

Quem enim mihi dabitis qui meliùs sit de iis meritus omni munerum largitione, quàm Armandus hoc facto vno meritus est? Adducantur Augusti; existant Antonini; Constantini, Theodosij, Iustiniani proferantur. Illi donis ingentibus litteratos homines prosecuti, quid ampliùs dederunt quàm sua? quanquam, quid dixi sua? qui aliud eorum plerique, quàm ci-

uium & prouinciarum bona largiti ſunt; publicorúmque furtorum liberales, integros, & innocentes viros ſuis criminibus locupletarunt ? Princeps noſter munificus erga eaſdem fuit, non alienorum, quæ non tractat; non ſuorum tantùm, quæ parua duceret : ſed, quo nihil hic donare pretioſius, nihil optare maius illę poterant, ſui ipſius.

Adeſte Caroli Magni, reuiuiſcite Franciſci; exiſtite glorioſi manes, quorum præconiis tam ſunt plenæ litteræ, quàm refertæ beneficiis; triumphate cùm ſanguinem veſtrum nulla ex parte degenerem intuemini; ſed ita triumphate, vt concedatis adoleſcenti Principi lauream illius erga litteras beneficentiæ, quam tãto ſtudio, tam præclaris, támque regiis operibus affectâſtis. Patroni fautoréſq; litteris præfuiſtis : iis ſe alumnum Armandus ſubmiſit. Protexiſtis eas auctoritate & poteſtate veſtrâ : hic ſuam iis ſubiecit. Clientes habuiſtis, quas moderatrices coluit : dignatæ ſunt aditu nonnunquam & congreſſione veſtrâ, quarum in ſinu domeſticus habitauit. Patuerunt iis veſtra Palatia, in eorum penetralia euocatæ Muſæ omnes vobis aſſederunt. Sed quis veſtrûm, quis Regiorum Principum ante hanc ætatem alius in earum ſedes ſe contulit, ipſarum aſſiduus conuictor, & contubernalis futurus ? Reſeruabatur in noſtra tempora decus hoc litterarum, vt Borbonio nomini deberetur.

Plenum Muſis, & perfectum honorem Armandus habuit; non excepit domi ſuæ, vt hoſpites; non inuiſit identidem, vt amicas : ſed

perpetuum ſeſe domeſticúmque comitem iis, vt Principibus quibuſdam ſuis tradidit. Iiſdem eas officiis coluit, quibus Martem Sereniſſimus Frater Princeps Condæus proſecutus eſt. Ille, vt ad militiæ diſciplinam erudiretur, non fecit quod plerique aſſolent, qui bellum ediſcunt in otio, & caſtrenſes labores in aulicis deliciis, inſtituta duriſſima in ipſo voluptatis ſinu meditantur. Aſſueuit in caſtris, pernoctauit ſub pellibus, vbi erat facies belli ſæuior, eò penetrauit: vt armorum rudimenta inter arma ipſa poneret; neque dubitaret quiſquam, quin Marti ſe conſecraſſet & addixiſſet totum, apud quem alumnus habitaret

O Martem Ludouici contubernio nobilem! ô Muſas Amandi conuictu glorioſas! ô diem illum iucundum nobis, memorandum poſteris, omnibus prædicandum, quo primùm die has in ædes Armandus Borbonius pedem poſuit! feliciſſimum diem, quo regium munus hæ ſcholæ acceperunt! Clariſſimum, quo refulſerunt eius purpurâ! Sereniſſimum, quo tantus Princeps verſari in iis cœpit! Attulit dies ille vnus huic Academiæ quod Academiis omnibus omnia ſecula non obtulerant: vnus eam lætitiæ ſegetem profudit, cuius reliquias conſequentia deinde apud nos tempora ſuauiſſimâ recordatione colligent. Meminiſti, Princeps, quanta illius diei fuerit hilaritas, quàm ſincera omnium miniméque fucata gratulatio: cùm hæc domus nunc ſileret obſtupefacta gaudio, nunc perſonaret ſubitis & ingenuis acclamationibus; tectáque ipſa, quaſi felicitatē perſentiſcerent ſuam, exilire lætitiâ viderentur.

Horum meministi: sed quàm benigno vultu simplices & plenas animi gratulationes exciperes & plenas animi gratulationes exciperes; quàm modesto, laudes tuas audires, quæ illis plausibus sine arte miscebantur; quàm graui, & composito, gestientis iuuentutis ardorem etiam tum puer temperares, non ita meministi fortasse, quia nullius rei soles, nisi virtutum tuarum obliuisci.

Solent Principes non iidem semper esse, sed gemino plerumque vultu: quorum alterum ad speciem componit industria, alterum ad ingenium suum natura conformat: illum spectaculis atque pompæ, hunc quotidianæ vitæ adhibent: quíque in apparatu solemniore, dij quidam erant visi, iidem modò naturæ suæ redditi, vix homines putantur. Princeps noster, quos animos attulerat ad huius ingressum Academiæ, eosdem in eius sinu seruauit; neque alio cultu coluit Musarum penetralia, quàm quo earumdem limina salutauerat. Nihil de ipsius in eas ardore tempus remisit, nihil de cultu familiaritas, nihil labor de assiduitate, nihil iudicium in puero maturum, suæque adeo iam conscium dignitatis de officiis omnibus, quæ litteris purpuratus tyro persoluebat. Neque verò sua illa studia dissimulauit vnquam, aut erubuit earum cultor videri, qui patronus esse poterat. Palàm, ante oculos omnium, publicas scholas frequentauit quotidianus auditor; neque illarum aut angustias refugit, qui amplitudinem suam vbique circumfert, aut lucem veritus est, qui maiorem in eas esset illaturus. Priuatis alij præceptionibus erudiantur, longéque

que à conuentu,& frequentia dictata capessant tenebricosæ disciplinæ:ament recessus atque latebras,qui lucem neque facere,neque pati possunt. Armandus doctrinam hausit publicis è fontibus, quibus salubriores nulli sunt: didicit in communi loco, cuius institutio commune bonum erat; lucem amauit qui nihil habebat, quod tenebris occultaret.

Quanquam! frustra latebras quæsisset. Est enim annexum hoc conditioni Principium, vt tegere se non possint, neque publicum fugere: quia quemcumque insederint locum, publicum faciunt. Patent omnium oculis recessus intimi palatiorum; publicique iuris eorum actiones sunt, quorum priuata esse persona non potest. Quàm est hoc importunum plurimis, tam gratum idem atque commodum accidit Armando Borbonio,cui gloriosius nihil poterat apud nos esse, quàm si qualis erat, talis omnium oculis penitus appareret. Quamobrem adeo non tulit molestè illam famæ licentiam, quæ res Principum omnes, quamuis domesticas,efferre in apertum solet;vt publicum etiam scholarum in conspectum vltro se dederit,certus tot sibi laudum præcones adfuturos, quot rerum suarum testes & arbitros adhiberet. Quæsiuit studiorum socios,vt essent quibus antestaretur:magnitudinis suæ putauit esse, vbique videri principem, vbique illustrem; & percurrendis scholis omnibus, Solis curriculum imitari,qui domos suas sic obit & peragrat singulas,vt easdem illustret.

Hic enimuero,quæ miracula explicauerit cœlestis ingenij; felices qui quotidiani spectato-

rces fuiſtis! eodem incluſi ſtudio, iiſdem vſi legibus: vbi cùm prodigia veſtros animos infinita percellerent, vnum inter cætera maximum elucebat; Armandus Borbonius, veluti omnium vnus, & acceptum à natura principatum quodammodo diſſimulans, vt alterum ingenio quæreret. Videbat fortunata iuuentus, quòdque inuidiſſet alteri, hoc Principi ſuo gratulabatur, videbat ingeniorum omnium lucem obſcurari ab vno; ſed obſcurari ſic, vt maius tamen ab eo lumen acciperent: quemadmodum minora ſidera, quanquam extinguuntur præſenti Sole, fulgorem tamen ab eo totum hauriunt; quóque accedunt ad eum propiùs, hoc viuidioribus radiis accenduntur.

Hæc quæ præſentes videbamus, ad abſentes fama deferebat, quanquam longè minora vero; quæque res omnes ſolet ampliores narrando facere, harum aſſequi magnitudinem prædicando non potuit. Neque illi ſuccenſere iure poſſumus, quòd res tantas verbis, laudibus, præconiis omnibus non adæquauerit, quas cùm vſurparemus ſenſibus, vix præſentes ipſi capiebamus. Narrabat parentibus ſuis iuuentus noſtra, eſſe in Collegio Claromantano Principem, gratulabantur: non alium hunc eſſe, quàm Armandum Borbonium; obſtupeſcebant. Ventitare ſecum eaſdem in ſcholas, eâdemque diſciplinâ, doctore eodem, iiſdem temporibus erudiri; vix credebant. At cùm audirent iidem, nihil hîc eum retinere principis, niſi neceſſitatem quandam aliis præcellendi; ingenio ſuperiorem omnibus eſſe, qui ætate ſingulis eſſet inferior; eundemque labore &

aſſi-

assiduite præstare cæteris, qui vincere solo ingenio potuisset; hæc cùm à liberis suis parentes acciperent, hærebant gaudio & admiratione attoniti: amplectabantur natos suos nonnulli, & lachrimis suauissimè manantibus, felices, inquiebant, qui difficillimo regni tempore tam beata tempora nacti estis! tum iubebant recitari sibi rursus eadem, & sæpius renarrari. Faciebant ipsi deinde omnibus, eorum quæ didicissent copiam, communicabant cum amicis, inculcabant obuiis, vbique spargebant. Omnium erat vox vna, nunquam fuisse litteras, quam in hoc gymnasio beatiores: regnare denrum illas hoc seculo, bellis inuitis: neque floruisse vnquam illustriore otio, quàm quo, inter armorum tumultus sæuissimos, fruebantur Accedebat ad eosdem sensus morosior ipsa ætas, & admirationum parcior: perpetui illi laudatores superiorum temporum, præsentium contemptores agnoscebant tandem fatebantúrque oblatum nepotibus suis, quod suæ patrúmque memoriæ negatum fuerat, fruíque litteras præ enti bono, quod ne optando quidem fuisset olim à suis æqualibus cogitatum. Vota faciebant iidem, vt per quem fierent immortaliter gloriosæ, huius nomen æternis honoribus consecrarent. Nemo erat litterarum sincerè amans, qui non eadem aut optaret, aut promitteret: nemo posthac eas colet, qui non eodem sit animo futurus, Armande, & perinde vt studiosus illarum erit, ita decus in eas à te collatum interpretibus iisdem celebraturus. Dum illæ supererunt, vigebit recens florebítque beneficij tui memoria: prima litterarum

laus

laus erit, decoratas à te fuisse tantis honoribus; gloriæ tuæ pars non spernenda, litteras tam insigniter honestasse.

Atque hoc tibi præcipuum, & singulare debent: quòd ad ipsas non tam descenderes, vt alij, accepturus beneficium, quàm concessurus. Quid enim expectares præsentis gratiæ, præmiorúmque omnium, quibus donari ab iis sui clientes solent? quærunt apud eas nonnulli fortunarum accessionem; tu & aliorum fortunam fabricaris, & tuam nascens tecum attulisti. Alij captant illarum otium, vt durius quoddam vitæ genus deuitent; tu vt earum labores amplecteretis, plena voluptatis & deliciarum otia fugisti. Sunt qui gloriolam per eas aliquam, & corollam affectent; tibi innata corona est, neque incubuisse nostras in disciplinas videris, nisi vt eas tuo diademate coronares. Tulisti quidem ab iis laureas in omni genere longè plurimas; sed quæ plus à te decoris acciperent, quàm conferrent: & quamlibet dederint multas; debent tamen haud paulò plures, sempérque debebunt. Suas dignitati, suas ingenio, vniuersas Armando Borbonio debent.

Dubitant verò, neque ab re profectò dubitant: plurésne Borbonio debeant, an Armando; id est, an dignitatis splendore, qui tibi est cum Regia tua gente communis, an ingenij luce, quæ propriè tua est, ampliùs illustratæ per te fuerint.

Hoc enim dicam citra periculum assentationis, quæ non potest ad res tam publicas & peruagatas adhærescere; tractatas hîc esse à nemine litteras, cui non pręstares ingenio

tan:

tantùm, quantùm claritate generis anteibas. Atque vt intelligatis, Auditores, quàm nihil aut nostris artibus,aut solertiæ Principis, ementitiæ laudis aspergam; reuocate in memoriam ea quorum ipsi testes nobiscum fuistis; conferte omnium ingenia, qui sunt in hoc doctrinarum curriculo versati, cum vno Armandi ingenio; simùl quantum vni omnia concesserint,recordamini. Acutos alios ad excogitandum vidimus,sed minùs acres ad iudicandum: alios æstimandi prudentiâ, non itidem acumine, industriâque præstantes. Ille ad grauiores artes ingenij vim atque robur attulit: hic elegantiam ad amœniores. Ille differendo subtilior,sed parum in exornando copiosus; hic in eloquendo vberior, quàm in disputando pressior visus est. Neminem nouimus ita laude vllâ præstantem, nihil vt ei de confini vitio, tanquam illitum adhæserit; neminem, nisi Armandum Borbonium, in quem ingenij laudes omnes nouo fœdere, & conspiratione factâ, confluxerint; qui tam esset ad iudicandum grauis, quàm celer ad intelligendum; tam festiuus inter flosculos elegantiorum artium,quàm firmus inter tristiorum salebras; tam velox in comprehendendo, quàm in retinendo diuturnus: in quo lepos cum soliditate, maiestas cum faceriis, vbertas cum moderatione, suauitas cum vehementia, perspecuitas cum abstrusiore intelligentia, pugnarent nihil; sed pene conflatæ coalescerent, & summâ consensione iungerentur. Qui huius maturitatem ingenij videbant, tardiorem credidissent hominis adolescentis indolem, nisi continuo

ac quotidiana cæteri norunt, percurrentem res altissimas, longéque supra communes virorum nisus euolantem? His sublatus alis, siue per suauiorum Musarum spatia, quasi ludendo volitaret; siue naturam obiret omnem, Philosophiámque ipsam in recessus rerum altissimarum subueheret; siue in Dei sinum rectâ ferretur, Theologiámque trans aspectabiles rerum omnium formas elatam inter purissimos spiritus, & in ipsa diuinitatis adyta inferret: vias inibat vt tritas antè nemini; ita nullius deinde vestigio, ingressúque tentandas. Quid verò, cùm res ipsas humiles eâdem ingenij sublimitate tractaret? vt nihil esset tam depressum abiectúmque, quod non excitaretur veluti ab humo & puluere; nihil tam commune & ante pedes positum, quod in ore Principis inusitatum, & admirabile non appareret: quemadmodum summo monti insidentes arbusculæ, quamuis humiles illæ per sese, eminent tamen, non suâ, sed montis altitudine sublimes. Quæ cùm Armandus faceret, cùm itinera sibi noua panderet & priùs inaccessa; fugiebat videlicet aciem ingeniorum omnium, neque vllus erat qui non perinde & illius cursum miraretur, & sequi se posse desperaret. Nauim aliquam intueri te diceres, quæ alto & inuio mari suas sibi semitas aperiens ipsa, procul euolat nullâ impressâ nota, nullo relicto tramite atque sulco, cui insistentes cæteræ præuiam assequantur. Aquilam ego videre mihi videbar, quæ cùm infert sese in tractus nubium altissimos, eósque volatu arduo superat, vestigium nec inuenit, nec relinquit vllum.

Quæ-

Quæ si omnia tacerem, Auditores, hi pro me parietes, hæc saxa, hæc Athenæi spatia loquerentur. Responsarent scholæ omnes eius plenæ ac refertę miraculis; emitterent non suas, sed Principis ipsius voces, quas ad æternitatem tuentur; fieret iis ex vocibus concentus laudum admirabilis; resonaret conflatum ex omnibus præstantis ingenij præconium; existeret vocalis quædam imago mentis excellentissimæ, eâ re minùs suspecta fuci, quòd artis ingenio perfecta non esset. Præiret autem, & chorum omnem quodammodo duceret hic locus, aut tacerent certè loca cætera, vt hic vnus audiretur: hæc, inquam, aula, in qua solemni ritu, conuentu principum & optimatum maximo, frequentiâ cæterorum ordinum tantâ, quantam capere hi parietes possent, velut indictâ sapientiæ panegyri; consedit, responsa cuiusuis edens de omni philosophia, illiúsque arcana scrutans & euoluens eâ facilitate, vt intelligerent imperiti; eâ subtilitate, vt peritissimi quique obstupescerent,

Silete tamen, silete hoc loco ædes nostræ; exedræ, theatra, scholæ Claromontanæ silete in Armandi causa: ne cui vestra sit fortè suspecta prædicatio, quòd domesticæ sitis. Sorbona! testimonium hîc tuum deposco. Meministi illius diei, quo nullus tibi ex omni memoria clarior illuxerat, cùm Armandus Borbonius suggestum tuum conscendit, vt haberet ampliora quàm apud nos spatia, quibus conceptam hîc collectámque lucem explicaret. Illic sedebat Princeps adolescens, eorum arbiter mysteriorum, quæ canos Patres in illo Theologiæ domicilio

micilio tot iam annis exercebant. Confluxerat ad hoc spectaculum omnis Lutetia, id est, omnis fermè Gallia, velut Roma quondã seculares ad ludos, quos nemo vidisset antè, nemo postea visurus esset. Aderat comitatus omni flore nobilitatis Serenissimus Armandi Parens Henricus, sidus illud iniquo deinde Galliæ fato, nostróq; maximo luctu præreptum; aderat autem eo animo, quo triumphantes quondam liberos parentes fortunati spectabant. Coronabat disputantis pulpitum Antistitum cœtus ingens: quos cùm vnius ex ore pendentes omnes intueremur; quis tum erat nostrum, cui non iam videretur Princeps Borbonius pontificiis quibusdam comitiis præesse; respondere de sacris, pronuntiare de religionibus, & fundendis inter Ecclesiæ Principes oraculis assuescere?

Si cui dubia fuissent, qui de illius ingenij præstantia in vulgus à nobis emanauerant: is cùm explicatas in illius theatri celebritate atque amplitudine tot ingenij doctrinæque opes vidisset, non iam desiderasset nostram in laudando fidem, sed parsimoniam incusâsset. Si quis ignorat etiamnum, quàm enucleatè spissa, quàm subtiliter implicata, quàm planè ardua, clarè sublimia, admirabiliter vniuersa disputet; adeat gloriæ fastos, & illius diei memoriam ex iis repetat. Quæris quàm acutè reconditiora penetret? ex Academicis percontare: quàm eleganter eadem & politè tractet? Nobilitatem interroga: quàm accuratè, quàm eximiè diuinis in rebus, mysteriísque altissimis versetur? exquire Antistitum iudicia! quàm in omnibus excellat? ex Antistitum,

ex

et Nobilitatis, ex Academicorum non iudiciis, sed admirationibus intellige. Grauiores hi testes sunt, quàm vt mendacis cuiuspiam assentatiunculæ suspicionem vereri quoquo modo possim. Qui cum Armandum intuerentur illo die in obscuris emicantem, ludentem in arduis, vbique triumphantem; cùm cum aspicerent modò res abditas euoluentem maiestate quadam profluentissimæ orationis, more fluminum, quæ aquas suis in fontibus quodammodo arctatas in planitiem effundunt; modò contrahentem verbi compendio disputationes amplissimas, speculorum in modum, quæ Solis radios omnes longè latéque dispersos in orbis sui punctum pertenue, velut in lucis gremium colligunt: cùm hærerent attoniti omnes, quòd tam salebroso in cursu nusquam hæreret; sed oppositis difficultatum veluti nubibus densissimis, nunc coruscaret instar fulguris; nunc fulminis ritu omnia perrumperet, ibíque luceret puriùs, vbi maior offusa caligo fuerat; cùm illius memoriæ amplas opes, sermonis delicias, sententiarũm pondera, respõsionum acumina, doctrinæ miracula suspicerent: cùm admirarentur pontifices, quantum Ecclesiæ columen surgeret; proceres quantum aulæ decus adesset; eruditi, quantum litteris sidus affulgeret; omnes quantum huic imperio subsidium ornamentúmque pararetur: quæ tua mens interim erat? Henrice, Continebas tu quidem intus gestientis animi lætitiam; sed ita premere sensus tuos non poteras, quin exundarent identidem, & in vultum erumperent: eúmque cæterorum vocibus,
etiam

etiam inuitus, gestu nutibúsque concinnes. Erant omnium aures in Armandi voces intentæ, oculi, partim in eiusdem os, cuius contemplandâ dignitate expleri non poterant; partim in te coniecti, vt prolixiorem gratulationem quàm maturi, tam sinceri gratulatores anteuerterent. Tu neminis in vultum intuebaris, vti ferè mos eorum est: qui vel blanditias aliquas venantur oculis, vel explorant aliorum nutus, è quibus iudicia sua suspensa sunt: Noras vt acerrimus ingenio princeps, ita omni doctrinâ cultissimus, momentis omnia suis pendere; neque res vllas aliorum sensibus, sed tuis arbitriis æstimabas. Hærebas oculis in Armando tuo defixis; nisi quòd eos deiiciebas nonnunquam, ne maior esset redundarétque tandem lætitia, quæ oculis simul auribúsque caperetur.

Gratulabaris interea tibi, filium incomparabilem; filio, adolescentiam eruditam; eruditioni, patronum regnum; Regno, Principem Religiosum; Religioni, regium, eruditum, incomparabilem defensorem. Videbas eum, id ætatis, professum vindicem sincerioris doctrinæ, quam fouebas; efferentem in conspectum orbis terrarum paginam vnam quæ foret veluti Theologiæ symbolum, monumentum fidei Borboniæ, specimen Romanæ, compendium Catholicæ; documentúmque consequentibus seculis, quid sanguis Christianissimus de Religione sentiret: hærebásque incertus, vtri gratulari deberes magis, tibíne qui hunc Religioni propugnatorem dedisses; an Religioni, quæ tantum à te præsidium accepisset.

Gratulabaris etiam. Obstat hîc dicenti mihi

pu

pu[illegible]r aliquis noster, Auditores, atque id pro[illegible] in oratione mea ponere, quod nobis si apud maleuolos aliquos inuidiosum, certè apud omnes perhonorificum foret. Dicam tamen, quod frequentiâ maiore cùm nobis tùm aliis audientibus professus est Henricus, quàm vt premi silentio vellet dicam, quod est ad cōmendandam ipsius bonitatem, quàm ad laudem nostram celebrandam illustrius; neque committam; vt magis verecundiæ nostræ videar, quàm eius gloriæ seruiisse; & dum modesti volumus esse, ingrati quoque simus. Gratulabatur quoque nobis Princeps Optimus; scholísque nostris fructum aliquem laudis huius impertiebat: tribuebat Claromontanæ institutioni, quod indolis Borboniæ proprium erat; quódque effloruerat ex Armandi solertia & ingenio, nostris eductum curis, & excultum artibus prædicabat. Cui tam illustri de nobis intelligentissimi principis iudicio, neque subscribere possumus præ modestia, neque præ reuerentia omnino repugnare ausimus.

Quamobrem, siue ab huius disciplinâ gymnasij retulisti aliquid, Armande, quod videri vis; siue attulisti potiùs ipse hoc quodcumque scholis nostris decus & ornamentum inest, quod vbique profitemur: vtrinque tibi plurimum illæ debent, vel quòd idoneas duxeris, à quibus aliquid acciperes; vel quòd minimè indignas putáris, quibus tantum donares. Superbire possent his honoribus, nisi à te modestiam didicissent. Felices, fortunatæque scholæ, te Patrono te Hospite, te Alumno! Glorias dixissem, nisi nostræ essent. Quanquam! gloriosissimæ

fiſſimæ ſanè dicantur, quia ſunt Borboniæ, neque ita diſſimulemus honorem noſtrum, vt aliquid etiam de tuo derogemus. Sint humiles, obſcuræque per ſeſe; erunt tamen Armandi nomine vno amplæ & illuſtres:neque vllâ maleuolentiæ,temporúmve iniquitate, aut imminuetur hæc amplitudo, aut hic ſplendor obſoleſcet;niſi cùm Borbonium nomen vel arrodere malignitas, vel liuor obſcurare potuerit. Recognoſcet hîc poſteritas veſtigia tua, ex iiſque non tuam magnitudinem,quæ nullis ignota ſeculis erit, ſed noſtram felicitatem metietur. Gratulabitur his anguſtiis, quæ te capere potuerint: gratulabitur magnitudini tuæ, quæ cùm eſſet tanta, cum aulam admiratione, ſpe Galliam, famâ Europam impleret, tam exiguo ſe ſpatio collegerit; & Diuino quodam iure cùm vbique tota eſſet, hîc tamen potuerit tota contineri. Viſetur hic locus eodem animo, quo ſolent à nobis admirabilium rerum monumenta luſtrari.Affluēt homines honeſtè curioſi;monſtrabitur iis, quæ te pars ædium hoſpitem acceperit: quod tibi ad priuatas commentationes ſecretius conclaue fuerit: quas ſcholas publicus aúditor adieris. Hîc humanioribus litteris, hîc Diuinis operam dabat: húnc inſidebat ſcholę locum: hoc hortulo innocentes illius deliciæ continebantur: his receſſibus tegebat pietatem ſuam, hac aula eruditionem explicabat. Quæ cùm inter huius vrbis miracula exteris oſtendentur: cùm ſæpius ciues ipſi viſendi cauſâ redibunt: cùm eos per loca ſingula ducemus, omnium indices atque interpretes: pars erit hæc quoque

no

laus erit, decoratas à te fuisse tantis honoribus; gloriæ tuæ pars non spernenda, litteras tam insigniter honestasse.

Atque hoc tibi præcipuum, & singulare debent: quòd ad ipsas non tam descenderes, vt alij, accepturus beneficium, quàm concessurus. Quid enim expectares præsentis gratiæ, præmiorúmque omnium, quibus donari ab iis sui clientes solent? quærunt apud eas nonnulli fortunarum accessionem; tu & aliorum fortunam fabricaris, & tuam nascens tecum attulisti. Alij captant illarum otium, vt durius quoddam vitæ genus deuitent; tu vt earum labores amplecteteris, plena voluptatis & deliciarum otia fugisti. Sunt qui gloriolam per eas aliquam, & corollam affectent; tibi innata corona est, neque incubuisse nostras in disciplinas videris, nisi vt eas tuo diademate coronares. Tulisti quidem ab iis laureas in omni genere longè plurimas; sed quæ plus à te decoris acciperent, quàm conferrent: & quamlibet dederint multas; debent tamen haud paulò plures, sempérque debebunt. Suas dignitati, suas ingenio, vniuersas Armando Borbonio debent.

Dubitant verò, neque ab re profectò dubitant: pluréſne Borbonio debeant, an Armando; id est, an dignitatis splendore, qui tibi est cum Regia tua gente communis, an ingenij luce, quæ propriè tua est, ampliùs illustratæ per te fuerint.

Hoc enim dicam citra periculum assentationis, quæ non potest ad res tam publicas & peruagatas adhærescere; tractatas hîc esse à nemine litteras, cui non præstares ingenio

tam

tantùm, quantùm claritate generis anteibas. Atque vt intelligatis, Auditores, quàm nihil aut nostris artibus, aut solertiæ Principis, ementitiæ laudis aspergam; reuocate in memoriam ea quorum ipsi testes nobiscum fuistis; conferte omnium ingenia, qui sunt in hoc doctrinarum curriculo versati, cum vno Armandi ingenio; simùl quantum vni omnia concesserint, recordamini. Acutos alios ad excogitandum vidimus, sed minùs acres ad iudicandum: alios æstimandi prudentiâ, non itidem acumine, industriâque præstantes. Ille ad grauiores artes ingenij vim atque robur attulit: hic elegantiam ad amœniores. Ille disserendo subtilior, sed parum in exornando copiosus; hic in eloquendo vberior, quàm in disputando pressior visus est. Neminem nouimus ita laude vllâ præstantem, nihil vt ei de confini vitio, tanquam illitum adhæserit; neminem, nisi Armandum Borbonium, in quem ingenij laudes omnes nouo fœdere, & conspiratione factâ, confluxerint; qui tam esset ad iudicandum grauis, quàm celer ad intelligendum; tam festiuus inter flosculos elegantiorum artium, quàm firmus inter tristiorum salebras; tam velox in comprehendendo, quàm in retinendo diuturnus; in quo lepos cum soliditate, maiestas cum facetiis, vbertas cum moderatione, suauitas cum vehementia, perspecuitas cum abstrusiore intelligentia, pugnarent nihil; sed pene conflatæ coalescerent, & summâ consensione iungerentur. Qui huius maturitatem ingenij videbant, tardiorem crediderint hominis adolescentis indolem, nisi continuo

ac quotidiana cæteri norunt, percurrentem res altissimas, longéque supra communes virorum nisus euolantem. His sublatus alis, siue per suauiorum Musarum spatia, quasi ludendo volitaret; siue naturam obiret omnem, Philosophiámque ipsam in recessus rerum altissimarum subueheret; siue in Dei sinum rectâ ferretur, Theologiámque trans aspectabiles rerum omnium formas elatam inter purissimos spiritus, & in ipsa diuinitatis adyta inferret: vias inibat vt tritas antè nemini; ita nullius deinde vestigio, ingressúque tentandas. Quid verò, cùm res ipsas humiles eâdem ingenij sublimitate tractaret? vt nihil esset tam depressum abiectúmque, quod non excitaretur veluti ab humo & puluere; nihil tam commune & ante pedes positum, quod in ore Principis inusitatum, & admirabile non appareret: quemadmodum summo monti insidentes arbusculæ, quamuis humiles, illæ per sese, eminent tamen, non suâ, sed montis altitudine sublimes. Quæ cùm Armandus faceret, cùm itinera sibi noua panderet & priùs inaccessa; fugiebat videlicet aciem ingeniorum omnium, neque vllus erat qui non perinde & illius cursum miraretur, & sequi se posse desperaret. Nauim aliquam intueri te diceres, quæ alto & inuio mari suas sibi semitas aperiens ipsa, procul euolat nullâ impressâ nota, nullo relicto tramite atque sulco, cui insistentes cæteræ præuiam assequantur. Aquilam ego videre mihi videbar, quæ cùm infert sese in tractus nubium altissimos, eósque volatu arduo superat, vestigium nec inuenit, nec relinquit vllum.

Quæ-

Quæ ſi omnia tacerem, Auditores, hi pro me parietes, hæc ſaxa, hæc Athenæi ſpatia loquerentur. Reſponſarent ſcholæ omnes eius plenæ ac refertę miraculis; emitterent non ſuas, ſed Principis ipſius voces, quas ad æternitatem tuentur; fieret iis ex vocibus concentus laudum admirabilis; reſonaret conflatum ex omnibus præſtantis ingenij præconium; exiſteret vocalis quædam imago mentis excellentiſſimæ, eâ re minùs ſuſpecta fuci, quòd artis ingenio perfecta non eſſet. Præiret autem, & chorum omnem quodammodo duceret hic locus, aut tacerent certè loca cætera, vt hic vnus audiretur: hæc, inquam, aula, in qua ſolemni ritu, conuentu principum & optimatum maximo, frequentiâ cæterorum ordinum tantâ, quantam capere hi parietes poſſent, velut indictâ ſapientiæ panegyri; conſedit, reſponſa cuiuſuis edens de omni philoſophia, illiúſque arcana ſcrutans & euoluens eâ facilitate, vt intelligerent imperiti; eâ ſubtilitate, vt peritiſſimi quique obſtupeſcerent,

Silete tamen, ſilete hoc loco ædes noſtræ; exedræ, theatra, ſcholæ Claromontanæ ſilete in Armandi cauſa: ne cui veſtra ſit fortè ſuſpecta prædicatio, quòd domeſticæ ſitis. Sorbona! teſtimonium hîc tuum depoſco. Meminiſti illius diei, quo nullus tibi ex omni memoria clarior illuxerat, cùm Armandus Borbonius ſuggeſtum tuum conſcendit, vt haberet ampliora quàm apud nos ſpatia, quibus conceptam hîc collectámque lucem explicaret. Illic ſedebat Princeps adoleſcens, eorum arbiter myſteriorum, quæ canos Patres in illo Theologiæ domicilio

micilio tot iam annis exercebant. Confluxerat ad hoc ſpectaculum omnis Lutetia, id eſt, omnis ferme Gallia, velut Roma quondã ſeculares ad ludos, quos nemo vidiſſet antè, nemo poſtea viſurus eſſet. Aderat comitatus omni flore nobilitatis Sereniſſimus Armandi Parens Henricus, ſidus illud iniquo deinde Galliæ fato, noſtróq; maximo luctu præreptum; aderat autem eo animo, quo triumphantes quondam liberos parentes fortunati ſpectabant. Coronabat diſputantis pulpitum Antiſtitum cœtus ingens: quos cùm vnius ex ore pendentes omnes intueremur; quis tum erat noſtrum, cui non iam videretur Princeps Borbonius pontificiis quibuſdam comitiis præeſſe; reſpondere de ſacris, pronuntiare de religionibus, & fundendis inter Eccleſiæ Principes oraculis aſſueſcere?

Si cui dubia fuiſſent, qui de illius ingenij præſtantia in vulgus à nobis emanauerant: is cùm explicatas in illius theatri celebritate atque amplitudine tot ingenij doctrinæque opes vidiſſet, non iam deſideraſſet noſtram in laudando fidem, ſed parſimoniam incusâſſet. Si quis ignorat etiamnum, quàm enucleatè ſpiſſa, quàm ſubtiliter implicata, quàm planè ardua, clarè ſublimia, admirabiliter vniuerſa diſputet; adeat gloriæ faſtos, & illius diei memoriam ex iis repetat. Quæris quàm acutè reconditiora penetret? ex Academicis percontare: quàm eleganter eadem & politè tractet? Nobilitatem interroga: quàm accuratè, quàm eximiè diuinis in rebus, myſteriiſque altiſſimis verſetur? exquire Antiſtitum iudicia. quàm in omnibus excellat? ex Antiſtitum,

ex

et Nobilitatis, ex Academicorum non iudiciis, sed admirationibus intellige. Grauiores hi testes sunt, quàm vt mendacis cuiuspiam assentatiunculæ suspicionem vereri quoquo modo possim. Qui cum Armandum intuerentur illo die in obscuris emicantem, ludentem in arduis, vbique triumphantem; cùm cum aspicerent modò res abditas euoluentem maiestate quadam profluentissimæ orationis, more fluminum, quæ aquas suis in fontibus quodammodo arctatas in planitiem effundunt; modò contrahentem verbi compendio disputationes amplissimas, speculorum in modum, quæ Solis radios omnes longè latéque dispersos in orbis sui punctum pertenue, velut in lucis gremium colligunt: cùm hærerent attoniti omnes, quòd tam salebroso in cursu nusquam hæreret; sed oppositis difficultatum veluti nubibus densissimis, nunc coruscaret instar fulguris; nunc fulminis ritu omnia perrumperet, ibíque luceret puriùs, vbi maior offusa caligo fuerat; cùm illius memoriæ amplas opes, sermonis delicias, sententiarùm pondera, respōsionum acumina, doctrinæ miracula suspicerent: cùm admirarentur pontifices, quantum Ecclesiæ columen surgeret; proceres quantum aulæ decus adesset; eruditi, quantum litteris sidus affulgeret; omnes quantum huic imperio subsidium ornamentúmque pararetur: quæ tua mens interim erat? Henrice, Continebas tu quidem intus gestientis animi lætitiam; sed ita premere sensus tuos non poteras, quin exundarent identidem, & in vultum erumperent: eúmque cæterorum vocibus,

etiam

etiam inuitus, gestu nutibúsque concineres. Erant omnium aures in Armandi voces intentæ: oculi, partim in eiusdem os, cuius contemplandâ dignitate expleri non poterant; partim in te coniecti, vt prolixiorem gratulationem quàm maturi, tam sinceri gratulatores anteuerterent. Tu neminis in vultum intuebaris, vti ferè mos eorum est: qui vel blanditias aliquas venantur oculis, vel explorant aliorum nutus, è quibus iudicia sua suspensa sunt: Noras vt acerrimus ingenio princeps, ita omni doctrinâ cultissimus, momentis omnia suis pendere; neque res vllas aliorum sensibus, sed tuis arbitriis æstimabas. Hærebas oculis in Armando tuo defixis; nisi quòd eos deiiciebas nonnunquam, ne maior esset redundarétque tandem lætitia, quæ oculis simul auribúsque caperetur.

Gratulabaris interea tibi, filium incomparabilem; filio, adolescentiam eruditam; eruditioni, patronum regnum; Regno, Principem Religiosum; Religioni, regium, eruditum, incomparabilem defensorem. Videbas eum, id ætatis, professum vindicem sincerioris doctrinæ, quam fouebas; efferentem in conspectum orbis terrarum paginam vnam quæ foret veluti Theologiæ symbolum, monumentum fidei Borboniæ, specimen Romanæ, compendium Catholicæ; documentúmque consequentibus seculis, quid sanguis Christianissimus de Religione sentiret: hærebásque incertus, vtri gratulari deberes magis, tibíne qui hunc Religioni propugnatorem dedisses; an Religioni, quæ tantum à te præsidium accepisset.

Gratulabaris etiam. Obstat hîc dicenti mihi

pu

ſiſſimæ ſanè dicantur, quia ſunt Borboniæ, neque ita diſſimulemus honorem noſtrum, vt aliquid etiam de tuo derogemus. Sint humiles, obſcuræque per ſeſe; erunt tamen Armandi nomine vno amplæ & illuſtres: neque vllâ maleuolentiæ, temporúmve iniquitate, aut imminuetur hæc amplitudo, aut hic ſplendor obſoleſcet; niſi cùm Borbonium nomen vel arrodere malignitas, vel liuor obſcurare potuerit. Recognoſcet hîc poſteritas veſtigia tua, ex iiſque non tuam magnitudinem, quæ nullis ignota ſeculis erit, ſed noſtram felicitatem metietur. Gratulabitur his anguſtiis, quæ te capere potuerint: gratulabitur magnitudini tuæ, quæ cùm eſſet tanta, cum aulam admiratione, ſpe Galliam, famâ Europam impleret, tam exiguo ſe ſpatio collegerit; & Diuino quodam iure cùm vbique tota eſſet, hîc tamen potuerit tota contineri. Viſetur hic locus eodem animo, quo ſolent à nobis admirabilium rerum monumenta luſtrari. Affluēt homines honeſtè curioſi; monſtrabitur iis, quæ te pars ædium hoſpitem acceperit: quod tibi ad priuatas commentationes ſecretius conclaue fuerit: quas ſcholas publicus auditor adieris. Hîc humanioribus litteris, hîc Diuinis operam dabat: húnc inſidebat ſcholę locum: hoc hortulo innocentes illius deliciæ continebantur: his receſſibus tegebat pietatem ſuam, hac aula eruditionem explicabat. Quæ cùm inter huius vrbis miracula exteris oſtendentur: cùm ſæpius ciues ipſi viſendi cauſâ redibunt: cùm eos per loca ſingula ducemus, omnium indices atque interpretes: pars erit hæc quoque

no

nostræ felicitatis, quòd iis non poterimus tot beneficiorum immemores videri, quorum memoriam suppeditabimus ipsi, & quotidianâ propè narratione renouabimus. Ita, nemo has ædes incolet, qui habitare se inter beneficia tua non intelligat. Succedent, vt speramus, aliis alij, in quos propagetur hic sensus, & veluti quædam hæreditas ad consequentia sæcula transmittatur. Antiquusq; hîc erit honos tuus, neq; senescet tamen; sed vel impressis à te laudum vestigiis, vel nostrâ prædicatione semper recens, integerq; seruabitur. Nominis tui memoriam si nullę apud nos tuerentur litterę, tecta ipsa tacito præconio celebrarent: si euerterentur tecta in ruinis, posteri vestigiorum tuorum reliquias vererentur. Sed neque ruinam timent gloriæ tuæ monumenta: neque de te conticescent vnquam literræ nostræ; quæ cum honores à te immortales acceperint, te, beneficiaque tua æternis honoribus prosequentur.

EMINEN

EMINENTISSIMO PRINCIPI

IVLIO CARDINALI MAZARINO.

ADitum ad Regem laudes Regiæ quærunt, Cardinalis eminentissime: neque dubito, quin per te facilè impetrent; cùm intelligam, quo & illæ apud te, & tu apud Regem loco sis. Eas si offeras Pacifico Principi, nihil offeres non tuum; eóque tuum gloriosiùs, quòd singulari fide ac prudentiâ fecisti, vt totum Regis esset. Etenim in multis tuis præclarisque virtutibus, hæc mihi meritò maxima visa est, quod ita rem administrasti, vt eam Ludouicus

gereret;ita domestica pax à te illius auspiciis, ab illo tuis consiliis restituta est: vt omnis ad eum tam illustris facti gloria in solidum pertineret. Fuere priscis temporibus, qui decus captarent ex inertia Regum, à quibus erant ad imperij procurationem adsciti: déque vilitate principis, administri sæpe dignitas creuit. Tu cùm Regis educationi præfueris, cum eius composueris mores, ingeniúmque finxeris: maiorem non potes, quàm ex ex eius prudentia fortitudine, humanitate, virtutibus ceteris, gloriam referre. Laus tua summa est, laudatissimus Princeps: tuáque censere potes, non ea tantùm, quorum is auctorem te actorémque vnum esse voluit; sed etiam quæ ipse per sese, nullius admonitu consilióque suscepit Ita quamuis propriis abundes laudibus: eris tamen Regiarum præconiis multò quàm tuarum ornatior. Has laudes, quas mereri per te Rex voluit, patere, Cardinalis Eminentissime, eidem per te à nobis offerri: quas si respuet modestissimus Princeps, cùm suas agnoscet; amabit profectò, cum tuas esse quoque meminerit. Tu ne sic eas auer-

sare

ſare, quòd tuæ ſint; vt non eaſdem, quia ſunt Regiæ, libentiſsimè amplectaris. Vale Lutetiæ Pariſiorum XI. *Kal. Ian. an.* CIↃ. IↃC. LIII.

E. T.

Addictiſſimus
GABRIEL COSSARTIVS
è Societate IESV.

PANEGYRICVS LVDOVICO XIV. REGI PACIFICO DICTVS.

Authore

COSSART.

QVOD vnum ad ſummam alacritatem, his ſcholarum primordiis, deſiderari ſuperiore anno viſum eſt, Principes Illuſtriſſimi, vt ciuili concordiâ conſtitutâ, in pace atque otio, pacis artes & ſtudia colerentur: id ſingulari Dei Opt. Max. beneficio conceſſum, celebritatem affert hodierno diei, lætitiámque ſingularem. Nam & eâ tum eramus conditione temporum, vt quamuis aliquid oſtendi lucis in illâ caligine cœpiſſet; non poſſet tamen & præſentium malorum ſenſum, & metum futurorum ſpes incerta pacis adimere: & eâ nunc tranquillitate, ac ſecuritate fruimur, vt ſi nondum externa bella ſedata ſunt, quæ minùs infeſta litterarum ſtudiis experti ſumus; at domeſtica, quæ peſtifera ſunt iiſdem, penitus oppreſſa con-

quieuerint. Atque hoc domesticæ pacis profectum à Christianissimo Rege beneficium, cùm vniuersæ Galliæ sit, & omnium ordinum artiúmque commune: tum proprium certè litterarum est, quæ vigere non possunt, dum armorum vel obstrepuntur fragoribus, vel timore turbantur. Quamobrem ne videantur ingratæ, atque immemores beneficij, per quas beneficiorum memoriam tuentur ceteri, gratiámque persoluunt: diem hunc suo nomine festum atque solemnem, consecratum volunt tanti prædicatione muneris; ciuilémque pacem Galliæ restitutam, Ludouico XIV. Regi Christianissimo, Regi Pacifico, per me gratulantur.

Pulcrum, & illustre Pacifici nomen est, Auditores; plena deliciarum appellatio, plena dignitatis: atque vt nulla cæli facies plus ostentat decorum atque pompæ, quàm quæ serena & clemens est; sic nunquam est imperij maiestas augustior, quàm cùm suauitate illa & quasi serenitate pacis ornatur. Popularis hic titulus est, idémque Diuinus; quo laudes principum omnes & splendida vocabula veluti sole minorum ignium lumina, continentur: vt qui Pacificum Regem dixerit, idem & patrem patriæ, & populi delicias, & optimum principem, & pium & felicem appellet; nomine vno, tot ambitiosa nomina repræsentans.

Cùm autem est nomen illud per sese gloriosum principibus omnibus, à quibus bella quæuis sedata fuerint: tum iis profectò, qui ciuilia restinxerint, eò gloriosius; quò & difficiliora hæc ad profligandum, & reipublicæ-

funeſtiora ſunt. Externis ſcilicet in bellis incerta ferè victoria eſt ; in domeſticis nunquam non certa clades : illa viribus geruntur robuſti, ac florentis imperij;his conficiendis quę ſuppeditentur ab eo regno vires, quod omni ex parte concuſſum & fractum eſt ? Illorum flammas extinguere conatur populus ; horum accendit : vt meritò dixerim bellis ceteris exerceri rempublicam,inteſtinis interimi ; ſublatis illis recreari pacem à morbo , his oppreſſis ab interitu reuocari. Quid enim omnium vis atrocitáſque bellorum efficere ſolet, quandiu cum peregrino tantùm hoſte confligitur?pacis integritatem imminuit , pacem ipſam funditus non tollit. Regnat interim in ſinu reipublicæ, incolumis & vegeta pax;dum extremis in finibus,& limite quodam imperij,tanquam ſummâ cute aliquot vulneribus delibata , perſtringitur.

At cùm ciulia ſigna ſublata ſunt , tum gliſcit penitus, graſſatúrque peſtis in intimum admiſſa corpus : nullum paci perfugium relinquitur; nulla vacua ſedes ab importunitate bellorum, quæ veluti arce occupatâ imperij , longè in eo latéque dominantur. In illa rerum perturbatione pacem vbique requiro ; ab vrbe,ab agris, à prouinciis pacem repeto:nuſquam niſi peremptæ pacis triſtiſſima monumenta reperio. Periiſſe in vrbe pacem, armorum tumultus fragoréſque reſponſitant;abeſſe ab agris, direptio, vaſtitas , ſolitudo , ſilentium ipſum loquitur; extinctam eſſe in prouinciis , incendiorum fumus,tanquam ex illius rogi reliquiis erumpens, admonet.Ipſa,quod ſupereſt,priuatarum ædium

pene

penetralia ſubeo ; fratrum ſinum exploro, parentum pectora perſcrutor : hinc quoque pulſa pax, & eiecta eſt ; neque ciuilia vnquam arma commouentur, quin & fraterna, & his deteſtabiliora ſæuiant. Quot in regno prouinciæ, quot vrbes, quot tecta, quot latebræ ſunt : in tot veluti membra, miſera pax diuulſa & diſtracta concerpitur. Hîc iacet cadauerum aceruis oppreſſa, hîc obtrita & obruta ruinis vrbium, hîc merſa cæde ac ſanguine, hîc buſtis adhuc fumantibus conſepulta. O pax ! ô deplorata pax! reuocare te hoc rerum ſtatu, & ex illis bellorum ſtragibus excitare, cuius tandem niſi Diuinæ virtutis ac felicitatis erit?

Tuæ, Lvdovice, fuit & virtutis, & felicitatis: hoc virtuti felicitas conceſſit, felicitati virtus elaborauit. Optabamus tibi puero, neque tam commodi noſtri cauſſâ, quàm gloriæ tuæ optabamus, vt externa, quæ gerebamus, bella componeres, ſed hoc, & vnum precari tum in domeſtica tranquillitate poteramus, & puero precabamur. Adoleſcentem maior à bellis ciuilibus laurea manebat : parabat nobis triſtiora illa tempora, vel fati noſtri vis, vel tui; vt ex iis inſignius tibi victoriæ decus exiſteret : vt iure omnium optimo Pacificus diceteris, hoc eſt, pacis procreator & parens; quam, cùm funditus periiſſet, cùm nulla eius veſtigia ſupereſſent, Galliæ reddidiſſes. Exſpectabamus, languentem & infirmam à te recreandam ; mortuam excitaſti : vt qui miraculo vitam ingreſſus es, miraculo imperij primordia conſecrares.

Quæ Ludouici laus cùm ſit clarior, quàm vt

eam obſcurare vel liuor obtrectando poſſit, vel ego aſſentando velim:vt eam ne quis maiorem fieri dicendo putet, & amplitudinem ab orationis ambitu quærere;verbo vno ingentem panegyricum abſoluam:Bellum ciuile flagrabat, Ludouicus extinxit. Breuis, & contracta laus; ſed eô maior,quô breuior: tuta laus, & ſecura, quam neque falſi coarguere quiſquam in tam recenti memoria poteſt; neque verbis exaggeratam,in tanta dicti breuitate criminari. Bellum ciuile flagrabat:quis incendij non meminit? Extinxit Ludouicus: quis beneficio non fruitur? Omnium igitur eſt deſcripta, & infixa mentibus, Ludouici laudatio: ciúſque obliuiſci non poſſunt, quin & recentis belli recordationem, & præſentis ſecuritatis ſenſum amittant.

Verùm vt æſtimetis certiùs, quantum ex hoc pacis beneficio, ſolidæ veræque gloriæ Ludouico acceſſerit: perpendite, quæſo, mecum, quàm ſpiſſum & arduum opus eſſet; tum quàm præter ſpem omnium, quàm perfectè, quàm celeritet ab adoleſcente principe abſolutum ſit, admiramini. Vexabatur Gallia iis diſcordiis, contentionibúſque partium, quę cùm pupilli Regis vexaſſent tempora, tum multo ſunt graſſatæ funeſtiùs,cùm is ſuæ tutelæ fieri per ętatem cœpit, ipſe iam imperij tutor, eiúſque habenas per ſeſe moderari. Vt enim ſub coronæ ſigni cæleſtis ortum conſurgere venti, ac tempeſtates ſolent: ſic fatale videtur eſſe nouis principibus,vt cùm oſtendere ſe regno incipiunt, ac ſiderum inſtar exoriri, tum maximè populorum motus, turbæ, ſeditiones excitentur.

Quam

Quam labem illis regnandi primordiis tantopere infestam, cui tandem causę adscribamus? An naturæ rerum, quâ fit vt infirmiora rerum omnium initia sint; & regni, perinde atque vitæ, prima ętas tenerior quodammodo minúsque robusta, concuti faciliùs possit? An populi ingenio, qui ferox esse solet, ac dominatus impatiẽs; similísque immitis belluæ, quæ cùm facilè priori domino, à quo fuerat mansuefacta, parêret, ab altero deinde tractari se, nisi aliquo vsu condocefacta, non patitur? An caussis aliis abstrusis penitúsque latentibus, quæ nos fato tristissimo, & immissis ab irato numine calamitatibus exercuerunt: vt siue casu, siue errore quodam excitata incendia, magis deinde ac magis ad perniciem nostram exitiúmque creuerint. Creuerunt enimuero ignes illi, arserúntque sic, vt breui tempore regni partes omnes pestis rapidè dilapsa peruaserit.

Quàm breui locata vbique ciuilia castra sunt! quàm celeriter collecti ingentes exercitus, munitæ arces, occupatę prouincię! qui concursus amentium ciuium! qui cùm antè tot votis, tot conuiciis pacem efflagitassent, iam cæco furore præcipites, armis sponte correptis, totâ Galliâ pacem exterminabant. Ij porrò contrariarum partium duces erant, quorum auspiciis desponsa & oppignerata victoria videbatur: eâ virtute duces, quam fortuna nunquam deseruerat; eâ fortunâ, quæ nunquam sine virtute pugnauerat; eâ famâ, quæ citra pugnam vincere solo nominis terrore poterat.

Aderant magna belli præsidia, magnæ ac

formidolosæ vires, partim collectæ domi strenuis & operosis conquisitionibus; partim ab hostibus, summissæ primùm, deinde palàm magno apparatu subministratæ, eáque pompâ, quam incertum erat, an triumpho suo, an funeri nostro pararent. Imminebant iidem foris, & in fines nostros incursabant amplissimis exercitibus, quos immensis opibus & superbissimo delectu, tanquam ad supremam & decretoriam diem conscripserant. Ardebamus domi, obsidebamur foris. Nauim intueri videbar, quam intus ignis depascitur, extrinsecùs procellæ ac turbines exagitant: vt eam neque à flammis seruari tempestas, neque defendi à tempestate flammæ patiantur: eíque sit proinde duplici simul exitio pereundum, incendio & naufragio.

Nihil autem erat in hac calamitate tristius, quàm quòd eam obstinatus ad perniciem populus adamaret. Populus naturâ mitis & tractabilis, quo nullus est in orbe terrarum ad regum venerationem propensior, eo furore correptus, eâ vesaniâ præceps actus est: vt efferatus repentino quodam impetu, & ab humanissimis moribus ad incredibilem immanitatem occultâ ignotâque vi traductus, videretur. Id nimirum vsuuenit, vt quo quisque facilior, & obsequentior est, eo sit deinde, cùm semel reuerentiam excussit, ferocior: neque possit mansuetudo summa, nisi summo furore superari. Vix enim se putat nisi maximis de caussis irasci potuisse, quisquis suæ sibi lenitatis conscius est: neque modum vl-

lum

lum furori ponit, ne videatur mediocriter læsus, si leuiter vlciscatur. Accedebat diuturna vectigalium impatientia, quæ non tam regum voluntas, quàm temporum necessitas imposuerat: ex quibus concepta sensim iracundia, multísque annis collecta, leui accedente caussâ, tota effusa est.

Hos optimi populi furores cùm mirarentur sapientes plerique, cùm animaduerterent, non esse Galliæ proprium, sed terrarum omnium commune fatum illud, quod commotis vbique seditionibus atque turbis, omnia permiscebat; víxque regionem vllam esse, quam iisdem aut disturbatam penitus, aut vehementer agitatam non cernerent: eò sunt tandem adducti, vt concursum quendam siderum crederent esse factum, quæ populos omnes ad illam insaniam, quàm arcanis, tam validis impulsionibus concitarent. Facessat autem illa stellarum quasi diuinitas, quæ naturarum omnium fata contineat, & decretis suis humana ipsa consilia voluntatésque moderetur. Micant ignes illi, non cæcis ardoribus incendunt; ducunt animos, non durâ necessitate rapiunt: adigant brutas animantes, compellántque certis & nunquam irritis impressionibus; hominum voluntates non nisi liberis conditionibus, & inuitamentis quibusdam illectas sollicitant. Fit illud tamen, vt cùm hominum magna pars, pecudum in morem, vnis insueuerit sensibus, ac cæcis animi commotionibus parêre, eò fermè ruat præceps populus, quò impulsus illi cælestes quasi precariò inuitabant: effectúmque

adeo tum temporis est, vt vbique dominata sit vis illa imperiosa siderum ; si qua tum erat, quæ ad defectiones, ciuilésque discordias induceret.

Sed inuentus est in Gallia sapiens, qui dominaretur astris, eorúmque vim sua virtute reprimeret. Fuit, LVDOVICE, felicitas tua fatis illis astrorum potentior : sidus ipse fuisti laboranti imperio, cuius benignitate, ceterorum inclementia siderum, manánsque ab iis in terras contagio superata est;cuiuus luce, discussa tandem est illa caligo temporum, quam stellæ maligniores induxerant : propitium felíxque sidus his iactatæ fluctibus Galliæ, quæ naufragium erat iam iámque factura, nisi tempestatem aspectu clementiore pacasses.

Cui nostrum spes tum temporis erat, Auditores, summam rem à tam turbido statu, ad tam quietum & compositum breui esse reuocandam ? Quis cùm hanc tranquillitatem, résque domi pacatissimas intuetur, non se in alias quasdam oras deportatum putet ? se in eo credat imperio versari, quod suis propè conuulsum sedibus, tam ingentes ruinas paulò antè traxerat ? Conferte, Parisienses, conferte rerum hunc statum, hanc regni faciem, hanc quietem vrbis, cum illius perturbatione temporis, quo vestra vobis Lutetia carceris loco erat : cùm neque pedem extra pomœrium efferre paterentur effusi prædonum exercitus, hostiliter vbique grassantium ; neque in vrbe tutò commorari sinerent manus egentium & perditorum, quæ hîc vna regna-

bat : qui nec à publicis ædibus incendium, nec vim à ſenatu, nec cædem à ciuitatis proceribus abſtinebant. Quis veſtrûm ædes ſuas tutas credidit, cùm ardentem vrbanam baſilicam intueretur? quis vitæ ſuæ non timuit, cùm optimatum internecìones, & publica parricidia cerneret? Tandiu licebat viuere, quandiu ſicariis libebat: hos libertatis vitæque veſtræ habebatis arbitros, apud quos nocens erat, quiſquis ciuis optimus videbatur. Quid dicam coniunctiſſimorum hominum perfidias? quid proditiones domeſticorum, fraudes, ſuſpiciones, pauores perpetuos, quibus fiebat, vt nihil quiſquam ne ſuis quidem in laribus ſecurum duceret? Inter tot pericula hoc timebatis magis, quòd incertum vobis erat, quid omnium maximè timeretis.

Interim autem, cùm è prouinciis omnibus, quas eadem mali vis premebat, Lutetiam multi, tanquam ad pacis aſylum aſpirarent: vix attigerant iidem Lutetiam, cùm illis ſpectaculis attoniti, iam prouincias ſuas deſiderabant: viciſsimque ſi qui clauſis vigilibus ex vrbe proripere ſe, & tanquam ex ergaſtulo euolare potuerant, cùm eoſdem vbique luctus, eadem latrocinia, direptiones & cædes eaſdem intuerentur; eos continuò deſertæ Lutetiæ pænitebat. In illa tam communi Galliarum calamitate, quemcunque inſederant locum, is omnium miſerrimus videbatur: vt in ægro & fracto malis corpore, ea demum pars vna omnium vehementiſſimè dolet, in quam ægrotus incumbit. Erat autem illud in tota

Galliæ

Galliæ morbis luctuosissimum, quòd in tanto corpore, pars esset ex omnibus nulla, quæ medicinam vel facere, vel pati vellet; omnes exitium sibi ac perniciem per aliarum exitia molirentur.

Emersisse Galliam ex his fluctibus, superesse tot malis incolumem; neque stare tantùm, sed omnibus antestare, quam omnium iniuriis nuper expositam videbamus, oppugnatam ab hostibus, à suis diuexatam, à nemine, præterquàm à Ludouico, defensam, & inuitam ab eo seruatam esse: quî poterunt hęc à posteris quondam audita fidem obtinere, quam impetrare à nobis, etiam præsentia, etiam oculis explorata, vix possunt?

Quæ dum sapientissimè curarentur, quàm multos interim audiebamus in omni congressu, in circulis omnibus, rerum administrationi obtrectantes, sua interponentes summis de rebus iudicia, deplorantes regij consilij cæcitatem; exclamantes, præposteras iniri vias restituendæ in integrum reipublicæ; his artibus, hac rerum gerendarum formâ perdi Galliam, ac funditus euerti. Assuescite parere, populi, assuescite arcana regum consilia venerari, quorum non potentiæ tantùm estis, sed etiam sapientiæ subiecti: cùm vtramque regendis vobis à Deo vicariam acceperint. Sed nimirum est iniquior ferme populus iis, quæ supra se posita cernit: atque vt in cęlo, siue sudum, siue nubilum est, aliquid occurrit semper, de quo morosiores quidam expostulent: sic in imperio nunquam non aderit, quod praua & distorta ingenia conquerantur. Quid quòd

magnos

magnos se, nonnulli credunt, si magna fastidiant? Et, quod aiebat ille, *vt putentur sapere, cælum vituperant.*

Illis consiliis, quæ criminabamini, ô censores egregij temporum, vicit Rex Pacificus: & ita vicit, vt eius magnitudinem victoriæ non possitis, nisi ex Galliæ amplitudine metiri; quæ cùm tota periisset, tota seruata est, & profligatis, penitúsque consumptis armis ciuilibus, ab ipso recuperata. Quid enim? vbi domesticorum tumultuum vlla vestigia? vbi defectiones prouinciarum? vbi potentium coniurationes? vbi pars vlla, quæ à principis imperio desciscat? Recognosce teipsam, Gallia: circumspice, quâquâ pates: lustra curiosè partes omnes, num qua tranquillitatem tuam intus aura conturbet; num quæ ciuilium copiarum reliquię apud te supersint; num quas arces factio vlla seruauerit; num quod castrum, quò respectare seditio possit; num quem aggerem, quo se turbulenti ciues protegant; num quod toto regno propugnaculum, quod regiis armis simul non fuerit, & paci ac concordię patefactum. Nam fines ipsos non moror: qui sicubi habentur infesti, dum in alios vicissim incurrimus; id externi belli totum, non ciuilis est. Hoc dico, nihil domi nisi pacatissimum superesse.

Et hanc quidem Galliæ salutem à Ludouico restitutam hoc admirantur impensiùs gentes ceteræ, quòd damnis experiuntur suis, quàm insanabiles illæ plagæ sint, quas à ruinis ciuilibus regna patiuntur. Hispanicæ ditioni Gothalania & Lusitania subtractæ sunt: al-

vel de reuerentia principis, vel de ſanctitate religionis amiſerit. Quando enim Regis viſa eſt firmior poteſtas? auctoritas maior? Cui quidem ignominioſum non fuit iis motibus concuti, ſed iiſdem non euerti glorioſum. Profuit tot opibus, tot conatibus, tantâ vi, tantóque impetu oppugnatam eſſe; vt inuictum eſſe in Gallia Regem, & populus, & Rex ipſe doceretur.

Religioni verò adeo nihil de ſua integritate deceſſit, vt nouus etiam illi nitor, nouum pacis & concordiæ decus, ſedatis Ianſenianæ controuerſiæ tumultibus, acceſſerit. Pacificum ſe Ludouicus non credidit, niſi geminæ pacis auctor eſſet; alterius quam Regno ſuo, cuius parens eſt; alterius, quam Eccleſiæ, cuius eſt filius, reſtitueret. Et vtramque certè reduxit, alteram ſuo, alteram ſummi religionum interpretis arbitrio ſancitam: illa victoriæ fructus, hæc pietatis fuit, vtraque ſummæ felicitatis. Quòd enim reſpiramus ab iis turbis, quibus exercita religio annis ampliùs decem, magno bonorum omnium luctu, metu maiore fuerat: tuum, LVDOVICE, munus eſt, qui tuis ad Pontificem Maximum litteris, precibus, auctoritate, è Vaticano pacem tanquam è cælo deuocaſti. Conſtantini Magni pietatem imitatus es, qui hoſtibus terrâ maríque domitis, pace vniuerſo imperio partâ, reddendam quoque religioni pacem, compoſitis eius diſſidiis putauit; & Eccleſiam ab Arianorum peſte, Eccleſiæ ipſius auctoritate vindicandam. Sed Conſtantino in hoc felicior es, quòd is Arianam hæreſim ne ſic quidem oppreſſerit:

prætulerit: tu, cùm nemo se contumacem & refractarium ad hanc diem videri velit, sperare meritò possis, non sopitos esse tantùm, sed etiam extinctos ignes illos, quos Batauica nouitas accenderat: tutáque apud nos fore tum ab impudentibus calumniis, tum à futilibus interpretamentis Romana oracula, quæ tuis edictis protecta sunt. Quòd si quis existat vnquam adeo vecors, vt neque pontificia fulmina, neque regia vereatur; si quis Galliarum Episcopis tam insolenter illudat, vt eius patrocinium doctrinæ suscipiat, quam illi communibus ad sanctissimum Patrem litteris, & *excerptam è Iansenij libris* agnoscunt, & *nouam* appellant *hæresim*, oppressámque gratulantur: huius nos, si quis tamen huiusmodi prodibit vnquam, non tam reformidare impetum debebimus, & concessæ diuinitus paci quidquam metuere, quàm vel ridere hominis fatuitatem, vel impietatem & sacrilegium execrari. Excisa est enim profectò, excisa funditus illa Babylon, arx illa discordiæ, illa domesticæ pacis inimica: cuius si qua sunt tamen audita murmura; fragores ij sunt, ingentis ruinæ testes; singultus extremi sunt morientis belluæ, eóque vehementiùs vlulantis, quò funestiore plagâ percussa est.

O pacem! auditores, pacem Ludouico gloriosam! & eo certè priore alterâ præstantiorem: quo & sanctior est, & longiùs per Christianum orbem latiúsque diffusa. Cùm enim aliis non sit inclusa finibus, quàm quibus est Innocentij auctoritas circumscripta: peragrauit scilicet regna omnia, oras terra-
rum

tum omnes obiit; vt quorum vel disiunxerant animos nouitates istæ, vel disiunctura prope diem erant; eos aut recrearet inducta concodia, aut à præsentibus funestissimorum dissidiorum periculis defenderet. Immensa & infinita pax! an ciuilis dicenda, quæ ciuium composuerit discordias; an externa, quæ aliarum etiam gentium vel restituendæ, vel confirmandæ tranquillitati prouisa sit; Vtramque certè laudem pax ista ferat, vt eius auctor Ludouicus vtrâque decoretur.

Verùm quid religioni, quid populis ceteris, orbísque terrarum princeps noster hac pace contulerit, persequentur ornatiùs alij, quibus & otij plus erit, & copia dicendi beatior: me nefas est patriæ fines huic orationi præfixos prætergredi; cui tum plenè ciuilis est restituta pax, cùm religionum diuortia sublata sunt. Nunquam enim quietum imperij corpus est, dum anima imperij religio luctatur: nunquam est sine motibus respublica, dum hoc eius fundamentum concutitur. Rara inter eos concordia, qui de re tanta dissentiunt. Sustulit Ludouicus illam domesticorum bellorum scaturiginem, illum publici incendij fomitem; ex quo ciuiles flammas intelligebat posse mox tenuissimis igniculis suscitari.

Satis autem non fuit Pacifico principi, publicos bellorum motus comprimere: nisi priuata quoque arma, & internecinam singularium præliorum insaniam, quâ potest auctoritate maximâ, & grauissimis interdictis compesceret, Parum ipsi fuit, publicæ rei pacem

restituere : nisi & eam priuato cuique redderet. Hanc domesticæ quieti debere se accessionem credidit : & debebat certè, vt pleno beneficio frueremur. Parit enim ciuile bellum simultates infinitas, grauissimáque odia, quæ conflata mutuis iniuriis & offensionibus, sic hærent exulceratis animis penitus infixa : vt ne publicâ quidem conciliatâ pace & concordiâ deponantur. Quæ si armis vlcisci cuique fas esset ; redintegratum potiùs, quàm confectum bellum ciuile videretur. Quis enim hæc prælia non videt, quanquam minore apparatu ac strepitu, longe tamen tristiori cæde ac carnificinâ geri? Ac nimirum similes mihi videntur publicæ dissensiones lati cuiusdam incendij, cuius erumpentes flammæ & ædium fastigia superantes, eminus, vt succurrantur, admonent : cùm tenebricosa illa inter priuatos certamina instar sint cæcorum latentiúmq; ignium, qui eam, ad quam adhæserunt, materiam, quo carpunt occultiùs, hoc fœdiùs lentâ malignâque peste consumunt. Componantur bella externa ; ciuilia opprimantur: bellum tamen omnium atrocissimum vsque eò vigebit in Gallia, dum illa gladiatorum amentia coërceatur : bellum æternum & inexpiabile, quod nullâ vnquam pace componi, ac ne induciis quidem vllis intermitti potuit: bellum insidiosissimum, quod nunquam strages edit, quàm in summa pacis & otij tranquillitate, tristiores : bellum funestissimum, quo profunditur sanguis generosissimus, cùm in ceteris magna sæpe vilissimi iactura fiat. Illam parricidiorum diram ac detestan

testandam libidinem, illas sicariorum furias, illas domestici belli reliquias, quòd recentibus edictis percussit Rex Pacificus, communi cum regibus aliis laude fruitur: sed quòd pœnas constituit multò quàm antè grauiores; quòd edicta illa, non monitoris vllius expressa consiliis & hortatibus, sed suâ sponte meditata conceptáque conscripsit; quòd eorum sectam acrem vindicem, & tam inexorabilem præbet vt iis aspectu suo & comitatu interdictum velit, qui pro istius flagitij reis deprecatores accesserint; hoc verò quàm insigne, tam peculiare Ludouico nostro decus est.

Quàm verò istud quoque vnius est eius proprium! quàm à nemine vsurpatum priùs! quàm ex sincero vehementíque amore pacis ac concordiæ profectum! quòd, vt regiam suam paci dedicaret, domesticos aulicósque omnes, hoc est, totius Gallicæ nobilitatis florem, iureiurando adegerit, nunquam se, quisquis læderet, quisquis lacesseret, ad certamen singulare condicturos. Seorsim aduocabat singulos rex optimus; amabat blandè impetrare, quod seuerissimè per legem imperauerat; chirographum etiam exigebat, cuius fide obstricti tenerentur: cósque tum demum agnoscebat suos, cùm hac cautione obligatos cerneret. Cuius formulam iureiurandi, quàm multi etiam è regio exercitu subscripserunt! Accersebantur alij subinde atque alij ab humanissimo principe, excipiebantur benignè, laudabantur prolixè, sacramento denique rogabantur. Obtinebat Ludouici benignitas, quod extorquere suppliciorum

om

omnium terrores minimè potuissent. Repetebant illi castra pacatioribus in suos animis, in hostes acrioribus. Rex vnus, & amorem pacis, & belli ardorem simul impresserat. Princeps verè Pacificus, qui etiam inter arma, etiam in cæde ac sanguine, tam benignos mansuetósque sensus excitat. Princeps, animi clementiâ, suauitate morum, affabilitate sermonis, oris ipsius lenitate pacificus: meritò dicendus *Princeps Pacis*, & à Deo in tantæ communionem laudis adscitus.

Hæc cùm reputo ipse mecum, cùm cetera Ludouici Pacifici decora & ornamenta otiosè contemplor, sic statuere soleo; Principes ceteros, qui pacis affectâsse laudem, aut quoquo modo etiam meruisse sunt visi, nequaquam esse cum eius vnius gloria conferendos.

Pacificus litteris omnibus atque linguis prædicaris, Salomon: fruere certè hac laude, quam tibi Diuina quoque auctoritas asseruit. Et concesso tamen diuinitus otio, ad vmbratilis ac delicatæ vitæ segnitiem abusus es; ac speciosum pacis nomen videri poteras desidiæ tuæ prætendere. Principi nostro tranquillitas publica, non inertiæ nutricula, sed industriæ fructus, ac fortitudinis fuit: non in pace delicias, sed pacem in periculis quæsiuit, diuturnis laboribus, itineribus molestissimis, eaque vel locorum, vel temporum difficultate, vt ad extruendas eius mensas, non iam regales epulæ, sed simplex & popularis annona quæreretur. Tanti erat Ludouico, dummodo suos restitutâ pace seruaret.

Nunc

Nunc verò quam omnibus quietem, ac tranquilitatem peperit, eâ propè vnus non fruitur: sed exhaustis bellis ciuilibus, conuertitur ad externa, vt Galliæ sit idem & Europæ pacificator. Ab armis non discedit, quibus nulla sunt præsidia maiora pacis: neque regem esse se putat, vt beatus sit, sed vt beatos faciat.

Honestè in pace atque otio vixisti, Theodosi Iunior: sed tibi parum glorioso illustríque otio, cùm illud acceperis felicitate temporum, non tuâ virtute quæsieris. Beatus princeps, qui cùm in pacatam ætatem incidisses, quietem in ea placidissimè tenuisti; publicæ tranquillitatis heres potiùs, quàm auctor; pacificus eâ re visus, quia pace fruebaris; conseruator habitus reipublicæ, quia pacem, quam in ea nactus eras, bellicis furoribus non turbasti. Tyrannorum hæc laus est, eorum videri munerum auctores, quæ non eripuerint. Ludouicus non reperit pacata omnia, sed fecit: eius beneficium est, rerum omnium suauissima pax, tanquam è longinquo reuocata: dissensiones, concordiâ; belli pericula, securitate pacis; armorum tumultus, domesticâ tranquillitate commutauit: Soli hac in parte similis, qui cùm oriatur in nubilo, caliginem deinde omnem suâ luce dispellit.

Henrice II. pacem fecisti tu quidem, sed externam: quæ an satis honesta, & à sapientibus probata fuerit, in præsenti non quæro. Volo redemptam iniquis conditionibus non fuisse, volo decoram, volo te dignam videri.

ti. Quid tamen si te, si Philippum II. Hispaniæ Regem, quicum pacem illam pepigisti, politici quidam affirment, pessimè hoc facto de regnis vestris, pessimè de pace ipsa meritos: nusquam scilicet domi tutiorem esse pacem, quàm cùm foris bellum versatur: atque vt subterraneis ventis pandenda spiracula sunt, quibus erumpere illos præstat, ac perflare terras, quàm easdem intestinis motibus conquassatas euertere; sic turbulentis ingeniis pandendam esse viam ad bella, quædam externa, in quibus eorum furor, minore damno, quàm in patriæ sinu occupetur. Sed nihil de tua illa laude deteratur: parum ij consulti sint, qui pacis tuendæ causâ prodi pacem volunt: gloriosum ducatur iis etiam vulneribus mederi; atque vt in principis, ita in patriæ sanitate, nihil leue sit, paruúque pendendum. Quid illud tamen est, in quo tam insigniter elaborasti? Bellum, inquis, quod patria cum hoste gerebat, composui: Beneficium est, sed hosti, patriæque commune. Pacem in Gallias retuli: retulisti? è Galliarum gremio pax non discesserat: vigebat in vrbe, florebat in agro, vbique colebatur. At huic tamen bella, quamuis externa, incommodabant: benè est: laboranti paci opitulatus es; Ludouicus intermortuam & iacentem excitauit. Vt propè dixerim, tantùm inter te & illum interesse, quantùm inter medicum & Deum.

Henrice Magne, an bello, an pace maior? vtrobique certè maxime: tu superiorum principum laudes illas complexus es vnus, eas

easdémque superasti ; qui & vixeris in otio regaliter, & pacem non acceperis ab alio transmissam, sed tuâ virtute confeceris. Quam si domi forísque peperisti, priùs tamen constituisti domesticam, vt externam deinde gloriosiùs securiúsque componeres. Tuis igitur vestigiis nepos ter maximus ingreditur : alterum pacis tuæ decus, recens obtinuit ; alterum spes est minore, quàm à te relatum est, spatio temporis obtinendum. Interim tamen in hoc vinceris, quòd ciuium paci à te constitutæ, religionum dissidia superfuerint; hic & recentes Ecclesiæ discordias, & ciuile bellum, eodem ferme puncto temporis oppresserit. In eo cedis, quòd pacem cruento bello, multâque cæde obtinueris ; hic nullis ferè nisi pacificis artibus eandem comparauerit. Tibi pugnæ tres magnis cladibus commitendæ fuerunt, fortuitis præliis quotidie dimicandum, expugnandæ vrbes, vastandę prouinciæ ; perdenda propè Gallia, vt Gallia seruaretur. Ludouicus expeditis armis, non ad belli sæuitiam, sed ad pacis securitatem, nullâ magnarum vrbium vi captâ ; signis vix vllo iusto prælio collatis, incredibili ciuilis sanguinis parsimoniâ vicit:victoriæ præmium pacem retulit;hoc maiori laude,quòd non tantum in componendo bello,sed etiam in gerendo, pacificus fuerit.

Neque tamen incusandus Henricus est, quòd tot stragibus, viam sibi ad domesticam pacem munierit : sed Ludouico, quòd eam pæne incruentâ victoriâ restituerit, gratulandum, Habet enim hoc ciuilis ille furor,

vix vt opprimi potuerit vnquam, nisi multo sanguine satiatus; neque pax certa componi soleat, nisi pars altera, ingenti clade frangatur. Nimirum nũquam est illud quàm in domestica dissensione verius, belli filiam esse pacem: atque vt ex rudi & incomposita mole pulcrum hunc ordinem rerum emersisse oportuit; ita fati quâdam necessitate fit vt ex summa perturbatione bellorum, tranquillitatis, & concordiæ suauitas efflorescat.

Sed Ludouici caussâ violata illa lex est: densissimæ caligini depellendæ non fulminum lucem attulit, quæ procellam augent potiùs, quàm sedant: sed affulsit instar benigni sideris, nubésque omnes liquido & sereno lumine, nullis ruinis, nullâ violentiâ, discussit. Armorum fulgores vidimus, sed quos vix vlli fragores, fulminúmque iactus exceperint: aut si qui fortè visi sunt, vel terrendis animis, vel domandæ peruicaciæ necessarij; incredibilis eos humanitas est, & clementia consecuta. Pro pœnis omnibus, quas repetere pro victoriæ conditione poterat, veniam & impunitatem, iniuriarúmque obliuionem perpetuam, etiam edicto sancitam voluit. Bello fractis, pacem concessit; diuturnâ iactatione vexatis, tranquillitatem reddidit; rerum omniũ in difficultatibus pressos, in priora commoda restituit: vt victoriâ frui non tam victor, quàm victi ipsi viderentur.

Quòd si Romanorum ille mos apud nos obtineret, vt ciuis vnius seruator, eâ coronâ donaretur, quam honore coronis ceteris præstare censebant: quis coronas ciuicas,

quas hoc bello, seu potiùs ac pace meritus es, enumerare, Ludouice, posset? seruasti rebelles, quos ne perderes, remissiore marte persequi, & propè sine clade vincere voluisti: seruasti victos, de quibus vnâ lenitate ac misericordiâ triumphasti: seruasti omnes, à quibus belli ciuilis perniciem depulisti. Coronam igitur ciuicam, quam accepisse Augustus à genere humano futiliter & assentatoriè dictus est, verè profitebimur, te hac victoriâ, de Gallia meruisse. Habendus itaque tibi populi census est, non vectigalium cauſſâ, quæ plebs vna pendit; sed coronarum, quæ tibi etiam à nobilitate debentur. Describenda totius regni capita sunt: vt intelligamus, quot coronæ sint vnico seruatoris capiti tribuendæ.

Accessit autem victoriæ tuæ decus alterum: quòd dum populum seruares, imperij quoque tui maiestatem tuereris; quę cum populi salute, pace, concordia, coniuncta est. Nam quæ tandem, in illa confusione temporum, regi superasse maiestas, quod imperium, quæ auctoritas potest? Conscribit edicta; non paretur: tributa exigit; non impetrat, educit copias; aduersæ aliæ procedunt. Hoccine est, amabo, regem esse? Regem sine fisco, sine ærario, sine populo; regem sine regno. Ac mihi quidem videtur huiſmodi rex formosum esse caput fœdi lacerique corporis, cuius membra omnia vel consumpta tabe ac macie, vel cooperta tetris vlceribus & sanie fluentia, vel fracta denique & imminuta sunt: quibus membris si caput imperet, non ob-

fequuntur;fi prodeat, funt dedecori:omninóq; præftaret non effe caput, quàm illiufmodi corporis caput effe. Vindicauit fe Ludouicus ab hac iniuria: curauit totum imperij fui corpus quod lues illa domefticæ difcordiæ peffundabat; vnáque & regno pacem, & fibi regnum afferuit.

Tum enimuero regnare mihi videntur principes, & decus imperij retinere, cùm pacatis & concordibus populis dominantur. Quanquam enim infit illis maieftas fua femper, quæ nullis iniuriis temporum eripi, nullâ iniquitate fortunæ extorqueri poteft: latet nihilominus eius fplendor, quandiu cæcis illis tumultuum factionúmque nubibus ac procellis inuoluta eft. At cùm tranquilla omnia & ferena funt: tum demum tota fe maieftas principis explicat, & plenâ luce refplendet. Quo factum eft quondam, vt ferenitatis nomen imperatores, tanquam omnium auguftiffimum, adamarint. Et verò cùm fint reges Diuinæ maieftatis fimulacra quædam, & fummi regis imagines mortalibus ad venerationem propofitæ: eo certæ præftantiùs imperant, quo perfectiùs in regnis fuis exprimunt Diuini fimilitudinem imperij; quod in augufto illo pacis domicilio, tranquillitate ac concordiâ fempiternâ compofitum eft; vbi, quo ciuium eft tutior fecuriórque felicitas, eo maieftas regnantis numinis eft maior.

Hanc fibi formam imperij Ludouicus conftitutâ pace, defcripfit: neque regem fe credidit futurum, nifi regnum, quod lacera-

tum

tum diſcordiis ac tumultibus perditum, regni ſpeciem vix habebat, quietum ac tranquillum obtineret. Regnum hereditate priùs acceptum, nunc verò & partum victoriâ, & populi ſuffragiis atque electione delatum. Quid enim? nónne hi regem elegiſſe ac renuntiaſſe dicendi ſunt, qui cùm non parerent priùs, ac regem proinde non agnoſcerent, expugnatis tandem à pacifico victore voluntatibus, & diuinâ quâdam virtute victis, repentinâ conuerſione factâ, regiis ſeſe imperiis vltro ſubiecerunt? Ita ſi non hereditario iure regnaret Ludouicus Adeodatus, regnum victoriâ quæſiiſſet: ſi non peperiſſet armis; voluntariis illis conſpirantium populorum obſequiis, illâ parendi alacritate conſequi potuiſſet.

Optanda igitur (pace tuâ Gallia dixerim) optanda Ludouico erant hęc tempora: quæ ſi futura erant aliquando, tam felix habendus eſt princeps noſter, quòd ea ſit ad gloriæ ſuæ opportunitatem nactus; quàm Hercules, quòd monſtra quæ domaret, repererit. Dolenda fortunæ noſtræ tempora, ſed Ludouici gloriæ ac felicitati expetenda. Quanquam! orationem hanc meam execraretur Princeps optimus, qui gloriam ſuam nunquam putauit à populi fortuna eſſe ſeiunctam.

Gratulabor igitur nobis, vt Regi gratulari impune liceat. Ita eſt, Auditores, ex illa calamitate, cuius diſſimulare damna non poſſumus, fructum cepimus opinione maiorem. Principem nobis hæc tempora finxerunt,

vtriúſque fortunæ gnarum, vtriúſque victorem; ſcientem belli, amantem pacis; quem nullæ terreant vices armorum, nullæ factioſorum fraudes circumueniant; principem non puerilibus deliciis, ſed regiis curis & conſiliis innutritum. Cui ſi proſpere omnia feliciterque, in alta & beata pace fluxiſſent: quem hodie principem haberemus? qua rerum gerendarum induſtria? qua cognitione reipubicæ; qua peritia bellorum? quæ nunc Ludouici laus eſſet? hæc vna: Rex eſt, Regis filius, Regum nepos, Regiè, id eſt, lautè ac ſplendidè viuens. Qua commendatione, quanto hæc maior eſt atque illuſtrior: Rex eſt, Rex bellator, Rex Pacificus, Rex pereuntis regni conſeruator.

Quæ Ludouici laudes ita ſunt cum noſtris vtilitatibus commodíſque coniunctæ: vt quantam ipſi gloriam ad immortalitatem omnem, tantam nobis in poſterum ſecuritatem & fiduciam adpromittant. Nam ſi qua nobis procella minaretur, hac eſſemus vna cogitatione ſecuri: Alias vidit tempeſtates Ludouicus: alios fluctus, ventóſque vicit. Quid formidare poſſit grandior, qui vix adoleſcens tam formidoloſa ſuperauit? quid eo gubernatore timeamus, quem tam illuſtre tirocinium videmus in difficillima tempeſtate poſuiſſe? Pacificus eſt: nihil nobis à bellorum immanitate metuamus. Bellator eſt: nunquã eſt pax, quàm ſub bellicoſo principe, tutior.

Hęc, inquam, fidenter vſurparemus: ſi quid deinceps periculi, reſtitutæ à Ludoico ſaluti, & incolumitati publicæ crearetur.

Sed

Sede fundatior est profectò, quàm vt eam euertere quidquam & labefactare possit. Nunquam enim; solet esse regnorum status, quàm post turbulentissima tempora, pacatior : siue id populi moribus tribuendum est, qui pertæsus armorum, eorúmque molestiis fractus, resipuit tandem, & pacis tranquillitatem amare in belli tumultibus didicit ; siue prudentiæ consilióque principis, qui quo perturbatior est rerum facies, hoc acriùs, eas vt componat, & quasi de integro instauret, connititur. Concussa igitur est Gallia, vt firmiùs deinde niteretur : turbata, confusa, euersa propè est; vt reuocata meliorem in formam, & in pulcriorem ordinem restituta, nouum decus ornamentúmvue reciperet. Atque vt emendare deprauata tempora Iul. Cæsar non potuit, quin castigatiores annos antecederet is, qui confusionis annus est dictus, annus mensium quindecim, annorum omnium, qui antè fuerant, perturbatissimus ; qui cùm ceterorum labem exhauserit, æquabiliorem deinde cursum insecuta tempora tenuerunt : sic necessarius propè Galliæ fuit confusionis hic annus, vt ad eam domesticæ pacis, quâ nunc fruimur, quietem & tranquillitatem aspiraret. Annum egit confusionis, vt fortunatissima sæcula duceret: annum exitio nobis futurum, nisi ex eius ruinis felicitatem nostram Ludouicus excitâsset.

Ex iisdem, Lvdovice, gloriam tuam excitasti: gloriam, & bello quod oppressisti, singularem; & pace quam restituisti, pæne Diuinam. Hominum enim est, gerere bella; Dei, componere: aut eius certè, cuius *cor in manus Domini positum*

& ad omnem eius ductum flexibile & obsequens, totum ad consilia pacis & tranquillitatis incubuit. Quod cùm sit à te adolescente perfectum: quid reliquum tibi laudis fecisti, quod vir aut senex acquireres? Hoc enim obesse gloriæ tuę videtur vnum, quòd crescere posthac similium decorum accessione non poterit: sed quidquid illustre ac splendidum gesturus es, adolescétiæ tuę laudibus obscurabitur. Quidquid vincas, quidquid triumphes: paci ciuili restitutæ decus suum victoriæ omnes, triumphíque summittent. Neque verò nos, quantumuis gloriæ tuæ studeamus, victoriam optabimus huic primæ similem, quia simile bellum optare non possumus.

Quanquam; quid tibi victorias optemus, qui perpetuò triumphaturus es? triumphum, inquam, pacis sempiternum acturus: quam meritò dixit veterum quidam triumphis esse omnibus potiorem. Erit autem triumphus ille pacis, non vrbis vnius ambitu inclusus; sed longè fusus per prouincias omnes, per vrbes, per agros ipsos, quibus est à te tranquillitas restituta. Triumphus sine captiuis, sine spoliis, sine armis: nisi fortè iis, quæ ad lenitatis tuæ commendationem incruenta præferentur Neque tamen sua pompæ fercula deerunt: sed cùm in triumphis ceteris cæde ac sanguine quæsitis ea soleant ostentari, quæ subactis gentibus victores ademerint: in hoc tuo pacifico ea ferentur & iactabuntur vna, quæ seruatis populis tuo sunt munere concessúque donata; sacra, quæ à profanorum furoribus hoc facto vindicasti; religio, quam pacificasti; litteræ ac doctrinæ,

doctrinæ, quibus otium reddidisti; fruges, fortunæ, commoda omnia hoc ipsum quod sine metu spiramus, quod viuimus, quia tui sunt omnia muneris, pars esse pompæ, triumphíque debebunt. Accedent non direptarum, sed conseruatarum vrbium simulacra; non captiui duces, sed Gallica nobilitas, à tristissima gladiatorum conditione, tanquam à seruitute, liberata: non descriptus in tabulis hostium numerus quos cecideris; sed ciuium, quos seruaueris.

Plausuum interim & acclamationum loco, vox vbique vna resonabit, LVDOVICVS PACIFICVS. Non afferentur meditata & prolixa præconia, quæ vel decantentur triumphanti tibi, vel in æra & marmora incidantur. Suspecta tua laus esset, si artificio adulterata verborum, & conquisitis elegantiis adornata, non simplex & ingenua prodiret. Nunquam micat illustriùs, quidquid est illustre per sese, quàm cùm nudum est. Nudæ igitur laudes tuæ, nudæ nostræ gratulationes, LVDOVICE, prodibunt; & panegyricorum, epiniciorum, monumentorum omnium instar obtinebit vna vox: LVDOVICVS PACIFICVS.

EXCELLENTISSIMO

POTENTISSIMOQVE DOMINO

D. FRANCISCO HOSPITALIO,

COMITI DE ROSNAY,

EQVITI TORQVATO, FRANCIÆ POLEMARCHO, REGIO PER OMNEM CAMPANIAM ET BRIAM LEGATO,

PARISIORVM GVBERNATORI, &c.

QVÆ *te dies doctissimæ terrarum vrbi præfecit,* VIR ILLVSTRISSIME, *eadem doctrinas omnes clientes effecit tuas: sed honorem tibi si nullæ deferrent artes, præcipuum tamen oppella hæc nostra deberet. Fuit enim hæc, vel ipsius felicitas, vel humanitas*

tua;vt te,vix orta, patronum, & quod minimè ambiisset, laudatorem inuenerit. Nimirum quæ grata esse tibi à dicentis arte non poterat,argumento ipso placuit. De doctrinâ dicebam,quæ tibi domestica semper, atque inter arma ipsa contubernalis fuit: pugnabam pro antiquitate, quam & cognitione comprehensam habes, & moribus insigniter expressam:disputabam de republicâ,in quâ eum obtines locum quem tui, pro eius tuendâ & augendâ dignitate, labores, pugnæ, victoriæ meruerunt. Ita fiebat, vt cùm libens dicentem audires,pondus orationi nostræ tui nutus adderent; quæ nec arbitrum magis idoneum nancisci, nec honestiorem desiderare fautorem poterat. Exire itaque gestit in tuo nomine, quo veluti paterno gloriatur, ex quo tam benignè suscepisse visus es, & quasi adoptasse nascentem. Neque verò tenuitatem excusat, aut quò minùs se tibi consecret exiguitate suâ deterretur; quæ quòd minima est, non ideo tibi minimum debet. Suum enim Oceano vectigal non famosi tantùm amnes, sed etiam riuuli & exiles aqulæ pensitant. Adiri te ab eâ non grauatè feres, quam dum ipse

tam comiter adiisti prior, beneficio prouocasti. Vtinam autem, quantum nobis aditu illo tuo decus attulisti; tantum hæc tibi, & tam illustre obseruantiæ nostræ monimentum referret! Sed cùm impar sit huic dissoluendo nomini, nedum expediendis aliis, quibus tibi sumus obstricti haud paulò maioribus; quod potest unum debiti professione fungetur.

A. T.

Addictissimus
GABRIEL COSSARTIVS
è Societate IESV.

GABRIELIS COSSARTII E SOCIETATE IESV.

ORATIO ADVERSVS NOVITATEM DOCTRINÆ.

VEtus est illa, & à magistris Politicæ doctrinæ summo consensu posita lex, Viri illustrissimi, vt quidquid est affine nouitati, summoueatur ciuitatis aditu, longéque à populi moribus & studiis arceatur. Sic enim sibi persuadent homines sapientissimi: cùm Imperium omne vetustate, tanquam altis radicibus, nixum fundatúmque sit; vetustate, tanquam plenâ iam & adultâ luce, splendescat: nihil esse, quo certiùs vel decus extingui reipublicæ, vel firmamenta conuelli, quàm nouitate possint. Quamobtem pellendam esse republicâ pronunciant velut hostem; neque tantùm cùm insurgit, & minatur palàm, summámque rerum aggreditur; sed etiam cùm ludos exiguis in rebus innoxios ludit, cùm blanditur, cùm fauet, exitiosam habendam esse, & ex toto fugiendam: vt pestilentiæ non tantùm grauiores auras, plenio

pellarent. Quòd si tam præceps & lubrica nouitas est, tantúmque habet ad nocendum vniuersa periculi: multò est tamen illa doctrinæ, quàm rerum, ad labefactandam remp. sapientibus visa procliuior.

Quamobrem cùm nos præcipuè pars illa spectet, munúsque docendi nostrum, cuius intermissam de more professionem instaurare hodie dicendo sum iussus: iam inde ab hoc aditu, id omnium nomine profiteor vnus, nouitatem non segniori quàm antè curâ prohibendam ab his scholis esse, quæ nunquam nisi ad reipub. ciuiúmque commoda, patuerunt. Quæ disciplinæ ratio vt intelligatis, Auditores, quàm iusta sit, quámque meritò nostra: hoc aio: vt illa seruetur, omnium interesse, patriæque communis; & effecturum me hac oratione confido, doctrinæ nouitatem reip. periculosam esse. Et quoniam non priuatam hîc personam sustineo, sed communi fungor munere, omnium, quas scholæ nostræ profitentur, artium aperiendi curriculi: non hærebo in vno quodam genere disciplinæ, sed palàm in vniuersis faciam, quàm tutas, si saluam rempub. volumus, à nouatorum iniuriis esse oporteat: simul id perficiam, vt me nemo putet vni cuipiam recenti doctrinæ infensum ad dicendum venisse, cuius sermo ad omnes æquè pertinebit.

Atque hoc primùm affirmanti mihi quis non assentiatur, quæ res timeri publicis rebus à nouitate solent, eas nouorum dogmatum maximè proprias esse, turbas, dissidia, factiones? Fouent scilicet ingenia fœtus suos, amántque

perditè,

perditè, & nouitia inuenta, vt pusiones suos nutriculæ solent, suauiùs deosculantur, pugnaciúsque defendunt. Non desunt qui recentem partum suscipiant, vt proprium, & suum: tot parentes habet, quot amatores nanciscitur: atque vt quisque vetustiore doctrinâ minimè instructus, & eâ quasi orbatus est; ita nouellam hanc cupidissimè adoptat. Vix nata est, cùm factionis est mater, huic efferendæ patroni sui student impensiùs, hanc ambitiosiùs prædicant; siue homines arrogantissimi hanc vnam plurimi faciunt fastidio cæterarum; siue cùm illius infirmitatis sint inanitatísque conscij, vim illi atque robur à sectæ conspiratiône quærunt; seu demum, cùm non temerè solent auræ illæ nouitatum, nisi à turbulentis ingeniis excipi, obsequuntur hi paréntque indoli suæ, & turbas, vbi nactos se occasionem putant, moliuntur. Hinc iam quasi discessione factâ, feruere incipiunt contentiones partium, pugnatur magnis animorum ardoribus, atque hoc pertinaciùs pugnatur, quòd ingeniorum certamen est: quorum cùm ignea & cælestis natura sit, quis miretur ex eorum conflictu exprimi fulgura quædam & tonitrua, quibus omnia perturbentur? Quis non intelligat quàm facilè pariant discrepantes sententiæ studiorum dissimilitudinem & voluntatum, disiungántque concordiam illam ciuium, quâ vnâ maximè reipub. quies & tranquillitas continetur?

Familiam ducis emersæ nuper philosophiæ: præclarè, nisi recens omnis secta, seu contumaciâ fautorum, seu fato alio quodam, obnoxia

turbis esset. Nouum doctrinæ figmentum architectatus es: bellè, nisi vetustam alteram & suâ canitie venerabilem, exemplo pessimo, arrogantiùs sustulisses. Innoxium est tuum illud scientiæ genus, neque ad remp. attinet: commodè (dandum enim est aliquid tibi) commode inquam, si stare hîc nouandi libido posset. Sed quis hoc non videat, illam modicâ in re audendi impunitatem, gradum esse ad maiora deinceps tentanda iactum; illósque ipsos, qui nouis aliquando rebus inductis rempub. impulerunt in præceps, prolusisse minimis initiis ad decretoria facinora, & exiguis in rebus audaciæ tyrocinium posuisse?

Quid est quod videri leuius in republ. possit, quàm ioci, lusúsque pueriles? horum nouitate, tanquam ad perniciem exitiúmque propensâ, bene temperatis ciuitatibus summus reipubl. artifex Plato interdicit; obseruari iubet, quibus se pueri ludis oblectent; vetat ne quos vsurpare sinantur, nisi consuetudine receptos; si secùs faxint, quod inter eos vigere lusionis genus cœperit præter morem patriæ, modúmque communem; tum verò, quantulum idcunque iudicetur ex sese, id tamen tantæ vir grauitatis & iudicij, affirmare totidem verbis non veretur; non esse pestem vllam reipub. hac ludorum à pueris adhibitâ nouitate maiorem. At quid admodum ciuitatis intereſt, an equitent in arundine pueri, an in corbe nauigent? quid aliud diceret, si bello duces, non pueri ludo certarent? aut quæ posset ab eo maior adhiberi cautio, si de reip. non de pilæ conseruandis
legi

legibus præciperet? perinde quasi cum pilla & trocho, fortunæ orbis, & Græciæ fata verterentur. Profitetur nimirum, non tam à se quid pueri moliantur in præsens, quàm quid grandiores iidem ausuri sint, timeri, corrumpi teneram indolem, animosque peruerti illâ morum inconstantia, & desultoriis cupiditabus; neque ciues olim in repub. quietos fore, qui semper fastidio præsentium assueuerint. Quapropter eâdem interdictum lege: ac propè religione vult, ne vel carmina modulentur, nisi vsitata; vel ad numeros saltent, nisi patrios; vel formam adsciscant vestium, nisi popularem: in his, omníque vitâ communi noui quidpiam comminisci, nefas esse.

Et erit, Auditores, erit vt minus in ingenuis artibus videatur ad rempub. momenti, quàm in nugis pueritiæ constitutum? interest reip. quibus pueri ludis indulgeant, non intererit, quam iuuentus disciplinam accipiat? è re communi est quid saltent, non erit quid litterarum addiscant? refert patriæ quibus induantur vestibus, non quibus artibus imbuantur? periculum est, si friuolis etiam, & ludicris in rebus deflectatur à patriâ consuetudine; in doctrinis vnis, erunt artes quædam alieniores, quàm vt ad rempubl. pertineant? nouari, antiquari permisceri omnes impune poterunt.

Propulsanda est certè nouandi libertas à disciplinis omnibus, ne tandem in aliquâ vnâ noceat. Cùm enim illæ non tantùm subtiliter differendi leges & acutè intelligendi contineant, sed etiam benè honestéque viuendi; neque

neque viros solùm eruditos sed etiam bonos ciues instituant; cùm omnia priuatæ, ciuilísque vitæ officia temperent, omnia sacrorum iura describant: hoc diligentiùs est licentia omnis à toto illarum corpore cohibenda, arcenda est nouitas ab ipsarum limine, ne interiorem in sedem grassari pergat: prohibenda eius in dialecticam incursio, ne hinc in mores hominum, in descriptionem reipublicæ, in legum sanctitatem, & religionum irrumpat: ne in res maximas recepta, tempestates faciat, quæ turbas aliquando in minimis excitauit.

Nam vbi semel erupit hæc væsania, quem audendi sibi modum facit? Raró acquieuit in maiorum sententiis, cui nouam aliquam fabricati, & promere de suo impune licuit: at siue delinitus prioris inuenti laude, siue hoc hominis ingenium est; vbique parturit, vbique suus esse vult: nihil in mora est antiquitatis auctoritas, ex quo neglecta semel, & inuerecundè despecta est: displicent militares viæ, quia tritæ vulgaresque sunt: quærendi noui quidam in omni scientia calles, nullius adhuc tentati vestigiis, nullius suspicione & coniectura indicati. Et veró cùm ad doctrinas omnes idem afferatur ingenium: quid exspectandum est ab eo, cuius temeritas periculum in arte vnâ fecit, nisi vt peræquè tractentur ab eodem omnes; neque politicæ disciplinæ parcat, qui temerè in reliquas & petulanter incurrit. Quantò est igitur consultiùs, pestem illam, in re tenui, in eruditionis parte maximè otiosâ, miniméque

per

per se suspectâ blandientem elidere!
Neque id verò commentitiæ cuiusdam est reip. proprium, cuius conceptam animo formam sic expressisse Plato dicitur ad specimen optimè constitutæ ciuitatis, vt non descripsisse remp. sed optâsse sit visus. Nihil profero, quod sæpiùs non sit ad huius regni salutem & incolumitatem, regum nostrorum edictis, & Senatûs auctoritate prouisum. Turbabat Petrus Ramus in Parisiensi academia (quæ tota repugnabat) & reiecto peripatetico disserendi genere, nouum quoddam dialecticæ simulacrum excitauerat: huiuus doctrinam Franciscus primus publicis litteris damnatam compescuit: ipsi scholis in posterum omnibus, omnique docendi munere interdixit. Irrepserat in eandem academiam hæc, quæ Nominalium appellata est philosophia: eam: Ludouicus XI. regum nostrorum, ex omni memoriâ, reip. regendæ prudentissimus, exterminari scholis Parisiensibus omníque regno iussit, premi auctorum libros, contumaces exilio multari. Et Ludouicus quidem, præter vniuersum odium nouitatis, hoc etiam promptiore animo sectam illam in rerum nominibus illudentem oppressit; quòd intelligeret, quantas excitâsset vbique turbas illius princeps Ochamus: qui à nouandæ doctrinæ confidentia, ad nouarum in rep. rerum molitionem prosiliés, aduersus Pontificem Maximum cum Ludouico Bauaro Cæsare conspirauerat, cúmque solebat hortari, vt fortiter ferro faceret, se interim stylo acriter pugnaturum, Franciscus verò præsagire iam inde videbatur quoniam

niam esset illa Rami euasura temeritas, hominis quo insignius exemplum posteritati nemo dedit, quàm fœdè illa nouitatis intemperantia à minimis initiis ad ipsius reipublicę labem & exitium gliscat: qui cùm nouam grammaticam, noua docendi via, nouísque præceptionibus edidisset; cùm in rhetoricæ principes, lingua stylóque inuectus, spreuisset Aristotelem, risisset Tullium: Quintilianum explosisset, nouámque esset ipse dicendi artem fabricatus; cùm in philosophia tragœdias, aduersùs Philosophiæ parentem, excitasset: ad extremum idem homo in theologia fuit, libróſque scripsit de Christiana religione quatuor, flagitiosa nouitate infames: hinc res nouas cum Caluini grege molitus, & in magna illa perduellium internecione, Lutetiæ peracta, inter hostes patriæ obtruncatus est.

Non desiderauit respub. eandem, in reprimenda ingeniorum lasciuia, ordinis amplissimi diligentiam: sed & probata est in illa Rami causa & toties, in doctrinæ insolentiam, senatûs decreta facta sunt, quoties emersit illa, & vetustioribus disciplinis insidiata est: vt hæc monimenta essent, quanti curam hanc ad reip. quietem interesse publicum Galliæ consilium iudicaret.

Quæ principum, magistratuúmque sanctiones; cùm in omnem doctrinæ nouitatem graues & seueræ: tum verò in eam quæ religionem attentaret, hoc grauiores fuere semper, quò propius ab ea, præsentiúsque periculum imminere visum est. Reguntur certè, reguntur à præpotente Deo respub. icæ: ne

neque aut rigida quadam necessitate fati, aut præcipiti volubilitate fortunæ sed æternæ mentis numine, & prouidentia gubernantur. Nutu fundat imperia, nutu destruit: præscribit iis diuturnitatis & potentię fines, corúmque amplitudinem suo fauore metitur. Quapropter hoc regnis vsuuenire, frequentibus experimentis edocti sumus, vt perinde atque religionem curarent, quæ nostra vna cum Deo cousuetudo est; ita vel starent eorum res, vel labarent: neque gentes vllæ sacrorum abiecerint & cerimoniarum formam, quæ non reip. quoque amiserint.

Neque verò tunc læditur religio solùm, cùm peregrinis ritibus, & abhorrentibus à prima institutione sacris, tota corrumpitur: sed etiam cùm alienæ doctrinæ, quamuis in speciem incorruptæ, afflatu leuiore perstricta tentatur; tunc eius maiestatem imminui, ei periculum, patriæque adeo, creari putandum est. Nam si nouare fas esset cuiuis; qui modò præfaretur, nihil à se nisi sanctum afferri; qui nouandi finis esset? aut quod tandem theologiæ nostræ vestigium teneremus? Quid quòd non est religio ex iis concreta partibus, quarum aliæ dissolui, intactis aliis possint? sed eius ita coagmentatum corpus est vt totam commoueat, qui eam aliqua parte concusserint; ita simplex atque indiuidua ratio, vt superfit ex ea nihil, si quid vel modicum ademeris. Quidquid religioni addideris, superstitio est; quidquid detraxeris, sacrilegium. Virgo est: intactam seruari oportet; neque vel attrectari temere, vel dilabari quid-

quam

quam ex ea, ſine probro, & inceſti ſuſpicione poteſt. Quamlibet ſit præclarum & illuſtre nouum illud doctrinæ munus, quo donandam religionem ſuſcipis; ſimilis mihi videris adulteri, qui magnis conditionibus virgini ſtuprum offerret. Vetuſta eadem, & cana eſt: eam fucus & ceruſa non decet; illudit eius ætati, quidquid nouarum eſt elegantiarum, & adſcitiæ pulcritudinis, recenti artificio comparatæ: atque vt ſenili maieſtate, veneranda eſt; ita nouis in cultu inſtructúque deliciis, & omni comptioris meretriculæ mundo adornata vileſceret. Quòd ſi & violatur hæc minimarum rerum inducta nouitate; & ea læſâ regnis à vindice Deo conuerſiones, & exitia impendent: intelligitis, auditores, quàm ſit è republica defendi nouatorum audaciam omnem ab ea doctrinæ parte, qua ſacrorum interpretatio continetur.

Sed quoniam illi religionis corruptores duci religione, metuq; numinis non ſolent, Deúmque ac Diuina omnia nullo habent loco ac numero: relinquam vniuerſum illud argumentorum genus: iis agam vnis, quibus cum profano quoque pugnarem, rémque patiar humanis rationibus & iudiciis æſtimari.

Ex omnibus, quæ concitationes efficiunt animorum, eſtne aliquid, auditores, quod vim natura maiorem his duobus habeat; nouitate, dico, & regione? Habet hæc multum auctoritatis, illa plurimum illecebræ: hæc animis imperat, illa blanditur: hæc veneratione populorum, illa eorundem amoribus; vtraque, admiratione excipitur. Et religionis quidem tantam

esse vim,ipsi religionis & pietatis expertes homines duxerunt, vt eam in republica iusserint ad regendos, continendósque populos præcipuo studio, curáque seruari: nouitatis verò ea semper gratia fuit, vt nouarum inuentores rerum,& artium, Dij quondam à profanis gentibus habiti, & consecrati fuerint. Quæ si concurrant ambæ, simúlque conspirent, si nouitas blandimenta sua religioni, religio suum nouitati pondus & maiestatem addiderit:nihil erit, vel suauius ad illiciendos animos, vel potentius ad eosdem, quamcumque libebit in partem, impellendos. Quare hoc semper consultissimi quique rerump. moderatores diligentissimè prouiderunt,ne qui existerent noui religionum interpretes, auctorésque sacrorum, qui doctrinis suis infatuarent ciuium animos, adiunctósque sibi & religionis nexu, & gratia nouitatis, possent ad quiduis audendum abducere.

Quibus sunt aliis artibus ad Europæ perniciem grassati tot rerump. euersores, geminæ voragines scopulíque regnorum,infanda ad omnem Christianæ gentis memoriam nomina, Lutherus, & Caluinus? Nouæ theologiæ figmentis, laruísque regionum recentibus, emotæ ciuitates, conuulsæ prouinciæ, turbata imperia, omnis Europa concussa est. Quam ante istorum tempora viam perdendæ Asiæ Africæque, & excitando sibi regno Mahometes iniit?tenuis & sordidus camelorum pastor, nouæ doctrinæ magister repentè factus, diuinum quendam afflatum animi simulans, cælestiúmque congressum, multitudinem supersti-
tione

tione captat, ſupeſtitionem armat audacia; tot militum ductor, quot diſcipulorum antè doctor fuerat, religione allicit, armis terret, vaſtat, incendit, imperat.

Tantùm relligio potuit ſuadere malorum.
Imperioſa religio! ſeu tu verâ, ſeu falſa perſuaſione niteris, vtrobique imperioſa, & ſumma dominatrix animorum! Parem adhibet concutiendo terrarum orbis machinam, quiſquis hac induſtriè & ſolerter vtitur: neque populos certiùs regere quiſquam poteſt, quàm qui eos hoc freno moderatur. Cùm enim ſit omnium innata & infixa mentibus notio ſuperioris cuiuſdam naturæ, cuius pendere nutibus ſe, fortunas ſuas, alteriúſque adeo vitæ felicitatem intelligant: naturâ fit, vt quo quiſque ſe magis amat, hoc ſit in eius cultum reuerentiámque propenſior. Nihil eſt ea populis antiquius, qua nihil vel cum rebus ſuis cōiunctius, vel per ſe anguſtius eſſe ducunt: hanc traditam ſibi à parentibus præcipuam poſſeſſionem, neque tam rerum ſuarum, quàm ſui partem reputant, hærentem in ipſa natura, intimis ſenſibus admirabiliter inſculptam. Quò fit, vt noua regionum interpretamenta, eodem animo nonnunquam excipiant, quo recognoſcerent indicatam ſibi partem aliquam inſignem paternæ hereditatis, quæ diu latuiſſet. Hinc eorum inflammantur ſtudia; atque vt nihil habent ea re carius, ita nihil eſt, quod huius accipiendæ, & conſeruandæ cauſa non audeant: neque morantur eos vlla pericula, cùm hac ſpecie velata ſunt.

Ex quo funeſtiſſimum etiam illud accidit,

cùm nouæ religionum doctrinæ ostentare se populo cœperunt, vt dissidentibus ciuium animis, & partim nouitate abreptis, quæ leuiores impellit; partim antiquitate stantibus, quæ grauiores retinet; vtrisque religione nitentibus, quam omnes affectant; secum ipsa luctetur intus resp. & à se quodammodo diuulsa æstuet, eæque concitentur in ipsa turbæ seditionum, quibus concordia ciuium, vis legum, auctoritas magistratuum opprimatur.

Nam ciuium quidem, in illis de re tanta diuortiis, quæ potest esse caritas, & conspiratio? quæ non fouebuntur dissensiones, cùm ruptum erit vinculum illud publicæ societatis; fiétque discordiæ fomes, qui concordiæ nexus antè fuerat? quæ non aperta odia palàm erumpent, cùm inter se discordabunt ea de re, quæ publica & omnium communis est? quàm erunt sæui atrocésque conflictus animorum, cùm pro aris vtrinque certabitur, & in religionem religio pugnabit? Etenim vt nunquam inter se, nisi acerrimè, fratres oderunt, propterea quòd summum illud odium oportet esse, quod fraterni amoris vim superare potuerit: sic eorum, quos eiusdem religionis quasi cognatio & germanitas quædam coniunxerat, dissociari non possunt animi, nisi crudelissimis dissidiis, quæ pristinæ coniunctionis recordatione, vehementiùs ingrauescant.

Legum verò quæ tunc esse vis, aut quæ vigere disciplina poterit? Sunt enim profectò leges ab imperiorum conditoribus religione fundatæ, vel quòd præscripta illa officiorum

vitæque communis à vitæ magistrâ religione petenda duxerunt ; vel certè, vt venerationem iis maiorem adsciscerent : & si fortè præcipitem furore ac desperatione populum , pœnarum metu regere , aliquando leges non possent ; tunc eundem sanctitate suâ quadam, & quasi diuinitate continerent. Quare cùm religionem afflate doctrina insolentior, cùm permulcere ciuium animos & commouere cœperit : quid aliud, quàm pereclitari leges, eásque vel subducto solo ac fundamento ruere , vel concusso labare necesse est?

Quid interim magistratus ? alteri fauebit parti ? alterius offensionem incurret : neutri se addicet ? vtrique erit inuisus. Vereri enim & amare quî possint, quem nullius religionis hominem ducunt ? aut quam huic inesse religionem putent, qui nullam profitetur ? Quæ magistratuum auctoritas , quàm parum tuta sit inter huiusmodi sectarum nouitates , & temerarias commutationes sacrorum ; intelligimus, auditores, ex eorum hominum gestis, qui religioni nostræ aut vetustas opes detrahere, aut noui quidquam aspergere recentis doctrinæ fuco tentarunt : quorum illud semper ingenium fuit, vt impatientes dominationis essent , potestatémque principum, occultè primùm & quasi per cuniculos , tum vbi tempus ferret , apertâ vi & professis odiis oppugnarent. Et verò cùm sit illud peculiare Christianæ professionis , vt demissis omnes subiectísque mentibus simus : proprium hoc contrà videtur eorum esse , qui eius immutare leges , & peruertere instituta conantur, vt ma-

iorum imperium ſuperbè, arroganterque detrectent. Quàm procliue eſt, vt qui tot ſeculorum, tot ingeniorum venerandam auctoritatem ſpreuerit; hominem vnum vereri tandem & obſeruare dediſcat quàm affine, vt regia iura conculcet: qui Diuina protriuerit? Parit viuendi licentiam, illa opinandi, & ſentiendi libertas: aſſueſcunt præfracta ingenia, ſuæ ſententiæ, ſuique iuris eſſe: vitæ ſuæ volunt eſſe arbitri, qui religionis fuerunt, inter ſubſellia contumaciæ rudimenta ponuntur. Quis eum miraretur excitare in repub. turbas, qui priùs in academia ſua turbâſſet? violare magiſtratuum edicta, poſtquam ordinis ſui decret s parêre recuſaſſet? & quam expertus eſſet in euertendis Diuinis legibus audaciam, eam deinde in regiis exercere?

Sed nihil hominum hæc indoles per ſe noceat, ſint quieti, ſint tranquilli, nihil aut moliantur in repub turbarum, aut deinde molituri ſint: etiam ipſis quieſcentibus, patriam eorum doctrina peſſundabit. Noua ſcilicet imbutus diſciplina populus, nouis inſtitutis viuere incipit, nouóque ingenio: neque poſſunt alij mores, non ciues alios, aliámque adeo rempub. efficere. Inducantur licèt honeſti ritus, ſalutaréſque per ſeſe, & priſcis haud paulò meliores, nocebunt tamen, neque tantum erit in re ipſa commodi, quantum ab illius nouitate periculi creabitur. *Ipſa* quippe *mutatio conſuetudinis* (liceat magni Auguſtini verbis vti) *etiam quæ adiuuat vtilitate, nouitate perturbat.* Vt enim relinqui quotidiana victus ratio, & contraria quædam adhiberi

non

non poteſt, quin tentari valetudo incipiat, & temperatio corporis tota commoueri: ita nouis populi ſtudiis, nouóque vitæ genere turbari neceſſe eſt reip. ſtatum, quæ nullis aliis conſeruari moribus poteſt, quàm quibus aſſueuit.

Quid igitur ſi praua per ſe ac perniciosa ſunt inſtituta illa, quæ temeraria nouitas inferre docendo aggreditur? Quid ſi malè in remp. doctores ipſi animati ſunt? Et ſunt profectò: neque vllus eorum eſſe ſolet, qui tantùm patriæ non ſit, quantùm pietati, & ſacris inimicus. Nam vel excitant in repub. turbas, vt velificentur nouæ religioni, quæ nunquam faciliùs, quàm inter tumultus inuecta eſt: vel nouam religionem afferunt, vt remp. perturbent, quam norunt hac re maximè vnâ concuti, & euerti poſſe. Vtrumuis ſpectent, patriæ peſtem vtrinque machinantur. Quis vllam in republ. ſeditionem vidit, quam iſti tanquam flabella quædam non agitarent, augerénque? quæ turbæ fuerunt, quarum occaſionem non captauerint; quibus alendis, conſilio, calumnia, ſumptu, omni ope atque opera, non ſtuduerint? aut quis hoc non videt, factiones illas iam collectas conflatáſque, ad manum eſſe cuiuis ex optimatibus factioſo, tanquam expeditas, ſtantéſque in procinctu, & ducis alicuius nutum expectantes? Quod ſi gentibus cæteris ignotum antea fuiſſet, noſtris cladibus ſuperiore ſeculo, didiciſſent. Sed & ſuis ipſæ ſunt eruditę caſibus, vixque vlla eſt, cuius in ſinu impreſſa non exſtent triſtiſſima quædam ad memoriam veſtigia, ex quibus intelligere po-

ſteritas queat, quid in illa religionum nouitate, vel ſectatores factionibus, vel doctores, furore & violentia? vel doctrina ipſa, ſua peruerſitate & malignitate quadam, publicis rebus minitetur.

Græcia, regum olim parens, alumna maieſtatis, omnium magiſtra & domina populorum, quæ te fata tot ſpoliarunt opibus, & ornamentis quorum ex omni ſplendore vna tibi nominis vmbra ſupereſt? Obſoleſcere apud te cœpit antiquum illud imperij decus, cùm primùm vetuſtæ religionis integritatem nouis opinionum commentis adulterate cœpiſti. Fuerunt diuortia doctrinarum, & perpetuæ de myſteriorum noſtrorum ſanctitate contentiones, tot bellorum prænuntiæ, quæ te, tuáque ſacra expilarunt. Multata eſt illa Diuinis de rebus decernendi libertas, duriſſima ſeruitute, qua deinde preſſa es: exemplúmque in te poſitum eſt, in quo gentes omnes agnoſcerent, præcipitem illam ſacris in rebus innouandi licentiam, vel cauſam exitij, vel omen impendentis calamitatis eſſe. Pacata eſſes, Britannia, niſi te hi turbines agitaſſent. Ex quo inhiare cœpiſti ad omnes de religione doctrinas, & ſuſpenſa ex illis auris eſſe; nulla tibi quies à tempeſtatibus, & naufragiis fuit. Olim fortunata: nunc incerta erránſque inſula, quaſi eruta radicibus tuis, & à fundo reuulſa, fluctuas: tot abrepta ventis in diuerſa pellentibus, quot varias pugnantéſque ſectas vna ſecuta es: tot lacera partibus, quot te formæ ſuperſtitionum contrariæ diuidunt, diſtrahúntque: cadauer imperij, ex quo apud te anima imperij.

rij auita religio extincta est:aut potiùs, ex quo nouas alias accepisti, similis eorum hominum, qui cùm sint à multis infessi correptíque impuris spiritibus, raptantur ab iisdem, vexantúrque sæuissimè, suúmque in se furorem exercentes, non membris, non capiti parcunt; neque possunt suo regi spiritu, dum à multis alienis. & aduentitiis agitantur. Vnde apud vos, Belgæ, tanta rerum est superiore seculo facta conuersio? eiecti principes, vt plebs imperaret; noua in vrbium ruinis fundata resp. quæsita vitæ libertas, inter cædes mortémque certissimam, cui nusquam amplius theatrum, quàm in angustâ illâ portione terrarum patuerat. Illos tumultus, illas prouinciarum vestrarum ærumnas, & perpetuas tot annorum tempestates, sparsa temerè apud vos exponendæ religionis nouitas vna concitauit. Germania, quæ gens erat in orbe terrarum te beatior? quæ omnium,aut statu pacatior, aut fundatior opibus, aut imperio potentior, antequam æstus illi aliarum ex aliis doctrinarum, religionem absorberent tuam, cúmque religione adeo, beatam illam pacis & otij tranquillitatem pellerent, exhaurirent illam opum amplitudinem, illos potentiæ neruos eliderent? Iisdem in sinu tuo procellis Bohemia, iisdem Pannonia iactata est: neque prouincia, quàm latè pates, vlla fuit, quam non hæ commotiones euerterint. Eadem à te lues in Septentriones summissa, cædes atque occisiones fecit in Daniâ,expulit è Sueciâ reges, dissensiones commouit in Poloniâ;vbique bella, strages, parricidia exitauit.

Abſtineo à te conſultò, Gallia: parco luctum renouare funeſtiſſimorum temporum, quorum ipſi partim incendia, partim fumantes adhuc reliquias vidimus, hoc tantùm interrogo: quæ tibi peſtis tantum conſciſcere malorum potuit? quo deluſa & capta faſcino, in te ipſam coniurata pugnabas, tuis opibus conſumpta, tuis fracta viribus, quæ alienis ſemper inuicta fueras? cùm à templorum ruinis, ad vrbium & prouinciarum direptiones; à contemptu ſacrorum & cerimoniarum, ad legum euerſionem; à ſacerdotum proſcriptionibus, ad cædem magiſtratuum; à Diuinæ auctoritatis neglectione, ad regiæ deſpicientiam odiúmque, nefarij ciues bello indicto progreſſi ſunt. Tibi, finitimíſque populis; tot calamitatum cauſæ, nouæ de theologiâ fabellæ fuerunt.

Prodibant arguti morum religioníſque cenſores, velut dij quidam è machinâ, homines ignoti priùs, & ſuâ tantùm nouitate famoſi. Erat in vultu habitúque omni, expreſſa priſcorum temporum ſimplicitas, & affabre quodammodo facta modeſtia: quam alij ad conciliandos animos comitate quadam, & affabilitate ſermonis exquiſitâ; alij ad incutiendam venerationem, triſtitiâ & ſeueritate condiebant, ſanctitatem integritatémque vitæ congreſſus ipſe ſpirabat. Profitebantur afferri à ſe laudatiora quædam inſtituta, & caſtigatiorem diſciplinam, qualis aut natæ recèns, aut æui quodam flore viuidæ religionis fuerat: conſenuiſſe apud æquales ſuos Eccleſiam, illâ viriditate, illo ætatis integerrimæ robore, ac virtute defectam: à limpidis illis fontibus diuertiſſe

uertisse multas iam ætates ad turbidos lutulentósque riuulos, quorum cœnosæ ac putres aquæ ad sua tempora permanassent: correpsisse in religionem, ipsúmque adeo sinum Ecclesiæ, sordes errorum intolerabiles, morúmque corruptelam, quibus emendandis prouisum esse diuinitus antistitem suum aiebant. Postquam leuioribus in rebus minimâ offensione prolusisse visi sunt: primus est ab iis impetus in Christiana sacramenta factus. Reiecta priuata sui accusatio, & larua quædam pœnitentiæ, eáque publica, ad veteris illius, vti iactabant, amussim exacta, seruata est. Redactum ad tenuem exilémque vmbram sacramentum omnium augustissimum, eiúsque vsus valde infrequens inductus; quo vno captata omnium ingenia sunt: nam & superstitiosi ducebantur reuerentiæ specie, & licentiores minúsue amantes sacrorum, probabant hanc ceremoniarum vacationem loco religionis oblatam, in eóque se pios esse gaudebant. De Diuinâ gratiâ, déque humanæ arbitrio libertatis, venditari flagitia cœpta sunt: in quibus nihil studebant magis, quàm ne quid noui protulisse viderentur: vbique auctorem Augustinum, vbique prima Ecclesiæ secula, doctrinæ sibi normam, exemplúmque religionis esse prædicabant. Cognoscite, Auditores, quàm sit omnis per se odiosa nouitas, cuius artifices & molitores ipsi, etiam cùm eam efferre in lucem, & commendare populo student, nihil à se vehementiùs, quàm nouitatis odium deprecantur; maiúsque carere inuenti laude, quàm adhærescentem ad res no-

ſecuriùs gliſcebat. Conſcendebant fidenter in templorum pulpita, buccinatores exitioſę diſciplinæ: ludimagiſtros captabant, quorum operâ teneræ puerorum mentes occuparentur: propria quædam ſibi gymnaſia, tanquam emporia doctrinæ ſuæ, nouæque reip. ſeminaria vindicabant. Viri eruditi, ſi pecuniâ ſubornari poterant, ingenti ſtipendio redempti: ſi corruptelæ minimèaffines viſi; vexati calumniis, appetiti contumeliis, modis omnibus infamati: neque fuit cura potior, quàm vt ordines profeſſione vitæ ac nomine religioſos, partim odio, partim ludibrio exagitatos, vel deterrerent à meliorum propugnatione partium, vel omni apud populum auctoritate ſpoliarent. Si quis erat, quem contra rem ſuam venire intelligerent: hunc, quiſquis eſſet, dum acceptas à patribus, nemínique ante illorum vecordiam vocatas in dubium doctrinas fide bonâ exponit, palàm inſimulabant Pelagianæ perfidiæ; Pelagianum pleno ore, buccíſque tumentibus, haud ſcio an faſtidioſiùs, an contumelioſiùs appellabant. Pelagiana ipſis Sorbona, Pelagiani ſanctiſſimi quique doctores, Pelagianus Pontifex Maximus erat. Nihi dico, quòd ipſorum monimentis conſignatum hodiéque non exſtet. Et principio quidem cùm magnæ fuiſſent in Romanum Pontificem, maximæ in Eccleſiam obſequij & reuerentiæ ſignifiationes datæ: ad extremum, deriſa huius auctoritas, illius fulmina exſibilata per ridiculum, & temerè laceſſita. Petebatur vnum illud Eccleſiæ caput, vt deinde faciliore de præſulibus cæteris

acuebant ad procacitatem omnem sacrilegi scurræ, & in optimorum principum vitâ moribúsque defigebant.

Quo ex genere sectâque hominum fuisse oportet illum (satis enim ex ingenio agnoscitur) fuisse, inquam, illum oportet libelli, qui Mars Gallicus inscribitur auctorem: qui mentito Alexandri Patricij Armacani nomine latêre voluit; scriptorem, si quis vnquam alius fuit, in obtrectando furiosum. Quæ vox si paulò visa est amarior, laruam quam induit, Armacanus iste accuset. Ita enim à conuiciando, naturâ sum & institutione alienus, vt si certus libri proderetur auctor, quanquam æquè factum horrerem; personæ tamen, in cœtu præsertim honesto, parcendum ducerem; neque vt grauiore dicto læderem, vt notarem verbo, possem adduci. Sed dum sine cuiusquam iniuria, indulgere iustissimo dolori possumus, & amori in patriam Regésque nostro? quis inuideat? aut quæ prohibeat officij lex? aut quis naturæ pieta ísque sensus non imperet; Reges ille nostros, quotquot sunt, idoneos putauit, in quos omnem contumeliarum fæcem, sine pudore ac modo, euomeret. In quo quid primum omnium admirer, indignérve nescio: ita ex omni litterarum, librorúmque memoria, qui stolidiùs mentiatur, præfractiùs imponat, interpretetur maligniùs, noui neminem. Fuit certè, fuit impietatis maximæ, librum scripsisse tam execrandum; in gentem summè Christianam, in Diuina munera, in sanctissimos reges iniuriosum. Fuit sordidi; viiísque ingenii, arripuisse de

de triuio crudum illud maledicendi genus: & cùm nihil reperiret nisi sanum & integrum vlcera fecisse, in quibus vnguem infigeret. At quòd furorem illum ne abstinuerit quidem ab augustissimis capitibus, quorum vereri effigies debuisset; videte, auditores, quo dignum id nomine, cuíve pœnæ obnoxium iudicetis.

Sed librum illum sanè mittamus, illum calumniarum gurgitem, contumeliarúmque sentinam, quæ agitari diutiùs sine nausea non potest: eóque orationem, vnde modicè deflexerat referamus. Intelligite, auditores, quàm sint perniciosè de republ. meriti superiore seculo, illi de quibus antè dicebam, paternæ pietatis desertores, & quo patriæ periculo, etiam cùm signa in reges sublata nondum essent, religionem suam nouâ doctrinarum colluuie inquinari paterentur. ex eo enim id apparebit, quod pugnamus vnum; nunquam huiusmodi doctrinæ nouitatem, reip. periculosam non esse. Hoc autem liquidiùs in exemplo cernite.

Facite Armacanum istum non vnius fuisse monstri parentem sed librum edidisse de theologiâ, Marti Gallico germanum & geminum, id est, valde contumeliosum: facite (quid enim fingere cogitando non licet?) noui quiddam ab eo de religione allatum esse; nouam institutam esse sectam; confectum doctrinæ corpus seu planè nouum, seu concinnatum ex alio quodam pestilenti, & ad fraudem, interpolatum. Huic deinde si qui ciues pertinaciter adhærescerent, si eum nouæ disciplinæ sequerentur

tur auctorem: hoc à vobis quæro: quamuis nondum erupisset aperta in rempubl. coniuratio, an non videtur tamen illa hominum natio huic perniciosa regno, & rebus nostris inimica? esset profectò, & suprà quàm dici potest, esset inimica. Cùm enim nouitas omnis natura suspecta sit: suscipi certè non solet, si non illius auctor ex omni parte placeat. Numinis tibi alicuius instar est, qui tantum in te auctoritatis obtinuit; amplecteris eius studia omnia; omnia in verba iuras: neque potest in altero tibi detestabilis, in altero Deus aliquis videri. Fingerentur illi ad antistitis sui naturam; hominis ingenium, morésque combiberent; & eius odiis imbuti, factionem conflarent huic imperio vehementer infestam. Cúmque deinde ad turbas, ad defectionem, ad arma ventum esset; qua excusatione vterentur etiam imprudentes, minúsque mali? qui hoc saltem haberent criminis, quod satis ab eo, quem patriæ suæ scirent hostem; cuius timere debuissent sinistra consilia, non cauissent. Maximè si Mars Gallicus non excidisset iuueni Armacano, sed à viro elaboratus esset inter contemplationes illas, quibus nouam à se theologiam diuinitùs hauriri fingeret: neque ignorarent ipsius asseclæ, fuisse vtrumque illud opus eodem fabricatum tempore, eodémque proinde suffusum felle, eodem spiritu animatum. Minùs enim isti causari possent, deceptos se fraudulenta professione, quam vbique Armacanus ingereret suauissimæ charitatis: cùm doctrinam illam nossent inter atrocissima maledicta, furioso inge-

nio conceptam ab eo, qui tum, cùm eam pareret, terræ quadam in augustissimos principes rabie totus æstuâsset. Quid verò, si nouus ille apparatus theologiæ, re nouus non esset? si nihil afferret, nisi recoctas fæces illius doctrinæ, quæ tot nuper in Galliâ procellas, tempestatésque conciuit; quantò esset ementita ista nouitas huic regno periculosior? & quo flagitio eam isti susciperent?

In illâ rerum imagine, quam ad exemplum vltro à me confictam videtis, recognoscite, auditores, quàm grauiter sit in remp. proximo seculo, transfugis illis, ipso novitatis initio, exortúque peccatum: qui si nondum ciuiles motus, nondum inflammatas seditiones patriæque incendia cernebant; videbant certè famosos in reges libellos, satísque docebantur his vnis, quæ doctorum suorum modestia, quæ pietas esset; aut quorsum eorum consilia, nouæque sectæ clandestina & tenebricosa institutio spectaret. Si nullus erat regum amor, respectúsque nullus; admonebantur amore patriæ, reíque communis, ne acciperent satus pessimos doctrinarum, quibus recèns in ipsorum oculis vexata Germania, & miserrimè conflictata fuerat.

Ego certè si incidissem in illa tempora, ita mihi videor compellaturus præcones istos nouitiæ sanctitatis fuisse. Qui vos, aut vnde tandem estis, quibus tantum de religione nostra liceat? Cur nobis de paterna hereditate litem, post tam diuturnam, possessionem, intenditis? Sinite nos iisdem vti religionibus, & sacris iisdem, quæ dum hoc regnum susciperet, Di-
uinis

uinis muneribus ad gratulationem ornatum eſt; dum retinuit, florens ſtetit tandiu, perpetuíſque Dei, beneficiis eſt vſum. Sine vobis Gallia tot iam ætates Chriſtiana fuerat: ſine veſtra theologia reges noſtri, tot ſeculis, Chriſtianiſſimi meritò dicti erant. Hunc iis titulum eripit, qui de ipſorum religione, & doctrinæ, qua Chriſtiani ſunt, ſynceritate dubitat. Chriſtianiſſimi dici non poſſent, ſi non eſſent iure optimo Chriſtiani. Quid ergo noſtram nobis in religione cæcitatem, erroréſque noſtros obiicitis; qui eâdem, quá ipſi, profeſſione, eadem doctrina, ſacramentis iiſdem, cerimoniíſque ſacrorum vtimur? Interim autem dum noſtra vobis ſordet antiquitas, & priſco ac triſtiore cultu religio diſplicet: nouitatis veſtræ delicias, & exquiſitiorem elegantiam, qua demum vt amplectamur, auctoritate obtinebitis; patrum decretis? pontificum oraculis: vos illa configunt. at doctrinam veſtram ne tetigerint quidem; ſit res adhuc in medio poſita; nondum diiudicata, & deciſa ſit: cur pro re ambigua, & incerta, patriam in tam certa pericula coniicitis? Qua verò tam inſigni laude meruiſtis; vt vobis tanta de re crederemus? an arrogantia illa, qua vos vnos ſapere; cæteros tot ſeculorum: tot gentium, tot academiarum, eruditione iuxtà, & ſanctitate præſtantes viros deſipere iudicatis? cum iis nos errare patimini: an effrenata linguæ, ſtylíque petulantia, qua priuatos homines, qua reges, qua pontifices inceſſitis? his myſteriis nos initiari ne cogite. Idoneus erat ſcilicet ille hominum furor,

industriæ præclusus. Inueniant certè, quibus hæc vel libido est, vel indoles: sed ita inueniant noua, vt vetera non perdant: artes à maioribus accepas illustrent solertia sua, non inuidia quadam extinguant: quidquid industria sibi pepererint sua, sit ipsis velut castrense peculium, quod ad patrimonium adiunxerint. Atque vt nouum aliquem mundum excitatis vrbibus, deductis aquis, hortis nemoribúsque consitis, homines condiderunt sic, vt ædificatum à Deo mundum non destruxerint, sed ornarint: ita nouum aliquid in doctrinis creare, eatenus fas esto, vt tanquam inædificatum veterum disciplinarum solo, ad ornamentum iis, & splendorem accedat. Secuentur antiquæ mortalium altrices, à quibus sunt ætates ad hanc diem, gentésque omnes educatæ: ipsæ, si sunt aliquæ minùs illustres, suum apud nos decus ad dignitatem obtineant: neque momenti nullius ducamus eas, quas ad reipublicæ salutem pertinere, regum nostrorum, senatúsque grauissimis iudiciis decretum est.

Parisiensis est præsertim Academię, cùm omnes vetustate superet, doctrinarum antiquitatem tueri; cum fama religionis vbique clara sit, profanam à theologia nouitatem arcere; cùm sit regum nostrorum condita, & amplificata beneficiis, infensam ipsis, eorúmque imperio, nouandæ doctrinæ libertatem compescere. Et facit profectò, tantáque auctoritate facit, quanta illorum exemplo & decretis inest, qui cùm ætate doctrináque præstent, ordinis sui dignitatem sustinent, ac

decretis ineſt, qui cùm ætate doctrináque præſtent, ordinis ſui dignitatem ſuſtinent, ac tuentur omnem. Quam integritatis laudem, eò ſibi diuturniorem deffendet bonarum artium mater, quòd, & ſapientiſſimi quique pro antiquæ doctrinæ tutelâ diligenter excubant, & cæterorum neminem par eſt credere, tam amentem futurum vnquam, vt dum conſpirare cum principibus ſuis ſumma cum laude poteſt, ab iiſdem malit, cum multiplici flagitio, deficere. Is enim (ſi quis huiuſmodi oriretur aliquando) dum & in academiam contumax haberetur, & in religionem ſacrilegus: oſtenderet ſimul, quàm metuendus patriæ ciuis eſſet. Nullum, quippe ingenium eſt reipublicæ perniciosius, quàm eorum, qui vel faſtidio quodam, auctoritatem omnem ſine verecundia ſpernant; vel ſi nouarum rerum auctores ipſi non ſunt, pateant certè corruptelæ, & auctoritati à factioſis, pretióque conductiores auguſtiſſimas duas, religionem, doctrinámque cauponentur. Quid patria, quid communis tranquillitas patiatur, penſi nihil habet hominum illud genus; dum quanta mercede locati ſunt, tantas aut ſcribendo, aut vociferando tragœdias excitent. Perturbanda eſt publica quies, perrumpendæ leges, ſacra violanda, euertendum imperium; vt nouatoris vnius ſomniis quæratur, auctoritas: miſcenda ſunt cuncta tempeſtatibus; modò iiſdem ille ventis ad gloriam prouehatur: tanti eſt perire omnia; dum antiſtitis ſui ſecta noménque vigeat. Hæc factionis omnis indoles, hoc ingenium eſt, auditores: cuius ab importunitate

unitate vt caueamus in posterum, & præteriti temporis calamitates admonent;& faciunt eædem, vt nullo negotio caueamus. Est enim tam recens apud nos memoria fraudum omnium, quibus circumuenire populi religionem perfida nouitas solet, vt iis deludi, nisi volumus, non possimus.

Quem enim facere fucum impostores vlli hac ætate possent? aut quæ verba darent? leue quiddam, & exiguum esse, quod innouatum venirent; hæc postremæ ætatis perduellium primordia fuerunt; eundem exitum iure formidarem, nihil à se nisi religiosum doceri; eadem isti oratione vtebantur; à quibus tamen attentata est deinde per religionis exitium patriæ salus, perinde quasi per parentis vnius latus, alterius vita peteretur: referri à se sanctissimæ antiquitatis vitorem; aliis essemus ludendi præstigiis: explosum est in Lutheri, Caluiniique causa, simulacrum illud inane vetustatis; neque nos fallere larua eadem, aut vanis terroribus commouere posset, quam radere iampridem assueuimus. At quid responderent vicissim iidem; cùm expostularemus de periculis summis, quæ nouitate illa sua non religioni tantùm, sed etiam patriæ conflarent? quid causarentur? nihil se periculi videre? & nostris, & vicinarum gentium exemplis recentibus conuincerentur. Sed non viderent sanè; ignorarent, quam molirentur reipublicæ perniciem; tantum mali imprudentes facerent: taménne minùs coërcendi videntur? aut quis amentem idcirco reprimendum non putet, quòd nullo suo

sce

ſcelere domum incendat? Nulla ſatis tuta res eſt, vbi ſacra periclitantur. Mens eſt reipublicæ religio; immortalem eſſe oportet: fundamentum eſt imperij; concuti ſine ruina non poteſt. Quæ vt regnorum omnium habeantur communia, de noſtro certè id tanqnam proprium ſtatuamus: cùm ſit omnium vetuſtiſſimum, nullum eſſe cui nouitas videatur infeſtior; cùm religione fundatum ſit, ſacram in eo doctrinam, ſine pręſenti ruinæ periculo, mutari non poſſe.

DIXI.

PANY

PANEGYRICVS
INAVGVRATO
REGI CHRISTIANISSIMO
DICTVS.

Ab Hadriano Iordano.

E SOCIETATE IESV.

POstquam est sibi Gallia non ita pridem inaugurationem Regis Christianissimi, tanquam diuinum æternúmque munus gratulata, Auditores Illustrissimi: expectabant summis studiis hūc diem scholæ nostræ, quo die, vbi loqui primùm ex hoc loco publicè liceret, subirent ipsæ quoque in partem communis alacritatis atque immortale beneficium saltem ipsa professione voluntatis, quoquo modo persoluerent. Nam licèt victorias interim viderimus & prosperitates armorum tantas, quantas memoriâ nostrâ nunquam audiuimus; quęcùm pręsentes ferme sint, & hęc tempora occupent adhuc atque incredibiliter exhilarent, viden

videntur orationem ad se omnem quasi iure suo, sensus omnes & cogitationes abripere: non efficiunt eæ tamen, vt obliuisci illius diei possimus, ex quo gloria consequentium deinde temporum, & felicitas vniuersa pendebat. Cùm enim inauguratum semel & vnctum oleo cælesti Ludouicum vidimus: videre simul ipsi expugnandum aliquando Satanacum, liberandum Atrebatum, addicendam quasi famulatui regio victoriam fortunámque bellorum, nisi nimiùm indulgere timori nostro placuit, potuimus. Fuerunt apti ex hac causa pendentésque successus illi rerum: neque ita vicimus, vt casus victoriam adiuuerit; sed quia victoria nobis, addicentibus auspiciis omnibus, debebatur. Desponsa iam tum nobis & destinata felicitas erat, cùm inunctus & consecratus Ludouicus est. Ab his initiis ad hanc famam gloriámque profluximus: quódque cernimus gestum hôc anno prosperè supra spes etiam nostras, hostiúmque metus omnes, id inaugurati Regis fatum erat. Eos itaque imitabimur, qui nuncupaturi vota non in eam cæli partem in qua sol lucet, sed vbi lucis exordium fuit, ora conuertunt: & illa maximè respectabimus tempora, quæ fuere Gallicæ maiestatis incunabula quædam, & splendorem hunc maximum, qui oculos hodie gentium omnium, nostrósque perstringit, primitus afflare visa sunt. Quod eo facio quoque libentiùs, quòd superioribus annis nescio quis venali calamo & intemperantissimâ linguâ inuentus sit, qui, se noctuis vt probaret, vituperare solem ausus est: contendítque ex

celesti Regum nostrorum inunctione, nec vllam in Reges eosdem auctoritatis & præstantiæ partem; nec in imperium Gallicum dignitatis quidquam & felicitatis redundare. Quid homine illo facias, qui se potiùs luminibus orbet, quàm lucem videat? Sed obcæcetur inuidia certè ac frendeat: cæcitas hæc vibrantissimam lucem; dignitatem summam fremitus ille liuórque declarant. Aio igitur ego, inauguratione cælesti, & insignita illa maiestatis nota Regem Galliæ superiorem Regibus omnibus, &, vt verbis vtar illius, cuius ex ore fundere veritas oracula sua consueuit, *totius Christianitatis Regem supremum*: imperium verò Gallicum ceterorum omnium excellentia & felicitate primum constitui. Atque hæc duo paulò fusiùs oratione tota cùm edisseram: non tam mihi timendum esse arbitror, ne vel ambitione quadam gentisque nostræ studio; vel amantiore Regum adulatione peccare videar: quàm, si hæc taceam, aut exiliter ac modicè dicam de diuina in Galliam munificentia, tantisque beneficiis ingratus appeller.

Hoc ergo confidenter affirmo, ita vnctum esse Ludouicum, vt Christus ille sit, qui constitutus à Deo est *Primogenitus, & excelsus præ Regibus terræ*. Vngantur sanè reges ceteri sacro solemnique ritu: Christos eos aut Christianos esse libenter vsque prædicabimus, modò vt Christianissimum Ludouicum excellentia quadam nominis & dignitatis agnoscant. Neque verò vmbram hic modò consectamur nominis inanem & vacuam, vel obla-

tam casu, vel ambitione quæsitam & affectatam vanitate titulorum, vel mendacio & populari assentatione concessam: fundatissimum ius noménque defendo; nec vllum Regum omnium tam eximiè Regem, quàm Ludouicum esse dico: quia nemo certioribus è cælo, illustrioribúsque notis Christus est. Sic enim existimaui semper, parentem maiestatis omnis, & auctoritatis regiæ conciliatricem esse religionem: nec vllum, qui Rex, & maior homine credatur, esse posse, nisi qui libatam è cælo dignitatem quandam ostenderet.

Ceteros inter se mortales spolia fortunæ, vel naturæ dona distingunt: ac perinde vtcumqne aut liberales sunt, aut lentulæ ac restrictæ ambæ illæ humani fati moderatrices: ita vel nobiles magnique homines, vel obscuri & leues existunt. Verùm inuidiam fortuna non fugit: natura in mediocres sæpe homines, quàm in honoratissimos liberalior est: Reges autem & supra inuidiam omnem summi; & sine singularibus illis naturæ muneribus maximi sunt. Non igitur ex his, sed altioribus aliquibus causis supremæ notam repetunt discriménque dignitatis. Est omnino cælestibus diuinisque principiis potestas illa tribuenda, quam vni cum Deo Reges partiuntur;nec aliunde, quàm ex diuino numine, quod vnum Regibus superius est, auctoritas est regia & maiestas accersenda. Videte porro quid iis natura, quid fortuna non conferant. Sedent hominum vitæ ac mortis arbitri: decernunt plenissima potestate qui

vi

uant, qui moriantur. Fortuna, quid his ſimile tibi arrogas? Subiectis vtuntur & famulis iis, qui pares naſcendo, qualéſque viſi ſunt: promptiſſimos vident tot homines, qui ſuâ morte vnam animam redimant. Natura, num dona hæc tua recognoſcis? Iam habent tot enſium millia, tot machinas, tot arma diſtricta, vel recondita ad omnes nutus ſuos: terram armatis militibus, mare claſſibus onerant: inuehunt huic mundo ſerenum pro arbitrio, vel tempeſtatem: caſus vrbium, populorum ſtrages, terrarum demum fata omnia moderantur. Natura, fortuna, nihil hîc niſi veſtra poteſtate ſublimius, nihil non à diuina quadam cauſa profectum aſpicitis.

Miratus ſum ſæpe, Auditores, quid eſſet in vultu Regum oculiſque, quod humano fulgeret auguſtiùs: aut cuius generis maieſtas eſſet illa, quæ ſic aſpectu eblanditur animos ac perterrefacit, quámque, licèt quæramus in aliis, vt omnibus corporis animique dotibus abundantiores ſæpe ſint, non inueniamus. Scilicet maieſtas eſt non à natura inſculpta, ſed arcanis ignotiſque modis à ſupremo illo Rege imagini ſuæ conciliata: non claritas quæpiam, ſplendórque fortunæ: ſed impræſſa in illorum vultu diuinitatis aura quædam, quæ obedientiam vel ab inuitis populis & reuerentiam extorqueat, quæ ſic vtramque fortunam viſa diſpenſet, vti varius ſolis aſpectus, ſeu rubet, ſeu pallet, ſerenitatem orbi terrarum, vel perturbationem cæli portendit.

Quemadmodum igitur Reſpublicas & regna

fundat religio, ſine qua nec auctoritatem leges, nec ſocietas habere ſecuritatem poſſent: ſic Reges eadem ita munit adornátque, vt eos populorum obſequio, & pæne ſeruitute dignos efficiat, Eſt enim ſuperbiſſima res obſequium, quamuis videatur cum vilitate maxima coniunctum: cui præſtetur virum è multis eligit, neque deferri ſe niſi digniſſimo patitur, Per quot, amabo., fabulas, quot mendacia conabantur olim vmbrâ ſe diuinitatis aliquâ obtegere, vt regio digni nomine crederentur? Nunquam idem prodibat in publicum Ægypti Rex Proteus, vt Rex ſemper, & alius ab homine videretur. Minos Cretenſium Rex Iouis, Veneris Æneas, Lycurgus Apollinis, Ægeriæ Nymphæ Numa, Piſiſtratus Palladis: Iunonis Coſingas, Ceruæ candidæ Sertorius, Caligula Caſtoris & Pollucis, Dianæ Nero, Mahumetes Gabrielis ſecreta & familiaria colloquia finxerunt. Deorum ſe filios alij mentiti ſunt: alij, vt eſt impudens omne mendacium, neque ſibi facilè temperat. Dij credi ipſi voluerunt. Ita perſuaſiſſimum omnibus erat, propè à Diis abeſſe Reges, neque ſatis obedientes eſſe populos poſſe, niſi Deus, aut ſimilis aliquis Deo dominaretur.

Faceſſat verò ſplendidis luculentiſque commentis accerſita maieſtas; cedat veris atque auguſtis religionibus inanis & falſa ſuperſtitio Nemini vnquam conſpectiùs, quàm Ludouico regia è cælo maieſtas affuſa eſt: neminem Deus Regem maioribus auſpiciis fecit.

Non hîc dicam, cum ita natum eſſe, vt totus

è cæ

è cælo, & Adeodatus fuerit: neque illum verò aliis oculis aſpicere poſſumus, quàm quibus cæleſtia, vel oblata diuinitus miracula pleni reuerentia intuemur. Tantus enim animo noſtro ſemper occurris, LVDOVICE, quantum infinitæ preces & vota perpetuo diuturnóque efflagitatu mereri potuerunt: quantum Deus ipſe precibus denique noſtris victus lentâ manu &cunctatrice formauit. Non prædicabo, ſummè adlaboràſſe naturam, vt ipſe Regibus omnibus maior eſſet. Quicqu d enim erat in orbe terrarum auguſtiſſimi ac pretioſiſſimi ſanguinis in eum ita transfudit, vt ſuperior Auſtriaco nomine videatur, & Francico maior; quippe qui vtramque gloriam vnus, hoc eſt, tot maieſtatem regnorum atque imperiorum repræſentet. Sed prima hæc & inchoata dignitatis regiæ lineamenta ſunt: adultam ego, plenam, & abſolutam inueſtigo. neque iam quantus ille natus ſit, ſed quantus inauguratione ſacra euaſerit, oſtendo.

Ea eſt à religione Francorum Regibus elaborata maieſtas, quâ nemo Chriſtianorum Regum ante ipſos donatus eſt: ad quam nemo ſe poſt ipſos aliquatenus fingere non deinde tentauit. Solem intueri mihi videor, cuius ex luce aſtra cetera collucent: quíque adeo tantâ vi & vbertate luminis inſtructus eſt, vt quos in cælo ignes accendit, eoſdem nihilominus infinitate lucis obſcuret. Reges Galliæ primos inunxit conſecrauitque religio: hos è Regum turba ſecreuit vnos, queis applicaret numen ſuum penitius, & ſacroſanctam dignita-

tem impertiret. Scilicet eos in exemplum maiestatis ornabat : & ex regio illo fastigio, quod fabricata fuerat, sic admonere ceteros videbatur. Hinc discite, Christiani Reges, quanti esse possitis. Hûc oculos tu quoque, Orbis Christiane; interest enim tuâ, vt Christos pro Regibus habeas. Et verò accesserunt ad pulcherrimum exemplar Principes ceteri: haurire ex hoc fonte aliquos maiestatis radios & exprimere conati sunt; quique antè cõsensu solo populorum vel sublati in clypeos, vel proclamati voce publica, vel ludicro alio ac minimè augusto ritu fiebant censebantúrque Reges, ij iam initiati ceremoniis ac mysteriis nostris, & inũcti Regum nostrorum more diuinam quodammodo maistatem induerunt.

Hispania, vt ames te tuósque Principes supra reliquos extollere, præluximus tibi, & post duo tantùm sæcula hac à nobis emendicata gloria fulgere visa es. Germania, vt efferas te Cæsareæ dignitatis gradu, Cæsarem tibi Carolum Magnum cùm Gallia dedit, docuit tum primùm, quanta consecratis Imperatoribus maiestas accederet. Anglia, vt Christianos Reges iam tum ab Apostolorum ferme temporibus ante reliquas gentes recenseas. Constantinopoli, vt de Constantino te, primóque Imperatore Christiano iactes, quamdiu tamen post Galliam vtraque hoc honore summo, & augustissimæ dignitatis nota caruistis? Gentes, Imperia, Regna cetera fateamini certè necesse est, regalis huius diuinique decoris quasi fundum resedisse primùm apud nos diu solos: hinc autem ad vos citiùs, serius,

riùs, communione quadam atque imitatione, maiestatis tantæ portionem aliquam esse traductam. Portionem dico: licèt enim effuderit se circumquaque splendor ille gloriç, quemadmodum perpetuis radiorum emissionibus se se sol vbique dispergit: præfulget tamen in Galliæ sinu, tanquam in origine sua micantior multò, quàm vlla in gente, &, si fas est ita loqui, diuinior. Imitari Galliam quidem regna omnia, non æquare: sequi, non assequi visa sunt: hauserunt è nostris fontibus maiestatis regiæ quosdam quasi riuulos, fontes ipsos non exhauserunt. Inunguntur hodie & consecrantur Reges & Imperatores Christiani ferme omnes: hoc illi Regibus Francorum debent: inunguntur oleo, sancto illo quidem, sed vulgari tamen, nec è cælo delapso: hoc verò Regibus Francorum vnis debebatur.

Vt Reges suos gens omnis certatim & ambitiosè ad cælum extollat: fieri tamen in terra Reges, & vngi ab hominibus atque consecrari cernuntur. Quid enim, siue nascuntur illi, siue regiç potestatis ornantur insignibus, confert cælum hûc noui & inusitati? Nihil ferme interesse suâ pars illa mundi suprema credit: quicquid pompæ in eam rem & apparatus est: id infimo terrarum ambitu coërcetur. Plaudant homines: populi fremant: explicet se maiestas omnis: vrbes, agri festiuo clamore personent: cælum non respondet, non ridet lætiùs, non vberiùs fulget, non mouetur rapidiùs. Quicquid enim hîc summum putamus, id inferius se videt: quiquid hinc suspicimus; illinc despicitur. Audite igitur,

Principes, Dynastę, Reges, quid inter vos & Ludouicum intersit. Magni huic orbi terrarum estis: magnus etiam cælo Ludouicus est. Reges vos populi gentésque fecerunt: Ludouicum Deus ipse Regem fecit. Qui fuit Adeodatus idem à Deo quoque inunctus est: pars pompæ & consecrationis regiæ maxima visa est è cęlo delabi. Vt ornatu superbissimo spectandam se Gallia præbuerit, plus aliquid & maiestate plenius de cælo comparatum est: magnificentiam omnem & apparationem rerum, spectaculum cæleste superauit. Hæc admirabilia planè sunt, AVDITORES, & eiusmodi, vt fidem nonnullis ipsa prodigij excelsitas ademerit. Sed ademerit sanè. Tam enim magni esse Francorum Reges debuerunt, vt summa ipsorum merita, & celsissima dignitas fidem omnem excederent. Eo vsque crescere maiestatem Christianissimorum Regum oportuit, vt confusa tot miraculis fama laboraret.

Sed quorsum tamen, inquiunt, tam noua, tam insolens, tam sæculis omnibus stupenda consecratio? aut quid habent præ ceteris Galliæ Reges, vt eos tam diligenter Deus curet?

Magnum certè ac propè incredibile ipsorum fatum est, AVDITORES, & cęlesti vnctione dignissimum: eos nimirum Deus æternæ Ecclesiæ defensores æternos singulari prouisione comparauit. Atque hoc quidem dici à me cùm auditis, quæso ne id oratorum more magnificentiùs, quàm diligentiùs & accuratiùs dictum existimetis: verè, exactè ad normam legum, Pontificum decreta, iura fori omnia loquor. Hanc Ecclesiæ tutelam à maioribus

suis

ſuis vnà cum imperio tranſmiſſam Ludouicus, cùm inauguratus eſt, ſuſcepit; tantáque id cautione, vt cùm aliàs regnum inter fratres ex antiquo iure diuideretur, ad omnes tamen in ſolidum ex officio, ex paterni teſtamenti tabulis, ex conuentis Pontificum Regúmque pactionibus patrocinium Eccleſiæ pertineret.

Nauiculam igitur Petri Gubernator Pontifex regit: Deus protegit magnus è cælo defenſor: tuetur Ludouicus patronus ille quidem Deo diſſimillimus, ſed à Deo tamen in tanti muneris ſocietatem aſcitus. Ventos Deus ac turbines huic infeſtos naui quaſi ab alto comprimit: ſedat procellas: tempeſtates ſerenat: cæli efficientiam, affectiones ſiderum, quicquid demum supernum eſt ac cæleſte moderatur & accommodat: quod verò eſt infimum ac terreſtre ita reliquit Ludouico, vt ab eo velit abigi piratas, domari prædones, oras & littora maris omnia tuta & ſecura præſtari. Sic operam & prouinciam partiri cum Ludouico Deus voluit, vt ipſe cælum, ille terras haberet: & quod aſſentatoriè dictum olim atque impiè de Auguſto fuerat, id iam de Francorum Rege ſanctiſſimè iuxtà & veriſſimè pronuntiaretur:

Diuiſum imperium cum Ioue Francus habet.

Quid eſt igitur, obtrectatores imperiti, & ab imperitia veſtra inuidentiáque increduli, cùm cæleſtes in curas, & in diuinam quodammodo ſortem aſſumi Galliarum Regem videatis, dubitare adhuc poteſtis, quin ſingulari quadam fuerit ad, id muneris, & extraordinaria

consecratione factus? Toto eum numine ad venerationem populorum omnium protexit religio, à quo se ad omnium sæculorum reuerentiam singulariter aliquando protegendam intelligebat. Superiorem Regibus eum omnibus fecit, à quo habitura erat, vt victrix semper, & omnium regina gentium foret. Certarant ambo mutuâ operâ, & officiorum vicissitudine: facta est Regum nostrorum custos religio: Reges nostri religionis defensores.

Sed esto, incerta parúmque firma sint quæcumque de diuino Chrismate recitantur: taménne oculorum fides ablegabitur, vt diuina Ludouici consecratio negari possit? Taceant certè annales: prima Christianæ Galliæ tempora obliuione perpetuâ obruantur: Ampullæ sacræ miracula, tanta támque stupenda decora silentio & taciturnitate tecta iaceant:at originem suam ipsa per se se non tenuibus obscurísque vestigiis inauguratio Christianissimi Regis ostendet. Difficile est latere penitus & occultari cælestia: offerunt se perpetuò,obiiciúntque spectantibus;neque sol vnquam tot nebulis obductus est, quin præsentiam suam furtiuâ saltem luce declaret. Quamquam non hîc incertas cælestis potentiæ suspiciones, tenuésque vmbras persequimur: nunquam sua cælum decora liberiùs & apertiùs ostentauit. Vim habent quandam & naturam Reges Galliæ consecrati, ad operandum supra vim naturæ omnem: ius est iis quoddam hereditarium miraculorum, quæ non pietas, non virtus, non sanctitas;sed vna regia dignitas facit.

cit. Sibi Deus olim Vespasianus visus est, & videri etiam aliis voluit, cùm Tyanei nescio cuius præstigiatoris operâ falsum aliquod & inane miraculum mentitus, oculis hominum & animis illusit. Huic propterea tanquam Deo aras & templa deberi, à prophanis gentibus acclamatum est: hunc, vti affectabat videri, tanquam Christum & Messiam suum agnouere Iudæi: hunc modestissimi quique Deorum saltem progeniem & Imperatorem cælestem appellarunt. Ambiit ipse quoque similem diuinitatis famam Hadrianus, neque credi modò, sed etiam cerni Deus præsenti aliquo miraculo voluit. Verùm vt nihil mendacium, adulatio, cupiditas insana gloriæ non audeant, minus est, quod fingere vterque & comminisci potuit, quàm quod verè patrari à Ludouico intuemur. Ingredere igitur, Rex Christianissime, inter ipsas mortis vmbras, in spatia illa, hominibúsne dicam, an cadaueribus referta? hominibus certè putri & cadauerosa facie, neque iam fere inter homines numerandis: hîc te, tuámque originem ostende, fac quod inuidi omnes atque increduli aspiciant, non imitetur natura, terra obstupescat, populi omnes, omnia sæcula venerentur: hîc mortem iam miserorum ossibus ac medullis insidentem contactu salutari, vt Christus alter, expelle. Expulit, Auditores, certissimóque se miraculo probauit: fidem oculis fecit, vt animi peruicaces esse desinerent.

Quid igitur ex his omnibus colligendum puto, Auditores? quod tacitis, credo, cogitationibus vos ipsi dudum colligitis. Si

S 6

prophanos apud populos hîc agerem, Deum esse Ludouicum, cùm autem meliùs nos atque sanctiùs instituti simus, dicamus sanè, quod inuidentissimum quemque dicere necesse est, post Christum Optimum Maximum, primarium Christum, seu Christianissimum esse Ludouicum: radiis eum diuinitatis illustrioribus supra Principes omnes fuisse perfusum: auctoritate nutus, dignitate imperij, regio numine præ ceteris plenissimum videri: *Regum esse Regem*, quemadmodum eum appellauit externus aliquis, rerum alioqui nostrarum non valde studiosus: tantùm eundem ceteris excellere Regibus, vt sanctissimus Pontifex auctoritate omni maior affirmat, quantùm populis ipsi Reges excellunt.

Sileat ergo nunc coaxans illa ex Batauicis paludibus importuna rana, Armacanum dico eum, qui martem primus & classicum in Christianissimos Reges cecinit, ac prolusit in Primogenito Ecclesiæ, vt in parentem ipsam deinde grassaretur, vel cælum certè; si lubet, interroget: Ecclesiam consulat, nisi iam eius fidem incipit habere suspectam: naturam rerum exploret: mortem ipsam percontetur: credat demum oculis suis, nisi eos inuidia penitus & malesanus furor obcæcauit.

Suspicimus enimuero te, Ludouice, te nunc ipso quodammodo superiorem, quem enim antè, cùm primùm egressus es ex hac vrbe, vt regem, atque adeo maiorem homine venerabamur: nunc postquam inunctus rediisti, te regibus omnibus maiorem, ac propè

propè tanquam numen aliquod aſpectabile reueremur. Te verò Gallia, hoc Rege felicem prædicamus. Nec enim tam diſpar eſſe poteſt Regis regnique fortuna, vt cùm Regem nacta ſis Regum omnium primum, non ſis etiam gentium omnium præſtantiâ & dignitate prima. Quæſo erigite animos veſtros, Auditores, diuturnâ iam attentione fortaſſe feſſos, & ea quæ dicenda mihi ſuperſunt, libentibus, vt feciſtis adhuc, animis accipite.

In quo igitur excellentia huius imperij & felicitas reponenda eſt? in eo nimirum, quod vnicuique obuium eſt, quod patet omnibus, quod exteri, quod domeſtici, quod vicinæ, quod longinquæ nationes admirantur. Religionis atque imperij formam hactenus eandem retinuit Gallia;& retinebit, niſi mea me coniectura fallit, ſæculorum ætatibus ſempiternis. Hoc autem, quod tam eius proprium eſt: quod ipſi principatum ceterarum gentium tribuit, Regibus ſuis, & inunctis oleo cęleſti Regibus deberi contendo.

Fatum regnorum idem, quod hominum eſſe video, Auditores, vt & ſuis vexentur morbis, quorum vi medio ſæpe in curſu ad occaſum præcipitent: &, quamuis omnis abeſſet ægritudo, diuturnitate nimia quaſi feſſa, & longa confecta ſenectute intereant. Nullum enim hactenus tam ſtabilitum firmiter atque fundatum vidimus quod vetuſtati non ceſſerit: nullum tanta curâ, tanta legum cautione ſeruatum, quod remediis, vt

ita loquar, non laborauerit suis, ac proprio
oppressum pondere, sibi non incubuerit. Tamen
senectuti Galliæ instaurandæ, sanandisq;
que morbis omnibus immortalitatis quoddã
germen prouisum est, quo dum vtetur, vtetur
autem semper, tandiu incolumis, inuicta,
integra, beata permanebit.

Certè senectutis terminos omnes prætergressam
iam esse Franciam, ac, nisi miraculo
staret, iamdiu interituram fuisse, tot circum
vndique regnorum ruinæ, tot gentium occasus
satis supérque commonstrant. Circumspice
te, Gallia, statúmque tuum, quid circumquaque
mutatum sit te immotâ: quam retinueris
adhuc stabilitatem rerum & constantiam,
ceteris prope te cadentibus, contemplare.
Noua pæne omnia, vel certè non antiquissima;
tuum vnius statum firmissimum
vetustissimúmque deprehendes. Quocumque
terrarum incidunt oculi, vbique vel religionis
integritas, vel imperij forma, vel vtrumque
aliquando defecit, interim dum stetisti tuĩ
similis, ac decus vtrumque purum illibatúmque
seruasti.

Inquirant conuersionum eiusmodi ac vicissitudinum
causas alij: stantis ego inter tot
casus Galliæ causam inuestigo. Quid enim,
an sumus nos Galli, propositi vsqueadeo tenaces,
vt quod probauimus, aut amplexi fuimus
semel, id improbemus deinde nunqnam,
aut abiiciamus? Atqui audimus, & fortasse
sumus nouitatis supra omnes populos amantes,
támque delicati ac superbi fastidij, vt vestigio
eodem consistere non possimus diu, neque
for

forsan velimus. Vtrùm autem hæc naturæ mutabilitas & inconstantia labes reuera sit nostræ gentis, & digna: quemadmodum esse solet;exterarum gentium irrisionibus ; an potiùs laudabilis ad omnia naturalis opportunitas, & dexteritas ingenij corporisque singularis, non iam discutio. Id quæro, cur Franci tam aliorum iudicio leues, in tuendo relegionis & imperij statu constantissimi visi sint: dum illi, qui constantissimi sibi videbantur, fuerunt in hac parte leues?

Debet profectò,debet hanc Regibus suis Gallia fortunam,quorum ad imaginem ipsa se æmulatione quadam virtutis & opsequij ambitionè finxit:Reges verò inaugurationi cælesti, vt Christianissimi sint,æterni defensores Ecclesiæ, Reges sempiterni. Cui enim causæ alteri diuturnitatem adscribamus illam imperij, quæ regnorum fere omnium, quotquot ex omni mem ria fuerunt, vicit ætatem? in tanta præsertim rerum nouarum appetitione, quã titillari præ ceteris maximè creditur: inter tot hæresum fœdissimos anhelitus, quibus sæpe sic afflata Gallia est, vt labefactari maximâ sui parte, & corrumpi sit visa: inter continuos bellorum fluctus, ciuilium, externorum, terrestrium, maritimorum, omne genus, quibus nihil confectum aliud est, quàm vt intelligerent omnes, Galliam tot vulneribus superstitem interire non posse.

Atque interesse id certè hos inter Reges,qui à Deo, & qui ab hominibus facti sunt,debuit, vt hi vel ruant aliquando cum imperiis, vel super eos ipsum imperium ruat: illi verò suis

è

è vulneribus quodammodo ſaniores exiſtant, & beatiſſima perennitate perfruantur. Audite porro, quàm non id vanus coniector affirmem.

Iacebat, AVDITORES, ſub Carolo ſeptimo turbulentiſſimorum temporum naufragio propè demerſa Gallia; neque iam aliud hoſtes pariter & Franci expectabant, quàm vt propediem funus integrum efferretur. Quicquid Gallicæ nunc ditionis eſt, id pæne totum Anglicum factum fuerat: exiguum autem illud, quod reſiduum fecerat iniquitas temporum, tam infirmum támque incertum erat, vt minari caſum ſepeliendo Galliæ cadaueri videretur. Fortuna tum Galliæ ac Palladium in manibus Anglorum erat; quo ſemel erepto quis eam miretur ſuam deinde in ruinam tam miſerabiliter & exitium incubuiſſe? Remos, inquam, tenebat Anglus: Remós, vbi depoſitum illud cæleſte, ſpéſque vltima rerum noſtrarum aſſeruabatur. Regem interim admonet Aurelianenſis Puella, mulier altiſſimè conſulta, & fatorum noſtrorum apprimè intelligens, Remos eat, inungatur oleo cæleſti, ſpem hinc melioris fortunæ certiſſimam expectandam. Sed quomodo? quáve? deſperata profectò ſpes oſtenditur. Obſident iter Angli: arces, vrbes, quicquid occurrit in via, hoſtile eſt, atque vt omnia hæc impedimenta perrumpantur, Remi ſuperſunt, quàm valida, & quanto Anglorum præſidio munita ciuitas? I porro, Rex Chriſtianiſſime, hoc tibi, tuíſque cæleſte munus addictum eſt. Seruatur tibi, ac te demum, Galliámque

liámque seruabit. Non impediet hostis:portas recludet ciuitas:fugiet Anglus: fugiens sacrum hoc Palladium secum non auferet: inungêris: inunctus Galliam tuam fato suo restitues, & ea demum pro eius salute facies, quæ nulla posteritas sileat. Si hæc aliquis, antequam facta sunt, ita prędixisset,quis fidem putasset adhibendam? quandoquidem, cùm hæc audimus facta, vix credimus. Inunctione Regis sui sanata est Gallia: conquierunt illi turbines, qui minari naufragium imperij videbantur, perinde vt aiunt, maris procellas omnes ac tempestates oleo iniecto placari.

Sed quid vetera illa monumenta consulimus? præsentissimum est, & defixum adhuc in oculis omnium, quid pro salute huius regni & gloria, Ludouici cælestis inauguratio potuerit. Quæ dicam vobis sunt omnibus, quàm mihi notiora: dicam tamen; cùm iucundissimis in rebus, vt ait Orator, excitare animos nō tantùm cognitio rerum, sed etiam recordatio soleat.

Tenebatur obsessum nuper Atrebatum, AVDITORES, eo exercitu, quo florentiorem nullum, & conquisitum superbiùs Belgium vnquam in campum & expeditionem eduxit. non duce vno, sed iis simul omnibus, quo subministrare Belgium, Germania, Hspania, Lotharingia potuerunt. Tacui te consultò, mea Gallia, vt dolori tuo parcerem: quanquam præcipuum fortè ducem, certè maximè nobis formidandum dederis: eo porro apparatu, eáque conspiratione, vt in fossas conuolâsse Belgium totum cum vrbibus pagísque suis crederes: ea demum spe victoriæ confidentiáque,

vt

vt iam triumphus redituris ducibus appararetur. Neque verò temeraria hæc fiducia circumſpectis & intelligentibus hominibus videbatur: nos ipſi, quanquam dabat animos Francorum Rex nunquam ferme ſine miraculo conſecratus, plus tamen quàm timére in his anguſtiis potuimus. Diſtractus enim aliò exercitus noſter, & in expugnando Satanaco detentus otium liberrimum & facultatem obrulerat ſuſcipiendæ obſidionis, itáque perficiendæ, vt eam foſſarum non vnus, ſed multiplex ductus, aggerum & vallorum altitudo, ſtationum excurrentium & propugnaculorum frequentia, diſſectum inſuper puteis paſſim & voraginibus vallum præſtare tutam pæne ſine armis & cuſtodibus viderentur. Hûc adde, neſcio quamobrem extractos, & aliorſum eductos vrbis milites præſidium infirmum reliquiſſe, & tantæ támque amplæ tuendæ vrbi penitus impar: ciues vrbis plus fortaſſe obſidentibus hoſtibus, quàm amicis nobis fauentes: incerta denique intus extráque ac timida omnia. Expectabant interim ſuſpenſis & ſollicitis animis expeditionis tantæ gentes omnes: plaudebat iam ſibi Belgium: Hiſpania triumphos ſuos agebat: ſperabat forſan Anglia: Germania non occultè gaudebat: vaticinabatur Italia more ſuo: vna Gallia ſuæ proxima infamiæ riſum omnibus debere credebatur. Tamen reſpirate, Galli: inauguratum habetis Ludouicum. Hoſtes vel ſic ſecuri timere diſcite: hauſit è cælo virtutem Ludouicus. Accipe igitur gladium, LVDOVICE, (iuuat enim ea nunc vſurpare verba, quibus te ſacer Aliptes compellabat) *Accipe,*
in

inquã, *gladium cum Dei benedictione tibi collatum, in quo per virtutem sancti Spiritus resistere, & eiicere omnes inimicos tuos valeas.* Accepit, AVDITORES: venit ſuo illo fato plenus: ipſo virtutis miraculo vicit. O fatum! ô virtutem! ô miraculum gentium omnium ſtupore digniſſimum!

Sed erit tamen fortaſſe non leuiter credulus aliquis, qui rem malit ordinariis cauſis, quàm extraordinariæ virtuti tribuere. Duces, inquiet, habuimus ſcientiſſimos militiæ & acerrimos; militem inſuper Gallum, hoc eſt, ad primos ſemper impetus inuictum & inſuperabilem, quíque ſortiri, non conſiderare pericula ſolet. Quorſum igitur è cælo euocare cauſam victoriæ, dum ſe germana palam & perſpicuè oculis noſtris inculcat? Deinde quot virtutes ſe immeritò, ab huius victoriæ laude querentur excluſas, ſi eam conſecrati Regis fortunæ totam adſcribamus? Nihil ergo feci, contendet prudentia, dum locum tempúſque commodum elegi, dum ordinaui exercitum, diuiſi copias, iuſſa & imperia diſpenſaui. Vt occuparem hoſtem, tenebris & nocte impetum belli protexi: vt diſtraherem, tribus locis in vallum irrupi vt diſtinerem & eluderem, falſos alicubi & inanes aſſultus ſimulaui: vt noſtri per tot ſcrobes ſecuri ingrederentur, militem cum faſciulis & ligonibus, carpenta cum cratibus, complendis foſſis præmiſi. Quid ipſa, nihil aggreſſa ſum, inquiet fortitudo? victoria, credo, ferianti mihi & otioſæ oblata eſt; tranſcendi aggeres, perrupi, pugnaui, expuli, vici. Quid ergo ſupereſt, diuina Regis inaugurati virtus, quod feceris?

Non

quàm timere hoſtes potuerunt. Aderat ſcilicet primo in agmine, primiſque irrumpentium ordinibus inuncti Ludouici fortuna: hîc duces, vt auderent, ſtimulabat: illic aſpirabat militum virtuti, vt maiores hominibus viderentur: eadem præſtringebat oculos hoſtium vanis imaginibus, vt tuta omnia timerent: exin ventos ciebat tempeſtatéſque, vt elementa omnia Ludouici gloriæ, Galliæ ſaluti militarent. Nec enim dubitandum videtur, quin res ita contigerit; quando quidem fuiſſe videmus, quod fieri minimè poſſe credebamus.

Agnoſce igitur, Gallia, ſortem tuam: habes in conſecratione Regum tuorum clypeum, enſem propugnaculum, Palladium, fortunam tuam. Ab iiſdem habes, vt victrix ſemper futura ſis, & victrix tui: nullum enim hoſtem timere magis, quàm te debes. Ab iiſdem eſt, quòd Chriſtianiſſima ſis, quòd Eccleſiæ patrona, & ſeruatrix, *ſagitta Chriſti, religionis propugnaculum* à ſummis Pontificibus dicta ſis: & quia defenſores æternos æterna Eccleſia poſtulat, indidem habes, vt æterna ſis.

Itaque ſi Galliæ fatum, AVDITORES, quemadmodum Aſtrologi ex ſiderum inſpectione ſolent, ponere ipſe velim: ortum habuiſſe dicam ſub aquario cæleſti (cæleſtem Ampullam intelligo (cuius ſacris & ſempiternis imbribus irrigata lilia æternitati ſoboleſcent. Neque porro id leuiculè, & ex Aſtrologiæ vanitate prolatum exiſtimate: magnus ipſe vates Remigius Apoſtolus Galliarum in eo teſtamento, quod periti ſſimis olim viris probatum eſt, cuius apices omnes totidem huius regni fata ſunt, conſigna-

tum

um reliquit, *regia maiestatis culmen* (huius verba sunt)*perpetuò in Gallia regnaturum.*

E cælo igitur, quo die sacrum oleum inde stillatum est, nostras simul in terras fortuna conuolauit, in quibus denique veriùs quàm olim de Roma dictum est, auulsis sibi alis, ne transuolet, sedes æternas fixit, neque minùs annuere Rex superûm & dicere visus est:

Vobis nec metas rerum, nec tempora pono.

Agnoscimus itaque, LVDOVICE, beneficium immortale: quodcumque est, quòd salui, quòd florentes, quòd Christiani sumus, quo sanè maius esse nihil potest, tuum esse agnoscimus. Reges alios sua regna Magnos, Felices, Augustos reddunt: imperium tu tuum Magnum, Felix, inuictum efficis. Quæ ferebatur aliàs in Imperatorum comitatu Felicitas, aurea illa quidem, sed sine numine: spirat nunc eadem non in comitatu, sed in vultu tuo; ac præsentissimo numine fata Gallicæ gentis omnia elaborat. Debemus iam tibi, quòd misero & fatali bello liberati sumus, quod conceptum in ipso Galliæ sinu sua ipsius crudelissimè viscera lacerabat. Sed hoc fecisti nondum inauguratus. Plenissimam nunc propè iure nostro felicitatem repetimus; vt quanto sunt dignitate tibi Reges ceteri minores, tantùm concedere se Galliæ tuæ felicitati regna cetera fateantur.

HADRI

HADRIANI IORDANI

E SOCIETATE IESV

DE RATIONE COMPRIMENDÆ DOCTRINARVM NOVITATIS.

ORATIO.

Homines idem omnes ac rectè sentire qui cuperet, Viri Illustrissimi, & altercationes è consiliis, è foro iurgia, contentiones è scholis clamorésque tolli : is mihi neque satis, quid humana conditio ferat intelligere, & in priorum cognitione temporum parum versatus esse videretur. Quemadmodum enim sic homini homo similis est, vix vt tamen simillimi duo sint; ita quorum est animus idem, nec dissimilis ratio sentiendi, rarò accidit eosdem prorsus habere sensus; qui si rebus in minimis, aut certè non grauissimis dissideant, tolerari etiam inter amicissimos solent, neque motus illi dissentientium animorum, ardorem vltra verborum, & vocis contentionem aliquam efferuntur. Verùm cùm res paulò maiores aguntur, disceptatúrque ius publicum, quod omnium aut multorum interest, tum longè inflamma

flammatiora dissidia sunt, neque se modò clamores intra, vocésque vibrantiores coërcent, sed turbas factionésque concitant eas quæ conceptæ in patriæ sinu, discerpant eum deinde, ac miserum in modum conuellant.

Quòd si homines ita nati sumus, vt consentiamus in paucis, in pluribus dissentiamus: quid cauendum magis est, quàm vt minimo detrimento sit illa naturæ nostræ necessitas, itâque versentur æstus illi animorum in rebus minimè periculosis, vt à grauioribus penitus arceantur? Patentissimus, mihi credite, dissentiendi campus relinquetur, dum his etiam cancellis ac limitibus circumdabitur: nec errare omnino & offendere prohibetur, qui errare amat, & extra sensum opinionémque communem vagari. Sol tibi fortasse, qualem hactenus philosophi nobis astrologíque finxere, non placet: nouum, non repugnabo nisi leuiter, ac minimè iratus, sáxeum, gemmeum, flammeum, cuiusque modi formæ ac naturæ confinge; modò vt similibus in rebus contineat se libido secùs sentiendi, certámque disciplinam patiatur. Audiunt te vni scholæ tuæ parietes: quid intus clames, verbisque iurgeris, aut nescit Respublica, aut scire dissimulat.

Sed cùm sublimioribus in rebus grassabere de quibus quid sentiant, loquantúrque singuli, refert omnium: cùm vetera religionis dogmata multorum iam consensu fixa & fundata sæculorum subruis, aut velle videris

sub

subruere ; vt solus absque secta & factione disputes, id tamen iustissimâ reprehensione minimè careat. Quòd enim castra tua deserta & incomitatà frigent, neque turbas, quas timebamus, commouisti : vel felicitati Reipublicę tribuendum est, quę ciues alit pacificos concordésque, nec ad auras nouitatum facilè mobiles, vel ingenij atque industriæ tenuitati, qui probare te multis non potueris: voluntas quidem certè turbandi, ducendíque numerosam familiam deesse non potuit. Nec enim pulchellum illum ingenij tui fœtum tam parum amabas, vt placere nolles aliis; nec eo consilio exponebas publico, vt ab omnibus rediretur.

Resistendum igitur est, Auditores, virorum huiusmodi perniciosissimis conatibus, ne nocere paci & concordiæ publicæ, si possint, velint ; vel, si maximè velint, possint. Id autem quî obtinere possit, etsi cuncta ferme sæcula ad eam nos experientiam excitent, nondum tamen video sic certum apud omnes & constitutum, aliis vt aliud non placeat, cúmque velint vniuersi compressa quàm fieri poteri efficacissimè semina discordiarum, de ratione nihilominus comprimendi, multi sæpe inter se disceptent. Exponam ego nunc, quid supra ea re intelligentissimi viri diuersè sentiant, discussísque deinde ac ponderatis rationibus omnium, quid tutissimum sit, vsúque optimum, vestrum erit, Auditores, arbitrari.

Ac primò quidem, cùm sectæ alicuius nouitas incipit eblandiri animos, pacémque

communem turbare, sic opinantur nonnulli, operæ plus in ea toleranda, quàm impugnanda debere poni: augeri conflictu ipso confirmarique, si negligitur omnino, ruere sensim molitionem illam omnem, eodémque impetu, quo primùm venerat, ad finem exitúmque præcipitare. Sunt enim hæ sectæ torrentibus similes, quibus quicquid opponas, vim eorum æstúmque minimè refrænes; sed tumentiorem potiùs obicibus ipsis ac violentiorem reddas. At rapiditatem illam effrænem, quam impedire non potes, si naturę suæ cursuíque reliqueris, videbis suo ipsius impetu frangi statim, itáque restagnationes omnes exarescere, vt ne vestigia quidem aquarum vlla breuissimo pòst tempore supersint. Qamdiu errori se nemo palam obiicit, pusillum se infirmúmque, nec fermè dignum aduersario reputat: & hac tenuitatis suæ conscientiâ, & aliorum silentio quàm facilè, tam efficaciter opprimitur. Verùm vbi maior & instructior apparatus est; & famam conciliat errori, in quem operâ tam impeditâ pugnatur, & propugnantibus addit animos, qui tueri rem difficilem, labentémque sustinere causam, ingenij putant esse solertiæque singularis. Ita, inquiunt, contentione huiusmodi non extinguuntur studia partium, sed quasi flabello quodam excitantur, quemadmodum gliscunt incendia ventis flantibus aduersis, quæ silenti tranquillóque cælo sponte & omnino cessarent.

Quamuis hæc probabilitate, cùm ita proponuntur, minimè careant, inuentique nonnulli

sint

nulli ſint meliorum alioqui ſtudioſi partium, qui hac ſpecie rationis inducti, omnibus erroris machinis altum obſtinatúmque ſilentium opponi voluerint, vt negligi ſe, nec vllo modo timeri ſentiat: tamen cùm examinantur accuratiùs, adhibemúſque memoriam & experientiam præteritorum, ſic geri rem ſuperbiùs & glorioſiùs, quàm tutiùs vtiliúſque deprehendimus. Nec enim eſt tam verecundus támque moderatus error, vt deſpondeat animum, deſperétque placere ſe poſſe pluribus, quia carere aduerſario ſe videt, & à paucis contemni. Imò, vt ſuperbus ſemper eſt, ſibíque præfidens, exultabit, eò ferociùs, quòd congredi nemo audebit, dabitque ſe probandum multitudini vel eò maximè, quod à nemine improbabitur. Quid enim ſpeciem & opinionem habere bonitatis maiorem poteſt, quàm quod ita probant laudántque multi, vt reprehendat nemo; ſic in libris palam & apertè defendunt, vt nemo contrà, niſi clàm & obſcurè muſſitet? Dabit ſe vulgus his opinionibus tutum prope ac ſecurum, neque ſuſpicari vnquam de prauitate poterit, dum iactari tanto conſenſu, reclamante nemine, videbuntur.

Et verò quis vnquam error docente nullo ac refutante penitus euanuit, niſi fortaſſe eam alienus erat à iudicio & ratione communi, vt ſola rei expoſitio, confutatio quædam aperta videretur? Cuius vnquam nouatoris arma ſic è manibus delapſa cecidiſſe audiuimus, vt auferri ante vi, & extorqueri

non debuerint ; Nacta est religionis ætas omnis hostes suos, sed victum eorum se nemo ante pugnam confessus est ; neque legimus vspiam, postquam ex isto grege nonnullus turbas & tumultus excitauit, eum quieuisse deinde aduersante nemine, quemadmodum ventos videmus, postquam agitarunt aliquandiu maria, repente & absque certa causa concidere.

Intelligite enim, quæso, AVDITORES, quot adiutus præsidiis serpat apud populos error omnis, quámque magnis & subitis progressibus, nisi maturè consultum fuerit, propagetur. Nam factionis omnis & nouitatis infirma & timida principia sunt; ac, ne oppugnetur eo tempore, quo vinci facilè potest, latentia & obscura, paucisque maxima secreti cautione commissa. Quòd si nemo nascentem & prodeuntem timidiùs qui reprimat, inueniatur; tum statim se dissipat incrementis propè fallentibus, ac longè latéque diffundit.

Primò enim quantum habet ad inuitandos populorum animos illecebrarum ipsa nouitas: *cunctarum*, inquit poëta, *nouitas gratissima rerum*. Siue id ex innata leuitate animorum proficiscitur, qui mouent perpetuò se, & ex aliis in alia quasi desultorij commeant; siue ex delicato eorumdem superbóque fastidio nunquam eadem diutissimè comprobantium; siue ex desiderio sciendi, & infinita quadam curiositate, quæ videre nihil malit, quàm quod nunquam vidit, nihil magis, quàm quod non habet, habere appetat.

petat. Sic mentis noſtræ paſcit vitia nouitas, neque virtutibus eiuſdem aduerſatur. Miramur monſtra, licèt monſtra ſint, ſuiſque vitiis ac deformatibus vnis inſignia: ad ea videnda magnus fit ex omni parte concurſus, quia noua ſunt, nec frequenter errare natura conſueuit. Quoties apparet primùm, cælóque decurrere cometa nouus incipit, licèt ex funeſtis ignibus, & ex aëris intemperie turbida concietus totus ſit, nemo tamen vultum illûc non erigit, nemo nouum hoc ſpectrum & idolum ſyderis non otioſiſſimè contemplatur. Notatur color ignium, magnitudo, & figura deſcribitur, indagatur altitudo, motus, errores, mutationes, viciſſitudines diligenter obſeruantur. Omittitur interim reliquorum contemplatio ſyderum, quia faces illæ inextinctæ ac ſempiternæ ſunt, & eodem tenore lucis, eâdem ſemper æquabilitate mouentur. Ad nouum & erraticum ignem, falſúmque ſydus, quia recens eſt, nec ſæpe viſum, oculi omnium animique conuertuntur.

Qualis cometes in cælo, talis in religione nouitas & error exiſtit. Vbi monſtrum aliquod huiuſmodi prodit, erumpitque ſuis è tenebris, & fallaci ac maligna luce fulgere incipit, tum incredibili quadam auiditate, populorum animi, tanquam ad nouum aliquod & inauditum ſpectaculum commouentur. Fit illud in ſcholis continuò argumentum diſputationum, in congreſſibus ſermonum materia, vbique deliciæ circulorum. Periti de doctrinarum hoc genere, quaſi pro

habere figmenta illa opinionum, & captandæ multitudini aptissimum. Soluunt enim humana ingenia durissimâ obedientiâ & seruitute, cui nos Christiana religio subiicit, & ea quæ videntur altioris difficiliorisque fidei, tanquam iuga oppressæ rationis excutiunt. Hoc verò quantùm ingenij nostri naturæ ac libidini gratificetur, quis non videt? cùm alienæ authoritati tam ægrè subiiciatur, quàm sponte iuris proprij fit, & ratiocinationibus suis acquiescat.

Præterea speciem pre se fert omnis ferme nouitas, vt inuenentur probi, restrictę virtutis, ac seueræ morum emendatricis; simúlque, ne vulgus hac tristissimâ laruâ offendatur, solutius habet aliquid & liberius, quod molliori vitæ blandiatur. Ita constringit ex vtráque parte, comprehenditque dissimillima ingenia, & in vtrumuis inclines, tuo se gustui bellissimè, accommodat. Tribus his popularitatis generibus error omnis nititur, dicique non potest, quantum habeant ad alliciendos concitandósque populos virium.

Iam illi ipsi nouitatis authores, quantùm eam adiuuant? Ingenio plerique omnes acri sunt, quod adusta quædam bilis inflammat, acuit superbia & amor excellentiæ, labor vehemensque studium obfirmat. Hac autem indole ingenióque qui sunt, mirari se suáque solent, & impensè iactare; quæcumque senserint aut cogitauerint, tenacissimè credere, credique ab omnibus tanquam ex oraculo dicta velle: secùs quique sentiant, iis nihil esse vilius, imperitius, prophanius affir-

mare. Quô fit, vt ductum impetúmque sequatur multitudo simplicior, vel quia persuadetur ipsi facilè, quod affirmatissimè & absque vlla dubitatione profertur; vel quia mercedem magnam ducit, laudari ab iis hominibus, qui ceteros vituperant superbissimè, de suis verò sectatoribus honorificè semper prædicant.

Iam vbi aliquos ira coniunxit & consociauit vel ingenij praui & distorti similitudo, vel eadem nouarum ambitio partium, quanto quisque priuatim studio, quantâ simul omnes conspiratione nouum opus promoueant, quid me attinet dicere? Nemo est qui symbolam non afferat, aut operam desiderari suam patiatur.

Præsidet ceteris vel author ipse nouitatis, vel quisquis ingenio & eruditione præstantior est. Hunc instar oraculi omnes habent, nihil vident nisi eius oculis, decernunt omnia eiusdem sensu iudicióque, omnia ipsius ore loquuntur. Iam secum habebit impigros operis adiutores, qui versentur ea in arte singuli, quam excolunt. Libros hic sensu sæpe alieno, & doctrinâ non suâ plenos euulgabit; scurrilem ille poëtam, & mordacem ioculatorem aget. Afferet alius non stylum, quo per ignorantiam nocere non potest, sed suauitatem compositi vultus, & emendatam quandam imaginem honestatis, quæ insinuet se in hominum animos, eósque communi causæ adiungat. Alius petulantiam oris & vecordiam: nam vecordia, & temeritas inconsulta sæpe vincunt, vbi prudentia & ratio consideratior ne pugnare quidem auderent. Postremò, ne bellorum pugnarúmque

omnium

omnium neruus desideretur, opulenti quique machinam auream ad peruincendos animos efficacissimam submiuistrant.

Quò porro tam vario satellitio stipatus error, politculi sermonis comptus elegantiis, specie quâdam & simulatione virtutis obtectus, dicacium hominum salibus & facetiis omnibus exhilaratus, furiosorum & audacissimè mentientium calumniis adiutus, diuitum opibus & potentiis instructus; quò, inquam, tam diuerso illecebrarum genere abundans peruadere tandem non possit? Nullus est locus tam clausus, tamque diligenti custodiâ munitus, in quem aditum, qualicumque modo, non reperiat: nulla tam pacifica domus, quam dissensionibus opinionum, & intestinis discordiis non turbet, aut turbare certè conetur.

Nolite, quæso, AVDITORES, ad ea quæ geri quotidie fortasse cernitis; ita reflectere animos, vt ex vno oculorum testimonio fidem huic orationi meæ tribuatis: non designo nostra tempora, sed ingenium erroris & naturam, quæ omnium est temporum, aperio.

His olim adiumentis, & simili planè comitatu hæresis Ariana manauit in vulgus tam subitis progressionibus, vt oras orbis terrarum vltimas vix nata cõplecti visa sit. Arius superbiâ, quàm eruditione instructior, in superiores contumax, blandus in alios, non sponte quidem suâ, sed inductione quâdam animi, vt approbaret se pluribus: cetera, contemptor omnium, sui suarúmque rerum perpetuus admirator, ducem se gregis faciebat. Ex huius vnius ore

flammatiora dissidia sunt, neque se modò clamores intra, vocésque vibrantiores coërcent, sed turbas factionésque concitant eas quæ conceptæ in patriæ sinu, discerpant eum deinde, ac miserum in modum conuellant.

Quòd si homines ita nati sumus, vt consentiamus in paucis, in pluribus dissentiamus: quid cauendùm magis est, quàm vt minimo detrimento sit illa naturæ nostræ necessitas, itâque versentur æstus illi animorum in rebus minimè periculosis, vt à grauioribus penitus arceantur? Patentissimus, mihi credite, dissentiendi campus relinquetur, dum his etiam cancellis ac limitibus circumdabitur: nec errare omnino & offendere prohibetur, qui errare amat, & extra sensum opinionémque communem vagari. Sol tibi fortasse, qualem hactenus philosophi nobis astrologíque finxere, non placet: nouum, non repugnabo nisi leuiter, ac minimè iratus, sáxeum, gemmeum, flammeum, cuiusque modi formæ ac naturæ confinge; modò vt similibus in rebus contineat se libido secùs sentiendi, certámque disciplinam patiatur. Audiunt te vni scholæ tuæ parietes: quid intus clames, verbisque iurgeris, aut nescit Respublica, aut scire dissimulat.

Sed cùm sublimioribus in rebus grassabere de quibus quid sentiant, loquantúrque singuli, refert omnium: cùm vetera religionis, dogmata multorum iam consensu fixa & fundata sæculorum subruis, aut velle videris

sub

ſubruere ; vt ſolus abſque ſecta & factione diſputes, id tamen iuſtiſſimâ reprehenſione minimè careat. Quòd enim caſtra tua deſerta & incomitatâ frigent, neque turbas, quas timebamus, commouiſti : vel felicitati Reipublicę tribuendum eſt, quę ciues alit pacificos concordéſque, nec ad auras nouitatum facilè mobiles, vel ingenij atque induſtriæ tenuitati, qui probare te multis non potueris: voluntas quidem certè turbandi, ducendíque numeroſam familiam deeſſe non potuit. Nec enim pulchellum illum ingenij tui fœtum tam parum amabas, vt placere nolles aliis; nec eo conſilio exponebas publico, vt ab omnibus rediretur.

Reſiſtendum igitur eſt, Auditores, virorum huiuſmodi pernicioſiſſimis conatibus, ne nocere paci & concordiæ publicæ, ſi poſſint, velint ; vel, ſi maximè velint, poſſint. Id autem quî obtinere poſſit, etſi cuncta ferme ſæcula ad eam nos experientiam excitent, nondum tamen video ſic certum apud omnes & conſtitutum, aliis vt aliud non placeat, cúmque velint vniuerſi compreſſa quàm fieri poteri efficaciſſimè ſemina diſcordiarum, de ratione nihilominus comprimendi, multi ſæpe inter ſe diſceptent. Exponam ego nunc, quid ſupra ea re intelligentiſſimi viri diuerſè ſentiant, diſcuſſíſque deinde ac ponderatis rationibus omnium, quid tutiſſimum ſit, vſúque optimum, veſtrum erit, Auditores, arbitrari.

Ac primò quidem, cùm ſectæ alicuius nouitas incipit eblandiri animos, pacémque

communem turbare, sic opinantur nonnulli, operæ plus in ea toleranda, quàm impugnanda debere poni: augeri conflictu ipso confirmarique, si negligitur omnino, ruere sensim molitionem illam omnem, eodémque impetu, quo primùm venerat, ad finem exitúmque præcipitare. Sunt enim hæ sectæ torrentibus similes, quibus quicquid opponas, vim eorum æstúmque minimè refrænes; sed tumentiorem potiùs obicibus ipsis ac violentiorem reddas. At rapiditatem illam effrænem, quam impedire non potes, si naturę suæ cursuíque reliqueris, videbis suo ipsius impetu frangi statim, itáque restagnationes omnes exarescere, vt ne vestigia quidem aquarum vlla breuissimo pòst tempore supersint Qamdiu errori se nemo palam obiicit, pusillum se infirmúmque, nec fermè dignum aduersario reputat: & hac tenuitatis suæ conscientiâ, & aliorum silentio quàm facilè, tam efficaciter opprimitur. Verùm vbi maior & instructior apparatus est; & famam conciliat errori, in quem operâ tam impeditâ pugnatur, & propugnantibus addit animos, qui tueri rem difficilem, labentémque sustinere causam, ingenij putant esse solertiæque singularis. Ita, inquiunt, contentione huiusmodi non extinguuntur studia partium, sed quasi flabello quodam excitantur, quemadmodum gliscunt incendia ventis flantibus aduersis, quæ silenti tranquillóque cælo sponte & omnino cessarent.

Quamuis hæc probabilitate, cùm ita proponuntur, minimè careant, inuentique nonnulli sint

nulli ſint meliorum alioqui ſtudioſi partium, qui hac ſpecie rationis inducti, omnibus erroris machinis altum obſtinatúmque ſilentium opponi voluerint, vt negligi ſe, nec vllo modo timeri ſentiat: tamen cùm examinantur accuratiùs, adhibemúſque memoriam & experientiam prȩteritorum, ſic geri rem ſuperbiùs & glorioſiùs, quàm tutiùs vtiliúſque deprehendimus. Nec enim eſt tam verecundus támque moderatus error, vt deſpondeat animum, deſperétque placere ſe poſſe pluribus, quia carere aduerſario ſe videt, & à paucis contemni. Imò, vt ſuperbus ſemper eſt, ſibíque præfidens, exultabit, eò ferociùs, quòd congredi nemo audebit, dabitque ſe probandum multitudini vel eò maximè, quod à nemine improbabitur. Quid enim ſpeciem & opinionem habere bonitatis maiorem poteſt, quàm quod ita probant laudántque multi, vt reprehendat nemo; ſic in libris palam & apertè defendunt, vt nemo contrà, niſi clàm & obſcurè muſſitet? Dabit ſe vulgus his opinionibus tutum prope ac ſecurum, neque ſuſpicari vnquam de prauitate poterit, dum iactari tanto conſenſu, reclamante nemine, videbuntur.

Et verò quis vnquam error docente nullo ac refutante penitus euanuit, niſi fortaſſe eam alienus erat à iudicio & ratione communi, vt ſola rei expoſitio, confutatio quædam aperta videretur? Cuius vnquam nouatoris arma ſic è manibus delapſa cecidiſſe audiuimus, vt auferri ante vi, & extorqueri

non debuerint; Nacta est religionis ætas omnis hostes suos, sed victum eorum se nemo ante pugnam confessus est; neque legimus vspiam, postquam ex isto grege nonnullus turbas & tumultus excitauit, eum quieuisse deinde aduersante nemine, quemadmodum ventos videmus, postquam agitarunt aliquandiu maria, repente & absque certa causa concidere.

Intelligite enim, quæso, AVDITORES, quot adiutus præsidiis serpat apud populos error omnis, quámque magnis & subitis progressibus, nisi maturè consultum fuerit, propagetur. Nam factionis omnis & nouitatis infirma & timida principia sunt, ac, ne oppugnetur eo tempore, quo vinci facilè potest, latentia & obscura, paucisque maxima secreti cautione commissa. Quòd si nemo nascentem & prodeuntem timidiùs qui reprimat, inueniatur; tum statim se dissipat incrementis propè fallentibus, ac longè latéque diffundit.

Primò enim quantum habet ad inuitandos populorum animos illecebrarum ipsa nouitas: *cunctarum*, inquit poëta, *nouitas gratißima rerum*. Siue id ex innata leuitate animorum proficiscitur, qui mouent perpetuò se, & ex aliis in alia quasi desultorij commeant; siue ex delicato eorumdem superbóque fastidio nunquam eadem diutissimè comprobantium; siue ex desiderio sciendi, & infinita quadam curiositate, quæ videre nihil malit, quàm quod nunquam vidit, nihil magis, quàm quod non habet, habere appetat.

petat. Sic mentis nostræ pascit vitia nouitas, neque virtutibus eiusdem aduersatur. Miramur monstra, licèt monstra sint, suísque vitiis ac deformatibus vnis insignia: ad ea videnda magnus fit ex omni parte concursus. quia noua sunt, nec frequenter errare natura consueuit. Quoties apparet primùm, cælóque decurrere cometa nouus incipit, licèt ex funestis ignibus, & ex aëris intemperie turbida concietus totus sit, nemo tamen vultum illûc non erigit, nemo nouum hoc spectrum & idolum syderis non otiosissimè contemplatur. Notatur color ignium, magnitudo, & figura describitur, indagatur altitudo, motus, errores, mutationes, vicissitudines diligenter obseruantur. Omittitur interim reliquorum contemplatio sydcrum, quia faces illæ inextinctæ ac sempiternæ sunt, & eodem tenore lucis, eâdem semper æquabilitate mouentur. Ad nouum & erraticum ignem, falsúmque sydus, quia recens est, nec sæpe visum, oculi omnium animique conuertuntur.

Qualis cometes in cælo, talis in religione nouitas & error existit. Vbi monstrum aliquod huiusmodi prodit, erumpitque suis è tenebris, & fallaci ac maligna luce fulgere incipit, tum incredibili quadam auiditate, populorum animi, tanquam ad nouum aliquod & inauditum spectaculum commouentur. Fit illud in scholis continuò argumentum disputationum, in congressibus sermonum materia, vbique deliciæ circulorum. Periti de doctrinarum hoc genere, quasi pro

habere figmenta illa opinionum, & captandæ multitudini aptissimum. Soluunt enim humana ingenia durissimâ obedientiâ & seruitute, cui nos Christiana religio subiicit, & ea quæ videntur altioris difficiliorisque fidei, tanquam iuga oppressæ rationis excutiunt. Hoc verò quantùm ingenij nostri naturæ ac libidini gratificetur, quis non videt? cùm alienæ authoritati tam ægrè subiiciatur, quàm sponte iuris proprij sit, & ratiocinationibus suis acquiescat.

Præterea speciem prę se fert omnis ferme nouitas, vt inuitentur probi, restrictę virtutis, ac seueræ morum emendatricis; simúlque, ne vulgus hac tristissimâ laruâ offendatur, solutius habet aliquid & liberius, quod molliori vitæ blandiatur. Ita constringit ex vtráque parte, comprehenditque dissimillima ingenia, & in vtrumuis inclines, tuo se gustui bellissimè, accommodat. Tribus his popularitatis generibus error omnis nititur, dicique non potest, quantum habeant ad alliciendos concitandósque populos virium.

Iam illi ipsi nouitatis authores, quantùm eam adiuuant? Ingenio pleríque omnes acri sunt, quod adusta quædam bilis inflammat, acuit superbia & amor excellentiæ, labor vehemensque studium obfirmat. Hac autem indole ingenióque qui sunt, mirari se suáque solent, & impensè iactare: quæcumque senserint aut cogitauerint, tenacissimè credere, credique ab omnibus tanquam ex oraculo dicta velle: secùs quique sentiant, iis nihil esse vilius, imperitius, prophanius affir-

mare. Quô fit, vt ductum impetúmque sequatur multitudo simplicior, vel quia persuadetur ipsi facilè, quod affirmatissimè & absque vlla dubitatione profertur; vel quia mercedem magnam ducit, laudari ab iis hominibus, qui ceteros vituperant superbissimè, de suis verò sectatoribus honorificè semper prædicant.

Iam vbi aliquos ira coniunxit & consociauit vel ingenij praui & distorti similitudo, vel eadem nouarum ambitio partium, quanto quisque priuatim studio, quantâ simul omnes conspiratione nouum opus promoueant, quid me attinet dicere? Nemo est qui symbolam non afferat, aut operam desiderari suam patiatur.

Præsidet ceteris vel author ipse nouitatis, vel quisquis ingenio & eruditione præstantior est. Hunc instar oraculi omnes habent, nihil vident nisi eius oculis, decernunt omnia eiusdem sensu iudicióque, omnia ipsius ore loquuntur. Iam secum habebit impigros operis adiutores, qui versentur ea in arte singuli, quam excolunt. Libros hic sensu sæpe alieno, & doctrinâ non suâ plenos euulgabit; scurrilem ille poëtam, & mordacem ioculatorem* aget. Afferet alius non stylum, quo per ignorantiam nocere non potest, sed suauitatem compositi vultus, & emendatam quandam imaginem honestatis, quæ insinuet se in hominum animos, eósque communi causæ adiungat. Alius petulantiam oris & vecordiam: nam vecordia, & temeritas inconsulta sæpe vincunt, vbi prudentia & ratio consideratior ne pugnare quidem auderent. Postremò, ne bellorum pugnarúmque

omnium

omnium neruus defideretur, opulenti quique machinam auream ad peruincendos animos efficaciffimam fubminiftrant.

Quò porro tam vario fatellitio ftipatus error, polituli fermonis comptus elegantiis, fpecie quâdam & fimulatione virtutis obtectus, dicacium hominum falibus & facetiis omnibus exhilaratus, furioforum & audaciffimè mentientium calumniis adiutus, diuitum opibus & potentiis inftructus; quò, inquam, tam diuerfo illecebrarum genere abundans peruadere tandem non poffit? Nullus eft locus tam claufus, tamque diligenti cuftodiâ munitus, in quem aditum, qualicumque modo, non reperiat: nulla tam pacifica domus, quam diffenfionibus opinionum, & inteftinis difcordiis non turbet, aut turbare certè conetur.

Nolite, quæfo, AVDITORES, ad ea quæ geri quotidie fortaffe cernitis; ita reflectere animos, vt ex vno oculorum teftimonio fidem huic orationi meæ tribuatis: non defigno noftra tempora, fed ingenium erroris & naturam, quæ omnium eft temporum, aperio.

His olim adiumentis, & fimili planè comitatu hærefis Ariana manauit in vulgus tam fubitis progreffionibus, vt oras orbis terrarum vltimas vix nata cõplecti vifa fit. Arius fuperbiâ, quàm eruditione inftructior, in fuperiores contumax, blandus in alios, non fponte quidem fuâ, fed inductione quâdam animi, vt approbaret fe pluribus: cetera, contemptor omnium, fui fuarúmque rerum perpetuus admirator, ducem fe gregis faciebat. Ex huius vnius ore

suspensa reliquorum opinio religióque pendebat: aiebat, negabat, interpretabatur, ambiguis se verbis tegebat, dissimulabat compulsus, pro tempore se atque opportunitate rerum aperiebat; idem respondebat chorus deinde reliquus, præeuntísque ducis vestigia sequax & stolidum pecus insistebat. Iam ille, vt in Petri Alexandrini epistolis legimus, socios habebat ad vsum omnem & facultatem. Disertos aliquot & eloquentes, quorum mella suauitatésque orationis cùm probarentur omnibus, accidebat, vt venenum tam pulchrè conditum animaduerterent pauci, pauciores vituperarent. Facetos aliquot & procaces, qui pascerent otiosum vulgus fabellis & cantilenis suis, & in contemptum sanctissimarum religionum paulatim abducerent. *Thaliam* enim, sotadicum quoddam & ridiculum carminis genus, quod deinde flammis damnatum est, nugis & insulsitatibus refertissimum scripsisse Episcopus idem memorat & legendum plebeculæ, canendúmque tradidisse. Non defuerunt aliqui castigatiore vultu, quàm moribus, qui virtutis vmbrâ quâdam & imagine, ac lenitate versutissimâ pellicerent incautos, prudentes etiam & consultos fallerent. His accedebant potentiorum opes authoritatésque, qui tradere se nouatoribus facilè solent, quia primas in factione, quàm secundas, aut tertias in legitimo cœtu tenere multi præoptét. Neque verò cymbalis suis hoc omne choragium, suísque crotalis caruit, muliebres cateruas dico, quæ strepitu, quàm consilio maiore Arium vbique, & Ariana dogmata prædicarent. Fuerunt enim, vt vir idem sanctissimus affirmat, Alexandrinæ

drinæ professæ virgines septingentæ, quæ omnibus Arianorum opinionibus imbutæ, errores deinde suos acribus obstinatísque studiis, (nihil enim amare mulieres, aut odisse mediocriter solent) vbique passim, introducente nobilitate, conciliatricibus sexus gratiis, adiuuante loquacitate profluentissimâ, patrocinante & authoritatem tribuente virginitate circumtulerunt. Hos authores adiutoréſque Arianus error nactus est, quorum artibus tam subitò sparsus, támque latè fuit, vt antè Christianus orbis oppressus ingemuerit, quàm ad resistendum posset, propulsandúmque virus incumbere.

Vereor, ne cui fortasse non præterita videar, & à nostris temporibus aliena dicere. Sed sui similis vbique, & omnibus temporibus, ac germanus error est: eadem principia, spiritus eosdem, eadem præsidia, cursum eumdem vbique deprehendo. Quemadmodum non alij nunc fere corporis morbi sunt, quàm qui superiores omnes ætates vexauere; neque aliis ingrauescunt processibus, quàm quibus olim augebantur. Quandam rerum præsentium imaginem memoria præteritorum exhibet, ex qua pariter, si boni ratiocinatores esse volumus, futura facilè certóque auguremur.

Age igitur, dum multitudinem nouitate suâ sic error allectat, dum pertrahit animos tam popularibus illecebris, dum nouatorum tam popularibus illecebris, dum nouatorum tanto studio industriáque disseminatur; an eum existimem intermoriturum tot inter ad-

iumenta, præsertim si repugnet nemo, nec laruam, quæ vulgo sic imponit, detrahere conetur; aut cùm habuerit cursum semel & iactationem in populo, repentè & absque vllius operâ desiturum? Eósne illâ indole, illísque moribus, quos modò descripsimus, cùm noui aliquid protulerint aut scripserint eo consilio, vt turbas moueant, & turbatis se rebus duces constituant, cessaturos deinde sponte arbitrandum est, suúmque illum partum, cùm famâ iam incipit, & omnium sermone celebrari, tædio quodam & fastidio deserturos? Quamobrem verò tam plano, támque expedito in cursu desererent? Ergò feruebit incendium auris omnibus & flabellis excitatum, serpet, gliscet, grassabitur: nisi populi caueant acriter, agros breui, vrbes, regna vastabit: vetabis autem, ídque sapienter, ne clamem, admoneámque periculi? author eris, vt sedeam, spectémque otiosus, manus abstineam, nihil opponam cursui flammarum, imprudentes populos his ignibus inuolui, sorberíque tacitus patiar? Athanasi, cùm Arius ore impurissimo sacrilegia iactabat! Hieronyme, cùm Iouinianus, spurcissimus ex Epicuri harâ porculus; cùm Rufinus, alter, vt ipse vocabas, *Grunnius*, grunnitus in Ecclesiam suos tollebant! Augustine, cùm Manichæi, Donatistæ, Pelagiani, ceteríque sacramenti eiusdem homines sceleratissimâ conspiratione diffundebant vbique pestilentium dogmatum virus; quiescebatis interim, credo, & diem expectabatis taciti, quo conflati turbines per sese

denique,

denique, & vltro dissipati euanescerent?

Satísne cautum prudenter, & prouisum ei homini putatis, AVDITORES, qui cùm initia morbi quædam sentiat acuta iam & acria, negligatur penitus, imò medico diligenter omni, remedióque prohibeatur? Cur morbus autem, nisi curetur, crescat; error & morbus animorum, si nemo ad eum depellendum accurrerit, repente intercidat? aut cur ille sedabitur, si adhibebitur citò remedium, hic ægrescet, si manus salutaris afferetur?

Fouet igitur errorem professa & affectata taciturnitas, dátque spatium corroborandi & confirmandi sui. At cùm vigebit semel in Republica, nouósque ritus, rescissis antiquis, nouas cerimonias, nouas leges, nouam formam introduxerit, vno verbo, nouum populum, nouámque Rempublicam cùm fecerit: tum contende, tam bene constitutum vt mutes, vbi non tam ille impugnandus, quàm fundamenta Reipublicæ omnia concutienda, & euertenda fuerint. Sociam pugnarum habebas Rempublicam, si primam ad auram nouitatis, errorem impugnasses: at cùm robustus ille, atque adultus euaserit: aduersam eandem tibi ac repugnantem habebis.

Intelligimus, inquiet fortè vestrûm aliquis, errori, ne fundatur latiùs, & Rempublicam omnino corrumpat, quoad licet, obsistendum, ignauam esse, inertémque operam, & præuaricationi simillimam, quæ cohibeat se, & ab optima tuenda parte abstineat:

tineat ; descendendum in campum , itáque pugnandum , vt vincatur penitus hostis religionis , aut certè penitus ne vincat. Sed pugnam vulgo præposterè committi. Hîc nihil opus acrium , & incensorum spirituum , qui aliis in pugnis esse pernecessarij solent : moderandam esse , leniendámque contentionem, vt penè frigidior, quàm ardentior ; vrbanior , quàm asperior videatur. Nemo enim lenitatem summam in eo bello non desideret , in quo nulla potest esse victoria plenior, nisi aduersatiorum amicitam pariat. Quippe geri rem cum iis hominibus , quos sanari, non perdi ; ad salutem reduci , non profligari oporteat. Certè nihil effici aliud his contentionum asperitatibus solere , quàm vt irritentur grauiùs æmuli , & cedere ne velint: redeant laceri tanqum ex duriore conflictu, defensores ipsi bonarum partium , & omnibus contumeliis vexati: proborum hominum aures tot amarissimis vtrinque conuitiis offendantur : rideant tanquam ad spectaculum non iniucundum otiosi : omnis autem disputatæ veritatis fructus omnino pereat. Sic igitur , inquiunt , tuenda veritas est , vt amoribus & gratiis plenior , quàm ferocior hostilibus odiis appareat: ita pugna cum aduersariis est , quasi cum amicis breui futuris , non cum præsentibus inimicis pugnanda.

Video valde probari pluribus hanc orationem , quæ & honestatem continet , ac suauitatem humanæ societatis , cuius est omnis inimica contentio ; & videtur optimam suppeditare reconciliandorum hominum rationem.

nem. Tamen cùm antiquos ipſe Patres Eccleſiæ viros & à ſanctitate vitæ, & à prudentia ſingulari moderatiſſimos ita egiſſe cum errore video, nihil vt vehementius iis acriúſque fuerit, ſic apud me ſtatuo, in ea cauſa, vbi de religione diſſidia ſunt, vel difficillimum eſſe, ardorem animi moderari, duriúſque certamen; vel hanc adhiberi lenitudinem, licèt in noſtra maximè poteſtate foret, minimè oportere. Dum enim Apoſtolos ipſos lego, in eos, qui nouellis commentis religionis integritatem violaſſent, conieciſſe maledictum: dum Polycarpum Apoſtolorum diſcipulum audio, Marcionem hæreticum accedentem ad ipſum honoris cauſâ, & amicitiam ſponte ambientem repuliſſe cum infamia, & *Satanæ primogenitum* appellâſſe: Irenæum Marco neſcio cui nomen *Antichriſti* tribuiſſe; aliis verò *diaboli* obieciſſe *commercium & familiaritatem*: & quicquid demum Sanctorum Patrum eſt, oppoſuiſſe ſe horum conatibus acerrimè, eóſque ſeueriore ſtylo confixiſſe, non timuiſſe, ne à procacibus hominibus appeterentur v[illegible]lim acerbioribus iniuriis, quodcumque foret plagarum huiuſmodi in decorum & beneficiorum loco repoſuiſſe. Sic arbitrari demum ſic loqui, ſic profiteri cogor. Parcite, HVMANISSIMI VIRI, qui ſedatiores controuerſias, pugnáſque mitiſſimas optatis: non errarunt viri conſultiſſimi; ſanctiſſimi homines non peccarunt. Neque verò ideò loquor, quòd mitigandas condimentis aliquibus vrbanitatis contentiones negem, nunquam enim agreſtem, inuerecun

recundam, & rusticulam orationem probauerim; sed exigere tamen aio bellorum hoc genus spiritus paulò vehementiores, quia qui bene id & cum laude gesserunt, hôc gerendum esse modo putauere.

Non dico, ardere semper; plenósque igniculis esse conflictus omnes animorum, igneámque naturam mouere se & agitare non posse, quin incredibili quodam æstu statim efferuescat. Theologi, philosophi, critici, quotquot estis hominum peritiorum, vos hîc testes appello, qui pro verbo vno, próque verbi apice, pro re vacua & otiosa, leuissimíque negotij in diuersas abitis sectas & hæreses, eâsque mouetis sæpe pugnas, quas pro aris focísque ciues boni pugnarent.

Sed esto, improbetur id, tanquam ingenij vitium faciliùs & promptiùs ignescentis: hoc dico, in religione hæreses impugnari frigidè nec posse, quandoquidem dissentiunt inter se, quàm dissentire maximè possunt, qui de religione disputant; neque verò debere, quoniam indecorum esset in discordia omnium pugnáque grauissima non pares afferre sensus animorum. Quid est religio? ad homines singulos si attendo: Prima lex officiorum omnium est, prima institutio ac disciplina mentis, prima morum regula totiúsque honestatis, prima demum cuiuslibet hominis hereditas & possessio, eóque pretiosior, quò interior & coniunctior, quæque adeo auelli sine acerbissimo doloris sensu non possit. Si communitatis hominum rationem habeo: regnorum, imperiorum, rerumpu-
blicarum

blicarum religio fundamentum eſt & vinculum humanæ ſocietatis : quo ſublato, neque ſatis ad coërcenda ſcelera leges valeant; neque ad moderandos populos prudentia vlla ſapientum. De re igitur omnium longè maximâ diſſenſio eſt, tantúmque diſiunguntur animi, quantùm diſiungi maximè poſſunt, quoties inter eos de religione non conuenit.

Iam quo ardore religio à ſingulis ſua defendenda ſit, quæritis? Qui bona ſua negligentèr à ſpoliatore repetit: qui pro vita fortiter à ſicario appetita ſegniter & ignauè propugnat, is mihi tamen videtur ad religionem tuendam debere omni ſtudio & ardore mentis incumbere. Simul enim & ſuam & patriæ hereditatem præcipuam defendit: ſimul à ſuis, & à reipublicæ ceruicibus publicum hoſtem propulſat. Iam verò quæ pax & concordia ſperanda vnquam in eo imperio eſt, quod contrariæ ſectæ factionéſque diuidunt; aut quî conſentire populi poterunt, qui de ſumma re diſſident?

Certè quibus expugnatur armis religio, iiſdem publica res & imperij ſtatus concutitur: neque certiùs vnquam mutationes regnorum & faciliùs, quàm per religionis mutationem homines ſeditioſi moliti ſunt. Hac enim conuulsâ ſemel, imperia in præceps, quaſi eruto diſiectóque fundamento, tota & ſubitò ruunt. Quòd ſi hæc mea cuiquam oratio incredibilis videri poſſit, non vobis tamen, AVDITORES; non tibi, Gallia, quæ procellas paſſa nuper turbulentiſſimorum

temporum notum omnibus fecisti, nullam reipublicæ pacem tranquillitatémque sperandam, vbi religionis diuortia vigerent. Postquam enim opinionum nouitatibus afflati & imbuti populi tui fuere, repente à communitate, arísque publicis discesserunt: ex discessione orta est factio: ex factione creuit audacia, ex audacia contemptus legum, & legitimæ dominationis odium: hinc rebellio, bellúmque prorupit eò sæuius, quòd religionis & sacrorum causâ vtrinque mouebatur: ex bello verò strages ruinæque quarum vestigia ad execrationem sempiternam relicta cernuntur. In hoc enim vno belli genere indulgentia omnis & pietas impietatem habere creditur; impietas verò & atrocitas pietatem.

Parúmne autem hæc timenda vobis mala videntur, AVDITORES, nec digna, vt commoueat se quisquam, & in præcidendo funestissimo tot calamitatum cursu vires omnes impendat? Nouitates video & obfirmatissimos animos, ambitum, conuentus, fœdera, conspirationes, partium studia feruere audio: si rem non progressuram vlteriùs spero, nimis credulus, nimis bonus profectò sim; si factiones, audacias, seditiones, & reliqua quæ nouitas omnis parturit, euentura timeo, nec timidior, nec inconsultior videar; si ne eueniant, quoad possum, vehementer obsisto, de republica malè mereri non possim.

Verùm, inquis, hac acerbitate contentionum sic efferantur animi, vt errorem tueri

ri porro pergant longè obstinatiùs, neque adduci omnino possunt, vt eam velint veritatem amplecti, quam vident ab inimicissimis in speciem hominibus tantâ vi, verborúmque asperitate proponi. Hìc rursum ego vos, inuicti Heroes, appello, Hieronymi, Augustini, Chrysostomi, ceterique, quorum operâ fractus olim est, & dissipatus omnis hæreticorum impetus, hoc scilicet non videbatis, cùm illos animos, illosspiritus, illos ardores in debellandis erroribus attulistis! Cur non dissimulatum aliquid est? cur non dura & atrocia erroris, hæresis, perduellionis nomina penitus interdicta, quæ à vobis homines, & à veritate longiùs auertebant? cur paulò molliùs, paulóque indulgentiùs cum illis desertoribus actum non fuit?

An præposterè id verò & inconsideranter ab iis factum existimatis, Auditores? an non altioribus potiùs consiliis & rationibus impulsi minimè parcendum nouatoribus esse duxerunt, vehementiùs omnia illorum dogmata factionésque populus execraretur? Quamquam enim certandum odiis & inimicitiis nunquam putem: officiis & vrbanitatibus aliquando velim, & his altercationibus verborum suauitates aspergi: nunquam tamen remissiùs ac solutiùs gerendam rem esse, virósque illos sanctissimos agere cum nouatoribus dissimulanter non debuisse contendo. Sint enim ita molles, vt ne verbo quidem duriore amentiam eorum perstringant: sic humani & vrbani sint, vt illorum nomen,

nisi

nisi prælata honoris significatione, nunquam appellent. Hoc peto primùm; quî sanabuntur ipsi, si se, quales sunt, non videant, aut si nemo indignitatem ipsis suam ac dementiam repræsentet? Quid medico crudelius eo, qui in ægrotum indulgentior ferrum in vulnus & cicatricem altiùs adigere reformidet? Hæc nimia humanitas, rerum æstimatori consulto pro maxima crudelitate; sæuitia contrà, rigidiórque seueritas pro humanitate summa habebitur.

Sed quæro deinde, quid multitudo in hac conniuentia & dissimulatione? Horrebit, credo, noua illa commenta, quibus nulla infamię nota à catholicis Doctoribus inusta fuerit? Cauebit diligenter & sedulò ab iis impietatis magistris, quos compellari semper amiciùs, nunquam vituperari, aut grauioris alicuius vocis libertate comprimi videbit? Nouitas interim lena blandissima abducet animos potentibus illecebris; nouatores ipsi eo quo solent ore, câ virtutis & probitatis similitudine, quam gnauiter ementiuntur, iis artibus, iis pecuniis, quæ emendæ multitudini & conducendæ præsto sunt, vbique in priuatis, in publicis congressibus; in tenebris; & in luce; verbo, scriptóque spargent, disseminabunt, propagabunt virus impietatis: in sacras etiam exedras audacissimè conscendent: ex ipsa veritatis arce promulgabunt mendacia: circumuentum eloquentiâ populari, & malignæ orationis ambiguitatibus populum suis erroribus inique corrumpent: acerrimis denique ardentissi-

mísque

misque studiis pro errore certabunt. Si tum pro veritate aliquid verè dicere non licet : si doctrinam, si personas apellare proprio nomine non decet : quid decere tandem , aut licere credendum est, ne causa populorum, ne veritatis ac religionis partes fœdissimâ præuaricatione prodantur?

Hîc vlcus tangimus, Auditores, nolunt audire nomen suum hæretici. Neque tamen hoc ipsis succenseo, quia monstrum hoc nominis, ex omni scelerum & impietatum colluuie conflatum omni operâ repudient. Quis enim ornari se teterrimâ hâc laruâ libentor patiatur ? Sed hoc queror, &, mea quidem sententia , meritò queror, cùm rem tali comprehensam nomine fugere non velint , nomen ipsum iudicem duntaxat notámque rei, ac proinde re ipsâ non turpius velle fugere.

Agite enim , quicumque plus hæretici nomen , quàm heresim ipsam detestamini : placet hîc colloqui vobiscum , si finitis , amicè; si non finitis , verè tamen ac sincerè. Spargitis in vulgus alienas à communi Ecclesiæ sensu doctrinas , interdictas publico Pontificum oraculo , omnibus Ecclesiæ fulminibus inustas. Intelligo , non ita forsan videri vobis , aut licet ita videatur , nolle tam apertè confiteri. Sed omnibus tamen Ecclesiæ ordinibus ita videtur. Interest autem Ecclesiæ, Pontificum , reipublicæ , singulorum , non turbari pacem publicam , populósque in antiqua , & à maioribus tradita religione constantes quietósque permanere. Agite nunc, suggerite verba lenissima , nam ex ore accepta

ve

vestro libens vsurpem, quæ doctrinas illas ita notent, vt earum odium execratioque, quòd omnino necessarium est, in populorum animis ingenerari possit.

Sed hîc fortasse peccem, qui exprimi veri ac sinceri quidpiam ab hominibus istiusmodi posse crediderim. Ad vos, Auditores, orationem refero, petóque, quâ videantur ij appellatione mollissima, si tales sunt, quales modò diximus, citra præuaricationem nuncupandi. An igitur Ecclesiæ imperiis obedientissimi dicentur, si certis quibusdam destinatisque sententiis ita sint addicti & consecrati, vt eas contra voluntatem eiusdem, & grauissima iussa peruicacissimè tueantur? Hominésne integræ & sanæ religionis habebuntur, si proscripta eorum dogmata nominatim, execrata, dirisque deuota sint? Quid est? an pacis & tranquillitatis studiosissimi prædicabuntur, si turba illa eorumdem factionibus, itáque erepta sit, vt nomen nouum, noua tessera, noua sacramenta & fœdera videantur? Quid censetis, AVDITORES? num in facta huiusmodi hæ, verborum blanditiæ satis aptè conueniant? Aut refer, sic enim vos audire loquentes videor, de istis omnibus aliquid mitius, aut mitissima hæc nomina, ne vel ridere, vel præuaricari videaris, omitte. Id quod sunt, & esse volunt, si alterutrum dici necesse est, peruicaces, rebelles, damnatos, perturbatores pacis appella. Non video igitur, cur de hæretici nomine homines nostri vehementiùs expostu

postulent. Quid enim intereſt, an tot vocibus explicetur hęretici nomen; an vnâ hæretici voce tót ſimul nomina comprehendantur?

Atenim humanitas ſumma poſtulat, minus vt ſemper aliquid leuiúſque vero dicatur: neque in eos coniiciatur quidpiam, de cuius falſitate licèt queri meritò non poſſint, eius tamen atrócitate grauiùs offendantur. Multo enim certiùs & efficaciùs inuitantur hac indulgentia & facilitate, ſe vt velint, ſuáque errata recognoſcere.

Nihil diſſimulabo, AVDITORES, ita huic orationi aſſentior, vt lenitatem omnem, ſi publicæ cauſæ non noceat, adhibendam; vehementiam autem & ſeueritatem orationis, ſi non valde proſit, omittendam profitear. Eſt enim hoc litigioſi, & ad rixas conciti hominis, æternas lites alere, aut aliquid conſultò prætermittere, quod ſedare exulceratum aduerſarij animum & mitigare poſſit. Dum ſpes erit, deuinciri eos poſſe nonnullâ diſſimulatione ſuæ impietatis, & ad meliores partes reduci: diſſimuletur: dum expectari prudenter indulgentiſſimæ curationis fructus aliquis poterit: expectetur. Sed vultis, quod ego ſentio, id ego nunc liberè dicam: quamquam & falli omnino malim, neque rerum euentum huic opinioni & coniecturæ meæ reſpondere. Mutari aliquando principes illos, authoréſque ſectarum, ac depoſitis erroribus ad mentis ſanitatem ſeriò conuerti, optandum quidem vehementer; ſed vix, &

ne vix quidem ſperandum arbitror. Multos enim legimus in omnibus Eccleſiæ ſæculis ſurrexiſſe duces impietatis, & ab auita religione populorum animos abalienâſſe: qui reuerterentur deinde deſerta in caſtra, ſuíſque ſe aſſeclis ſubducerent, vix vnum alterúmve legimus.

Eſt enim id nouatorum omnium ingenium, vt in quamcumque incurrerint aut inuaſerint opinionem, ad eam omni animi inductione ac voluntate adhæreſcant. Nam vt iudicium ſuum permagno ſemper æſtiment, ſuperbiâ quâdam naturali & opinione ſui inducuntur; vt ne mutare ac reprehendere velint, pudore famæ, & imminutione nominis deterrentur. Præterea ſic mulceri opinione populari ſolent: ſic frequentiâ deluſæ multitudinis, concurſúque, ſic obſequiis reuerentiâque ſectatorum, & omni illâ demum, qualiſcumque eſt fortunâ capi, vt errorem odiſſe, qui hanc ipſis authoritatem principatúmque peperit, aut reuocare non poſſint. Tot enim vinculis implicantur, quot ſectatores habent: tot retinentur impedimentis, quot illecebris nouæ dominationis irretiuntur. Quid quod ita ſunt à Deo, à conſcientia, à bona mente relicti, vt in illo barathro, in quod ſe temerè coniecerunt, hærere ac perire denique neceſſe ſit? Vbi enim ad vitij faſtigia ventum eſt, quaſi ſtaretur in lubrico, certò ruendum.

Quid his ergo contentionibus omnibus præſertim agitur, AVDITORES? Non tam nouatorum mutationi conſulitur, quàm populorum

pulorum defectioni cauetur. Nihil illis parcitur; sua ipsis deliria, sua portenta diligenter obiiciuntur, vt, nisi eos penitus occæcauit impietas cum singulari superbia coniuncta, se cognoscunt, & peruersum mentis habitum emendent;sin auertunt oculos, suámque misereri sortem nolunt, eos saltem, eorúmque profligatissimas doctrinas populi fugiant, oderint, execrentur.

Atque hæc fuerunt, Auditores, cur rationem comprimendæ hæresis à viris sanctissimis, huius nostræ religionis parentibus quasi per manus traditam, probandam semper existimauerim:qui si descenderunt in campum,& vitam furoribus hostium, famam calumniis, otium & quietem sæuissimis turbinibus exposuerunt, fecerunt, quod duces magnanimi, quod patres seruatorésque patriæ in periculosissimis temporibus solent. Si dicere nonnihil paulò durius ac seuerius, & præter politioris honestatis leges visi sunt, plus eorum mihi videtur laudandum excellens in religionem studium, quàm impetus animi in aduersarios immoderatior vituperandus.

Certè nihil æquè bonis nocere partibus solet ;atque frigidior, ne quid grauius, forsanque verius dicam, aliquorum hominum indoles, qui cùm se moderatos esse, dicique cupiant, eo nouitatis odium magis minuunt, quo probare minùs æquissimam huius accusationem videntur. Lenitatem illi, modestiam animi, charitatem, mansuetudinem clamant. Hoc enimuero studium curámque laudo: sed, si partes vtrasque accusare volunt, sim-

plices, neque satis considerati sint. Ardor enim vnius in tuenda hæresi, contumelia est, in religione ac veritate defendendâ, summa laus. Sin faciunt eo consilio, vt errori fortasse impune sit; hôc improbiùs in religionem, quô tectiùs obscuriúsque grassantur. Si rixæ & contentionis omnis impatientiâ pugnantes vituperant: molles & delicatuli sint, & ad sarcinas, modò vt taceant, nec extinguant suo illo frigore aliorum animos, relinquendi. Quocumque verò fine aut ratione hoc agant, imprudentes profectò & inconsulti, qui obstrui os hæresi nullâ vi & vehementiâ posse contendant. Non ita rem certè, victores sanctissimi magna veteris Ecclesiæ lumina gessistis. Restitistis enim acriter malignis improbissimorum hostium conatibus, debétque vobis christianus orbis, quòd quæ monstra vidit in sacra religionésque suas furiosè coniurantia, fracta eadem incredibili vestrâ virtute ac debellata viderit. Restitistis fortiter: pace dicam vestrâ hoc orbi christiano debebatis. Qui enim iugulum peti patriæ videt, hostémque ferrum ac flammas minitantem, si quieto sit, tranquillóque animo, ac perfunctoriè se aut leuiter opponat: impius sit? reúsque perduellionis; nisi contendat acerrimè, vimque vi defendat, defuisse reipublicæ meritò censeatur. Maiórne autem reipublicæ, quàm religionis, in qua respublica fundatur omnis, ratio esse debet; aut videtur inertiùs pro aris, quàm pro focis esse pugnandum?

Atque hoc quidem, qui minùs adhuc probare videbitur, Auditores, ægre adducar; eum vt

senti

ſentire planè ſapienter,& quantum ſatis eſt errori repugnare credam. Cùm enim deſerit authores idoneos,quos in ea re ſequi potiſſimum oportuit, tum à laudatiſſima pugnandi ratione, qualem probare hactenus omnia Eccleſiæ ſæcula viſa, recedit. Si miratur, cur tantùm exardeſcant religionis propugnatores, miretur potiùs, quantum nouatores improbi, & iniquiſſimæ cauſæ defenſores audeant:neque dubitabit,quin & iuſtiſſimus ardor ille ſit,qui horum ſe furoribus ac ſtragibus opponit;& meritò nominentur hoſtes pietatis, quos graſſari tam hoſtiliter aſpexerit.

FINIS.

APPROBATIONES *Doctorum.*

VIdi librum,cuius titulus eſt, *Selectæ Orationes Panegyricæ PP. Societatis IESV*, quem imprimi poſſe exiſtimaui, cùm nihil fidei contrarium, nec bonis moribus diſſonum continere mihi conſtiterit. Lugduni die 22. Maij. 1667.

ARROY Doctor Sorbonæ & Eccleſiæ Lugdunenſis.

LIbrum perlegi cuius titulus eſt *Selecta Orationes Panegyricæ PP.Societatis IESV*, quem Typis mandari poſſe iudicaui; cùm nihil Fidei contrarium aut bonis moribus diſſonum contineat: Sed puram Ciceronianam eloquentiam redoleat die 25.*Maij*.1667.

F. PAVLVS LANDRY.

PERMISSION.

IE n'empeſche pour le Roy l'impreſſion du Liure cy-deſſus enoncé fait pour le Sieur RIVIERE Libraire de cette Ville auec les defenſes ordinaires. Fait ce 26. May. 1667.

GALLIAT.

Soit fait ſuiuant les Concluſions du Procureur du Roy, les iour & an ſuſdits.

DVLIEV.